COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS; IN QUO DE SCIENTIA OMNIBUS...

Célestin : de Soissons

Digitized by Google

NAZIONALE
8
K
4
MA -
VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

y. 27. K. 24

COMPENDIVM THEOLOGIÆ MORALIS:

IN QVO DE SCIENTIA OMNIBVS Sacerdotibus ſacras peccatorum confeſſiones audituris neceſſaria tractatur.

Authore R. P. F. COELESTINO *Sueſſionenſi tertij Ordinis S. Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ Sacerdote Theologo, & prouinciæ Aquitaniæ eiuſdem inſtituti Exprouinciali Miniſtro.*

Conu. S. Ste Ma. R.
Le Scala Orbis
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ Spineæ.

1640 M. DC. XXXV.
Cum Priuilegio Regis, & Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC

REVERENDISS. D. DOMINO

IOAN. LVDOVICO

DE BERTIER RIVENSI EPIScopo publici, & Secretioris Conſiſtorij Regij Conſiliario, Abbati de Ceſat, Eccleſiæ Cathedralis almæ vrbis Tholoſanæ Præpoſito, &c. Frater Cœleſtinus Sueſſionenſis, tertij Ordinis S. Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ alumnus. S. P.

NON audet plebeius quiſquam (Præſul Illuſtriſsime) ante conſpectum Principis ſtare ſine alicuius præſidio, qui eum in aulam intromittat, & proſeloquatur: &

Digitized by Google

audebit libellus hic, inops, nudus, pannis, & centonibus, vndequaque mendicatò quæsitis contectus, in publicum prodire: secretiora domorũ quarumcumque penetralia permeare; absque cuiusquam patrocinio, qui eum quasi manu ducat, & illius causam agat? absit hoc ab illo, alioquin temeritatis, & audaciæ, iure merito notam incurret, pœnasque luet. quem vero adibit? aut cuius opem emendicabit? nullius sanè, nisi tui ipsius (Antistes Vigilantissime) qui omnes ad te accedentes, pro innatâ tibi benignitate, aperto sinu complexari, nullumque quantumuis abiectum respuere soles. Hac itaque tuâ confisus humanitate, ecce hic ad te venit saliens, transiliens colles, pertransiens campos: venientem grato tu quoque su-

ſcipe vultu, & eripe de manu fortiorum eius: muro tuæ potentiæ, & armis tuæ dextræ circumcingens eũ. poſt te clamat tuis protegi poſtulans auſpiciis: clamanti piũm præbe benignus auditum, nec illum à te repellas; eſt quidem pauper, ſed ideo tibi derelictus, pauperi manũ porrige, & ſis adiutor fortis, nec permittas eum dentibus obloquentium deuorari: obſcœnum continet nihil, nihil ſubdolum, quinimò infirmitatibus animorum medetur, intellectũ illuminat, mores inſtruit: quid plura? cœcorum lumen eſt, debilium baculus, pes claudicantium, miſerè vinctorum ſolamen, iuuamen, atque liberatio. Hinc merito tibi (Paſtor Vigilantiſsime) debetur hoc opus, qui diu noctuque animarum tuæ curæ commiſſarum ſeruandis,

insudas: nulli labori parcens, vt eas à recto virtutis tramite deflectentes, ad meliorem frugem reuoces, cùm mores deprauatos corrigendo, tùm facem bonis operibus præferendo, & præcepta, atque verba vitæ æternæ omnibus proponendo. Hoc tua merita postulant, hoc tua morum integritas, vitæ probitas, officij dignitas, mansuetudo, pietas, & religio exigunt, hoc denique nostra Congregatio multis nominibus tibi deuinctissima debet, quam beneuolentia prosequeris, liberalitate iuuas, munificentia foues. Accipe hoc munusculum tot titulis debitum, in grati erga te animi significationem, & nostræ in te obseruantiæ monumentum, rem quidem tuis meritis imparem, sed parem tenuitati nostræ. Benè vale, & fa-

Digitized by Google

ue. E Conuentu nostro sanctæ Mariæ de Gratia extra muros ciuitatis Parisiensis 16. Iulij anno Domini 1634.

R. P. V.

Humillimus seruus Fr. Cœlestinvs
Suessionensis tertij Ordinis sancti
Francisci alumnus.

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

MIRABERIS fortaſſe (candide Lector) quod de materiis ad conſcientiã ſpectantibus, iam iam fuſiſſimè, & doctiſſimè ab innumeris penè Doctoribus explanatis, ventilatis, & in lucem editis, nouiſſimè tractare aggrediar, imo audeam. ſed ſcito me tuamet, quam ſuggillas, ratione permotum, in hoc peccatum (ſi peccatum dici debeat Prælatis ſuis morem gerere) impegiſſe: & certè eò libentiùs quò tutiùs. ſecurior enim via eſt, vt vel coactus mecum fatebere, quæ frequentior, & tritior: nec facilè quempiam à recto tramite deflectere videas, qui multorum veſtigiis inhærens, planam latamque viam conſectatur. nihil dixi noui, aſſentior ingenuè, quid tum? numquid maior ſum Patribus noſtris? qui nihil nouum ſcriptis ſuis mandauerunt. & ſi meis verbis fidem non adhibes, crede vel ſapienti, qui Spiritu ſancto afflatus dixit, nihil eſſe ſub ſole nouum, neque poſſe quemquam dicere, ecce hoc re-

Digitized by Google

cens eſt; iam enim (inquit) præceſſit in ſeculis quæ fuerunt ante nos, & hoc ipſum quod fuit, hoc eſt quod futurum eſt, & quod factum eſt, ipſum quod faciendum eſt. vnde quod dixi poſt Doctores, quod non ſit contra Doctores, nec doctoribus arbitror, nec cuiquam diſplicere debere: præſertim cum omnia quæ in hoc libello, obedientiâ ſuadente, ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam & conſolationem: non ad oſtentationem, & vanitatem ſcripta ſint. vt dum horum attentâ lectione recreatur animus, & otium ſentinam vitiorum deuitet, & moleſtias, ex diuerſis huius vitæ ſucceſſibus emergentes, à ſe facilè propulſet. quod ſi reſolutiones aliquas plus æquo benigniores aut laxiores inueneris, non confeſtim ſuſpicio mentem ſubeat id à me præſtitũ, vel vt alicui laqueos iniiciam, vel vt virtutum exercitium tantillùm remittam, vel vt Dei timorem ab animis excutiam, vel tandem vt ad vitium quẽpiam pertraham: non enim hic meus fuit animus, non hoc conſilium meum: ſed potiùs vt anxietatibus & ſcrupulis ſupra modum exagitatos quodammodò leuarem: eorúmque tranquillitati quantum humana patitur induſtria conſulerem. quapropter te iterum atque iterum rogo (Lector amantiſſ.) vt des operam, ne quod ad animarum

pharmacum, ſalutem & quietem eſt ordinatum, illudmet tuâ culpâ in illarum toxicum, perniciem & ruinam conuertatur. & ſi contra ſpem aliquando ſic eueniſſe audiero, hoc mihi non mediocri dolori, moerori & moleſtiæ futurum eſt. prætereà cum aliquot errores hanc in editionem ex Typographorum incuria irrepſerint, te (Lector beneuole) per humanitatem tuam, per pietatem tuam, per eam denique quam mihi debes, ſi quam debes gratiam, obſecro & obteſtor, ne priùs hunc librum legere incipias, quã librariorum errata ita correxeris, quemadmodũ eſſe corrigenda ad calcem libri admonui. Illuc enim quæ per imprudentiam à Typographis prætermiſſa fuere conieci, & quo quæq; loco eſſent reponenda, indicaui. Has igitur noſtræ qualeſcumque lucubratiuncu-las pingui Mineruâ exaratas, quas tibi nunc ſincero animo offero, grato pióque mentis affectu ſuſcipe. & ſi quid nouiſti rectius iſtis, candidus imperti: ſi non, his vtere mecum. *Vale.*

Digitized by Google

Facultas Reuerendi admodum Patris V. Generalis.

NOs Frater Elzearius Dombarienſis tertij Ordinis S. Franciſci de Penitentiâ nuncupati ſtrictæ obſeruantiæ V. Generalis immeritus, tenore præſentium omnibus & ſingulis quorũ intererit, fidem indubitatam facimus, Nos nedum facultatem dediſſe, ſed & mandaſſe R. P. Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi, eiuſdem inſtituti noſtri Sacerdoti profeſſo Theologo, & Prouinciæ noſtræ Aquitaniæ Miniſtro Prouinciali, quatenus librum de ſcientia Confeſſariis neceſſaria conſcriberet, ad vſum præſertim Sacerdotum, qui ſe ſacris peccatorum confeſſionibus audiendis parant, ac demum, vt opus huiuſmodi typis mandetur, nos conceſſiſſe, ac tenore præſentium concedere, præuia tamen grauium Doctorum, ſiue Theologorum approbatione, ſi quidem librum hunc non parùm nonis Sacerdotibus tùm Religioſis, cùm Sacerdotibus profuturum ſperamus. Datum Rothomagi in conuentu noſtro ſanctæ Mariæ Lauretanæ, ſub manuali noſtro chyrographo officijque noſtri maiori ſigillo. Die 30. Decembris, anni Domini 1633.

Locus ſigilli. FR. ELEARIVS Dombarienſis Generalis. V.

NOs ſacræ Theologiæ in alma Academiâ Tholoſana Profeſſor Regius, ea omnia quæ in hoc Theologiæ moralis compendio, Authore Reuerendo, ac erudito viro Patre Cœleſtino Sueſ-

sionensi, tertij Ordinis Diui Franciſci in Prouincia Aquitanię Prouinciali digniſſimo continentur, non modò orthodoxæ fidei planè conformia, verùm etiam rectæ Sacerdotum, qui curam animarum gerunt, inſtitutioni, multùm vtilia, adeoque typis mandari meritò poſſe, cenſuimus. In cuius rei fidem ſubſcripſimus Tholoſæ, calendis Aprilis, anno Domini 1634.

DEPELISSIER, *Facultatis Theologicæ Regius Profeſſor & Decanus.*

HOc Compendum Theologiæ moralis authore Reuerando P. Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi Prouinciali Aquitaniæ, Fratrum tertij Ordinis S. Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ, nihil continere orthodoxæ fidei, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, aut bonis moribus aduerſum poſt accuratam, & diligentem ipſius lectionem teſtor. Datum Tholoſæ 4. nonas Aprilis, anno Domini 1634.

FR. COELESTINVS Bollomontanus, ſacræ Theologiæ Lector in Conuentu dicti Ordinis Theoloſano.

Approbatio Domini Des-Cleues Doctoris Sorbonici, Abbatis S. Mariæ Magdalenæ de longo vado, & Eccleſiæ diui Ioannis Rectoris.

THeologiæ compendio moralis à me Doctore Theologo Pariſienſi, perluſtrato, à viro ſapiente Religioſo P. Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi,

Digitized by Google

tertij Ordinis ſancti Franciſci Presbytero Theologo, in lucem euulgando, teſtor, nihil in eo non dicam fidei diſſonum, aut pietati contrarium videri, ſed penitus, id, Diui Pauli, ſacris ſcriptoribus, neceſſarium μόρφωσιν γνώσεως τε καὶ ἀληθείας, hoc eſt formam ſcientiæ & veritatis habere. Inſcribatur ergo æternitati libellus iſte, & qui omnibus profuturus eſt, ab omnibus ſit approbatus. Datum Pariſiis in ædibus noſtris die 29. Iunij, anno Domini 1634.

DES CLEVES.

EGo Fr. Ioannes Chryſoſtomus à S. Laudo Fratrum de Pœnitentia tertij Ordinis Seraphici ſancti Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ Miniſter Prouincialis perhumilis, & in maiori noſtro Conuentu ſanctæ Mariæ de Gratia penes Lutetiam, quondam Lector Theologus, hoc *Compendium moralis Theologiæ, authore Reuerendo Patre Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi, noſtræ Congregationis ſapientiſſimo Theologo, & noſtræ Prouinciæ Aquitaniæ Miniſtro Prouinciali abſoluto*, legi, in quo nihil fidei aut bonis moribus contrarium reperi, ſed facili, reſolutiuâ, doctâ, ac eruditâ methodo conſcriptum, ad gloriam Dei, & multorum vtilitatem, dignum publicâ luce cenſui, Lutetiæ Pariſiorum in noſtro maiori Conuentu ſanctæ Mariæ de Gratia die 17. Iulij anno Domini 1634.

FR. IOANNES CHRYSOSTOMVS *à S. Laudo Miniſter Prouincialis perhumilis Prouinciæ Franciæ.*

sionensi, tertij Ordinis Diui Franciſci in Prouincia Aquitanię Prouinciali digniſſimo continentur, non modò orthodoxæ fidei planè conformia, verùm etiam rectæ Sacerdotum, qui curam animarum gerunt, inſtitutioni, multùm vtilia, adeoque typis mandari meritò poſſe, cenſuimus. In cuius rei fidem ſubſcripſimus Tholoſæ, calendis Aprilis, anno Domini 1634.

DEPELISSIER, *Facultatis Theologicæ Regius Profeſſor & Decanus.*

HOc Compendium Theologiæ moralis authore Reuerando P. Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi Prouinciali Aquitaniæ, Fratrum tertij Ordinis S. Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ, nihil continere orthodoxæ fidei, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, aut bonis moribus aduerſum poſt accuratam, & diligentem ipſius lectionem teſtor. Datum Tholoſæ 4. nonas Aprilis, anno Domini 1634.

FR. COELESTINVS Bollomontanus, ſacræ Theologiæ Lector in Conuentu dicti Ordinis Theoloſano.

Approbatio Domini Des-Cleues Doctoris Sorbonici, Abbatis S. Mariæ Magdalenæ de longo vado, & Eccleſiæ diui Ioannis Rectoris.

THeologiæ compendio moralis à me Doctore Theologo Pariſienſi, perluſtrato, à viro ſapiente Religioſo P. Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi,

Digitized by

tertij Ordinis ſancti Franciſci Presbytero Theologo, in lucem euulgando, teſtor, nihil in eo non dicam fidei diſſonum, aut pietati contrarium videri, ſed penitus, id, Diui Pauli, ſacris ſcriptoribus, neceſſarium μόρφωσιν γνώσεως τε καὶ ἀληθείας, hoc eſt formam ſcientiæ & veritatis habere. Inſcribatur ergo æternitati libellus iſte, & qui omnibus profuturus eſt, ab omnibus ſit approbatus. Datum Pariſiis in ædibus noſtris die 29. Iunij, anno Domini 1634.

DES CLEVES.

EGo Fr. Ioannes Chryſoſtomus à S. Laudo Fratrum de Pœnitentia tertij Ordinis Seraphici ſancti Franciſci ſtrictæ obſeruantiæ Miniſter Prouincialis perhumilis, & in maiori noſtro Conuentu ſanctæ Mariæ de Gratia penes Lutetiam, quondam Lector Theologus, hoc *Compendium moralis Theologiæ, authore Reuerendo Patre Fr. Cœleſtino Sueſſionenſi, noſtræ Congregationis ſapientiſſimo Theologo, & noſtræ Prouinciæ Aquitaniæ Miniſtro Prouinciali abſoluto*, legi, in quo nihil fidei aut bonis moribus contrarium reperi, ſed facili, reſolutiuâ, doctâ, ac eruditâ methodo conſcriptum, ad gloriam Dei, & multorum vtilitatem, dignum publicâ luce cenſui, Lutetiæ Pariſiorum in noſtro maiori Conuentu ſanctæ Mariæ de Gratia die 17. Iulij anno Domini 1634.

FR. IOANNES CHRYSOSTOMVS *à S. Laudo Miniſter Prouincialis perhumilis Prouinciæ Franciæ.*

INDEX
TRACTATVVM
ET CAPITVM
TOTIVS LIBRI.

Tractatus primus de Pœnitentia.

CAP. I. *De peccato quid sit, & quotuplex?* pag. 1.

II. *De diuisione peccati venialis, an possit mortale fieri veniale, quibus modis possit discerni veniale à mortali, vbi etiam assignantur regulæ ad cognoscendum quando peccatum est mortale.* 5

III. *De consensu in peccatum.* 8

IV. *De delectatione morosa.* 10

V. *De materia & forma peccati.* 16

VI. *De contritione & attritione.* 18

VII. *De confessione Sacramenti, quid sit Confessio, & qualis esse debeat?* 22

VIII. *De integritate confessionis.* 24

IX. *Soluuntur plures difficultates de iis-*

Digitized by Google

dem circunſtantiis. 29
X. An cõfeſsio non integra poſsit eſſe valida in quibuſdam caſibus? 36
XI. In quibus caſibus confeſsio ſit denuò facienda, quia nulla? 44
XII. Quos, & quando obliget præceptum confeſsionis. 47
XIII. De Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtro. 51
XIV. An quilibet ordinarius poſsit committere vices ſuas Sacerdoti alieno? 56
XV. Quibus liberum ſit eligere confeſſariũ quem velint? 61
XVI. Quis ſit Miniſter idoneus Sacramenti, & quas conditiones habere debeat? 64
XVII. De prudentia Confeſſarij. 69
XVIII. De ſigillo confeſsionis. 73
XIX. De abſolutione. 78
XX. In quo ſoluuntur quædam dubia circa abſolutionem. 80
XXI. De abſolutione moribundi. 87
XXII. De abſolutione reorum & teſtium. 89
XXIII. De abſolutione à caſibus reſeruatis. 93
XXIV. De ſatisfactione tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ. 98

Tractatus secundi de Matrimonij Sacramento.

Præfatio de variis huius Sacramenti nominibus. p.103

CAP. I. *In quo consistit natura matrimonij, vt est contractus, ciuilis & in officium naturæ, an in vinculo, an in contractu & quid sit?* 104

II. *Vtrum matrimonium sit licitum, & sit vel fucrit in præcepto?* 106

III. *Vtrum polygamia repugnet matrimonio?* 109

IV. De *matrimonio vt est Sacramentum, an matrimonium fidelium sit Sacramentum, & quando fuit institutum?* 112

V. *Vtrum matrimonium fidelium per procuratorem vel litteras contractum sit verum Sacramentum?* 115

VI. *Quænam sit materia, forma, & minister Sacramenti matrimonij?* 17

VII. De *sponsalibus, quid sponsalia & quid operentur?* 120

VIII. *An sponsalia possint transire in matrimonium, & an possint dissolui & quibus ex causis?* 124

IX. *Vtrum*

IX. *Vtrum ad matrimonium contrahendum sit necessarius consensus ipsarũ partium, & qualis esse debet?* 128
X. *An consensus vi vel metu extortus sit sufficiens ad matrimonium?* 132
XI. *An matrimonium sub conditione contractum sit validum?* 135
XII. *De matrimonij indissolubilitate.* 139
XIII. *De diuortio & causis eius.* 143
XIV. *De coniugali debito.* 146
XV. *De impedimentis matrimonij, & primo de impedimentis non dirimentibus.* 150
XVI. *De impedimentis dirimentibus quænã sint? & de impedimento erroris, personæ, & conditionis.* 153
XVII. *De impedimentis ordinis & voti.* 155
XVIII. *De impedimento cognationis, & primo de cognatione spirituali.* 157
XIX. *De cognatione carnali.* 160
XX. *De cognatione legali.* 165
XXI. *De impedimento criminis.* 166
XXII. *De disparitate cultus.* 169
XXIII. *De impedimentis vis & metus, vbi etiam de raptu.* 170
XXIV. *De impedimento ligaminis.* 172
XXV. *De impedimento publicæ honestatis.* 174
XXVI. *De impedimento affinitatis.* 176

XXVII. *De impedimento impotentiæ.* 178
XXVIII. *Quis possit dispensare in impedimentis maioribus, atque etiam in impedimentis votorum Castitatis & Religionis?* 183
XXIX. *Quonam pacto matrimoniũ inualidè contractum ob aliquod impedimentum possit reualidari?* 187
XXX. *De peccatis coniugum circa vsum matrimonij.* 189
XXXI. *Quis possit statuere impedimenta matrimonium annullantia?* 191
XXXII. *Quinam filij dicantur legitimi, & quinam illigitimi?* 193

Tractatus 3. de Censuris, Degradatione, Depositione, & Cessatione à diuinis.

CAP. I. *De excommunicatione, quid excommunicatio & quotuplex?* 196
II. *Quinam possint excommunicare, quinã excommunicari, & quas ob causas?* 204
III. *De effectibus maioris excommunicationis.* 207
IV. *Proponuntur quædam documenta circa excommunicatum non toleratum.* 210
V. *Vtrum ignorantia excuset ab excommu-*

nicatione incurrenda. 213
VI. *Quis teneatur vi excommunicationis ad reuelandum seu denunciandum quando crimen est occultum.* 215
VII. *De absolutione ab excommunicatione.* 219
VIII. *De excommunicationibus in Gallia reseruatis Summo Pontifici.* 227
IX. *Soluuntur nonnullæ difficultates, circa excommunicationem latam in percussores clericorum.* 232
X. *De excommunicatione ob duellum in quibus casibus incurratur, & in quibus non?* 235
XI. *De suspensione.* 238
XII. *De interdicto.* 243
XIII. *De depositione, degradatione, & cessatione à diuinis.* 247
XIV. *De violatione Ecclesiæ.* 250

Tractatus 4. de Irregularitate.

Cap. I. *De irregularitate in communi.* 254
II. *De irregularitate ex defectu Sacramenti.* 259
III. *De 2. specie irregularitatis ex defectu corporali.* 262
IV. *De 3. specie irregularitatis ex defectu*

Digitized by Google

animæ. 268
V. *De 4. ſpecie irregularitatis ex defectu perfectæ lenitatis.* 271
VI. *De 5. ſpecie irregularitatis ob aliquod delictum.* 277

Tractatus 5. de Voto.

CAP. I. *Quid ſit votum, & quotuplex?* 286
II. *Quænam ſit materia voti.* 289
III. *De obligatione voti.* 292
IV. *Qui poſſint vouere?* 296
V. *De votorum irritatione.* 297
VI. *De voti commutatione & diſpenſatione.* 302
VII. *Ad quid teneatur qui vouit ingredi religionem?* 311
VIII. *Ad quid teneatur qui vouit caſtitatem perpetuam?* 313

Tractatus 6. de Beneficiis.

CAP. I. *Quid ſit beneficium, & quotuplex.* 317
II. *Quibus modis beneficium acquiratur?* 319
III. *Quænam qualitates ſeu conditiones re-*

Digitized by Google

quirantur in eo, cui debet conferri beneficium? 321
IV. *Vtrum beneficia debeant conferri dignioribus?* 325
V. *An sit licitum habere plura beneficia?* 326
VI. *An beneficiarij teneantur ad residentiã?* 331
VII. *Vtrum beneficiarij teneantur restituere si omittant preces horarias?* 335
VIII. *An clerici beneficiarij lucrentur distributiones si non assistant choro, vel si assistant quidem, sed non canant?* 339
IX. *De pensionibus.* 343

Tractatus 7. de Simonia.

CAP. I. *Quid sit Simonia?* 347
II. *Explicantur nonnullæ difficultates quæ mouentur circa triplex pretium quod Simoniam inuehit.* 353
III. *Quotuplex sit Simonia?* 356
IV. *Quot & quibus titulis liceat temporale aliquod dare vel accipere propter rem spiritualem datam & acceptam.* 360
V. *Proponuntur, & soluuntur quædam difficultates de Simonia.* 366
VI. *De pœnis Simoniacorum.* 369

Tractatus 8. de poteſtate Regularium circa Sacramentorum adminiſtrationem.

CAP. I. *De poteſtate circa baptiſmi adminiſtrationem.* 375
II. *Quid poſſint Religioſi circa adminiſtrationem ſacramenti Euchariſtiæ?* 379
III. *Soluuntur quædam dubitationes de communione.* 383
IV. *Qui valeant Religioſi circa Sacramenti Ordinis adminiſtrationem?* 387
V. *Soluuntur quædam dubitationes de ſacrificio Miſſæ.* 390
VI. *De poteſtate regularium quoad adminiſtrationem Sacramenti Extremæ Vnctionis.* 394
VII. *Quid valeant Religioſi reſpectu ſacramenti matrimonij?* 397
VIII. *De poteſtate Regularium circa abſolutiones ſæcularium tam à peccatis, quàm à cenſuris.* 399
IX. *Soluuntur quædam dubia de eadem materia.* 405
X. *Vtrum Confeſſarij Regulares poſſint diſpenſare in votis, & iuramentis perſonarum ſæcularium?* 409
XI. *Quid poſſint Regulares circa fratrum*

absolutiones? 411
XII. *An Prælati Regulares possint dispensare cum subditis in irregularitatibus?* 416
XIII. *Soluuntur quædam difficultates de eadem materia.* 419
XIV. *Vtrum Nouitij possint absolui à peccatis, & censuris omnibus virtute priuilegiorum?* 423
XV. *Vtrum Mendicantes gaudeant priuilegiis Societatis Iesu?* 427
XVI. *Vtrum tertiarij sancti Francisci, sint verè & propriè Religiosi, & gaudeant priuilegiis aliorum Ordinum?* 430
XVII. *Vtrum Concilium Tridentinum sit receptum in Gallia?* 416

Tractatus 9. de Restitutione in genere.

CAP. I. *Quid sit restitutio, & an sit necessaria ad salutem?* 441
II. *De radicibus ex quibus nascitur obligatio restituendi.* 442
III. *De possessore bonæ fidei, ad quid teneatur?* 447
IV. *De possessore malæ fidei, ad quid teneatur?* 449
V. *Quinam obligẽtur ad restitutionem?* 453.

VI. *De consulente ad quid teneatur?* 455
VII. *De consentiente, palpante, receptatore, & participante, & ad quid teneantur hi omnes?* 457
VIII. *Vtrum hi omnes puta iubens, consulens, consentiens, palpans, receptans, & participans, teneantur ad restitutionem in solidum?* 460
IX. *De tacente, non manifestante, & non obstante ad quid teneantur?* 462
X. *Quid sit restituendum?* 464
XI. *Cui debeat fieri restitutio?* eadem p.
XII. *Cui debeat fieri restitutio bonorum inuentorum, & eorum quæ sunt accepta ob turpem causam vt homicidium, sententiam iniustam, &c.* 466
XIII. *Quantum sit restituendum?* 469
XIV. *Quando sit facienda restitutio?* 470
XV. *Vbi sit facienda restitutio?* 471
XVI. *Quomodo sit restituendum?* 473
XVII. *Quo ordine sit restituendum?* 474
XVIII. *De causis excusantibus à restitutione,* eadem p.
XIX. *Quæ necessitas excuset à restitutione,* 478
XX. *De præscriptione, & vsucapione quomodo excusent à restitutione?* 482

Tractatus 10. de restitutione in particulari.

CAP. I. De *restitutione ex peccatis contra bona alterius spiritualia.* 485
II. *De restitutione famæ & honoris.* 487
III. *De restitutione propter homicidium, ad quid teneantur homicida, & mutilator?* 493
IV. *Quid restituendum pro stupro?* 494
V. *De restitutione propter adulterium.* 497
VI. *De restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.* 499
VII. *Quid restituendum propter lignorum ex syluis exportationem, & abscissionē?* 501
VIII. *De restitutione propter furtum.* 502

Tractatus 11. de vsura.

CAP. I. De *mutuo.* 507
II. *De nomine & definitione vsuræ.* 509
III. *Quibus titulis in mutuo possit sperari lucrum aliquod vltra sortem?* 515
IV. *Quæ conditiones requirantur ad iustitiā damni emergentis?* 519
V. *Quæ conditiones requirantur vt iuste percipiatur lucrū titulo lucri cessantis?* 524

VI. *De vsura prout reperitur in contractibus aliis à mutuo.* 524
VII. *An vsurarius acquirat dominium vsurarum?* 532
VIII. *An vsurarius teneatur ad restitutionem?* 534
IX. *Quid de cooperatoribus in vsuris dicendum?* 539.

Tractatus 12. de censibus.

CAP. I. *Quid sit census quotuplex & an sit licitus seu licite vendi queat?* 543
II. *De pactis quæ possunt addi censibus.* 548
III. *Quænam conditiones requirantur in censibus emendis secundùm ius canonicum.* 553
IV. *Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum?* 556.

Tract. 13. de Cambiis & contractu Societatis.

CAP. I. *Quid sit cambium & quotuplex?* 558
II. *Vtrum cambium siccum sit licitum?* 561
III. *De cambio reali, an sit licitum?* 562
IV. *An sit licitum cambium quod fit litteris quibus ponitur solutio ad primas nundi-*

Digitized by Google

nas, vel ad secundas? 568
V. *De societatis contractu, quid societas, & an sit licita?* 572
VI. *An societas ita contrahi possit, vt vnus sociorum teneatur saluam reddere sortem, & soluere quotannis certum lucrum exiguum pro magno incerto?* 575
VII. *De societate animalium.* 578
VIII. *De damnis & impensis sociorum.* 581

Tractatus 14. de emptione & venditione.

CAP. I. *Quid sit emptio & venditio?* 584
II. *Vtrum res possint emi vel vendi pluris aut minoris quam valeant, & quibus de causis?* 588
III. *De emptione & venditione ad terminum?* 591
IV. *Vtrum teneatur venditor aperire defectum seu vitium rerum venalium?* 595
V. *Ad quid teneatur Emptor?* 599
VI. *De emptione & venditione cum pacto retrouendendi.* 600

TRACTATVS PRIMVS, DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPVT I.

De peccato, quid sit, & quotuplex?

DOCENT omnes Theologi Sacramentum pœnitentiæ versari circa peccatum, tanquam circa materiam remotam, quapropter antequam de hoc Sacramento agamus, de peccati natura, eiusque diuisione, prius est nobis disputandum.

Dico ergo 1. peccatum in genere definiri hoc modo, recessus voluntarius à regula diuina, seu à præcepto diuino, cui conformare tenemur vitam & operationes nostras, Tol. l. 3. c. 10.

Dico 2. peccatum multipliciter diuiditur, &

Digitized by Google

primò in peccatum originale,& actuale:Secundò, diuiditur actuale, in veniale & mortale.Tertiò, mortale diuiditur in illud quod eſt tale ſimpliciter & abſolutè, & in illud quod eſt tale ex genere ſuo. Quartò, diuiditur peccatum in illud quod eſt commiſſionis,& in illud quod eſt omiſſionis. Quintò, in peccatum Cordis, Oris, & Operis.

Quid eſt peccatum originale? *Reſp.* Eſt quod omnes contrahunt ex Adam per naturalem propagationem: & definitur priuatio iuſtitiæ originalis debitæ, communi ſanguinis propagatione ab Adamo deriuata.

Quid intelligis per priuationem iuſtitiæ originalis? *Reſp.* Intelligi priuationem doni alicuius ſupernaturalis ipſi animæ à Deo infuſi, quod vel erat idem cum gratia, vel ſaltem cum Dei gratia coniunctum: quæ cum Deo mentem hominis, charitatis & amicitiæ nexu, ac vinculo ſociabat, ita Azor.l. 4.c.26.circa finem.

Quibus modis deletur peccatum originale? *Reſp.*1. In paruulis deleri per baptiſmum. *Reſp.*2. In adultis deleri per attritionem iunctam baptiſmo, vel per martyrium, vel per cordis pœnitentiam, vel per verum, & feruentem charitatis actum,cum voto explicito, vel implicito baptiſmatis. Sic Azor.tom.1.l.4.c.34.verſu octaua ſententia circa finem.

Quid eſt peccatum actuale? *Reſp.* Eſſe actum voluntarium contra legem æternam,ſeu vt diximus ſupra receſſum voluntarium à lege diuina.

Quid eſt peccatum mortale? *Reſp.* Eſſe illud quod mortem ſpiritualem animæ infert,priuans

eam gratia Dei, & consequenter dissoluens amicitiam cum eo, & constituens peccatorem reum æternæ pœnæ: vel vt alij dicunt peccatum mortale, est auersio hominis ab vltimo suo fine: seu creatore, & conuersio eiusdem ad creaturam, magis eam amando quam Deum, quod euidenter ex eo manifestat, quod eius præcepta non seruet ob amorem illius creaturæ.

Quid est peccatum veniale? est quod non dissoluit amicitiam cum Deo, nec priuat gratia, nec auertit hominem ab vltimo suo fine, habet tamen aliquid inordinatum à regula diuina, in quantum non est secundum voluntatem Dei, licet non sit contra, dicitúrque veniale, eò quod sit venia dignum: mortale verò sic appellatur quia morte æterna dignum.

Quid est peccatum mortale, quod est tale absolutè, & simpliciter? *Resp.* Esse recessum voluntarium à regula diuina, seu à præcepto diuino, Dei gratia priuantem, & æternæ morti adiudicantem peccatorem.

Quid est peccatum mortale, quod ex genere suo est tale? *Resp.* Esse illud quod ex se potest inducere mortem æternam, & priuare gratia: attamen per accidens impeditur, ne talem inducat effectum: quod potest euenire duplici modo. 1. Ex leuitate materiæ, quale est furtum rei minimæ. 2. Ex defectu perfectæ libertatis, vel aduertentiæ, vt motus subiti vindictæ, iracundiæ &c. legendus. Tolet. 1. & 2. c. libri octaui.

Quid est peccatum commissionis. *Resp.* Esse actum culpabilem transgredientem præceptum negatiuum. Vt furtum, homicidium, fornicatio,

hi enim actus sunt contra præcepta negatiua, non furaberis, non occides, non mœchaberis.

Quid est peccatum omissionis? *Resp.* Esse priuationem actus, contra præceptum affirmatiuũ: vt omissio Diuini officij, in clericis, vel missæ, omissio confessionis annuæ, vel communionis in Paschate, sunt enim huiusmodi omissiones contra præcepta affirmatiua audiendi sacrum, recitandi officium, confitendi, vel communicandi in Paschate. Fernand. 4. c.1.§. 1. Filiuc. tract 21 c.7.q.1.

Peccatum omissionis potestne esse sine actu? *Resp.* Posse metaphysicè loquendo, sed tamen moraliter loquendo non posse. Az. tom. 1. l. 4. c.3. quæst.3. versu, quare respondeo.

Quid est præceptum affirmatiuum? *Resp.* Esse illud quod aliquid præcipit, vt præceptum diligendi Deum & proximum, honorandi parentes, &c.

Quid est præceptum negatiuum? *Resp.* Esse quod prohibet aliquod opus, qualia sunt præcepta non furandi, non occidendi, &c.

Quid est peccatum cordis? *Resp.* Est quod completur in ipsa ratione & voluntate: vt odium Dei, vel proximi.

Quid est peccatum oris? *Resp.* Quod consummatur in sermone vt mendacium, detractio.

Quid est peccatum operis? *Resp.* Quod opere & actione externa perficitur, vt furtum, homicidium; &c.

CAPVT II.

De diuiſione peccati venialis, an poſſit veniale fieri mortale, quibus modis poſſit diſcerni veniale à mortali, vbi etiam aſſignantur regulæ ad cognoſcendum quando peccatum aliquod eſt mortale?

DIco 1. peccatum veniale eſt triplex, vnum dicitur tale ex genere ſuo, eſtque quod ex obiecto & materia graue non eſt, ſed leue, vt verbum otioſum: ſecundum dicitur veniale ex lenitate materiæ, vt rei minimæ furtum: tertium dicitur veniale ex imperfectione actus, tales eſſe ſolent ſubiti nec deliberati impietatis, odij, deſperationis, & inuidiæ actus, talia itidem imperfecta libidinis deſideria, & huiuſmodi venialia ſæpe contingunt in interioribus animi actibus, & in motibus noſtri appetitus ſenſitiui, cum eos ratio, vt poſſet & deberet, non coërcet, & reprimit. Az. tom. 1. l. 4. c. 9. q. 7.

Dico 2. peccatum veniale in eo diſtingui à mortali, quod veniale ex ſe tantum mereatur pœnam temporalem, mortale vero pœnam eternam m. 2. Quia peccatum veniale charitatem Dei, & hominis grauiter non lædit, contra vero peccata mortalia Deum, & proximum grauiter offendunt. 3. Peccata quæ quis committit ſolum contra ſuum bonum, magna ex parte ſunt venialia ex genere ſuo, vt cùm quis peccat vanè, &

inutiliter, cogitando, concupiſcendo, ſe oblectando, immoderatè ridendo, cachinnum tollendo, impatientiùs reſpondendo, tempus otio terendo, loquendo quantum & quando libet, negligenter preces recitando, oſcitanter confitendo, intemperanter comedendo, bibendo, ſe ingenio, forma, viribus, memoriâ omnibus aliis præferendo, dixi (magna ex parte) quia certum eſt hæc eſſe aliquando mortalia.

Dico 3. peccatum veniale, per accidens poteſt fieri mortale, quinque modis. 1. Si quis illud committat cum ea præparatione animi, vt quantumuis mortale eſſet, illud tamen committeret, quo ſenſu dicitur diſt. 25. cap. vnum orarium, velut ex Auguſt. nullum peccatum eſſe adeo veniale, quod non fiat lethale, ſi placet. 2. Si perpetretur in aliquem finem, qui ſit peccatum mortale, vt ſi quis diceret verbum otioſum propter actum fornicarium impetrandum. 3. Si quis illud perpetret in contemptum legis, aut legiſlatoris. 4. Si illius perpetratione ſequatur graue nocumentum, ſiue animæ, ſiue corporis, vt ſi quis eſſet cauſa homicidij aut blaſphemiæ ex leui mendacio. 5. Si quis peccatum ipſum veniale perpetret dubitando, aut credendo ſe perpetrare mortale, quia tunc tale efficitur ex conſcientiæ erroneæ dictamine. Ita Reginal. c. 9. de Prudent conf. ſect. 2.

Dico 4. quamuis difficile ſit præſcribere regulam aliquam, ad dignoſcendum quando peccatum aliquod ſit mortale ex genere ſuo, ſequentes tamen communiter aſſignari ſolent.

Prima, illud habendum eſt peccatum ex ge-

nere ſuo mortale, quo grauem iniuriam inferri Deo, aut proximo, aut nobis ipſis, ratio naturalis dictat, vt odium Dei, adulterium, luxuria, crapula aſſidua.

Secunda, ea peccata cenſentur mortalia, ob quæ ſacræ ſcripturæ hominem à regno cœlorum excludunt, item ob quæ mortem temporalem proponunt, vt quando dicit Chriſtus, expedire vt ſcandalizantis collo appendatur mola aſinaria, & demergatur in profundum maris, Matth. 18. item, quando dicit Paulus, neque molles, neque adulteros, &c. poſſeſſuros regnum Dei.

Tertia regula, ille mortaliter peccat qui legem humanam ad mortale obligantem, iuſtam, promulgatam, ac receptam, nec abrogatam, poſt elapſum tempus ad obligationem requiſitum tranſgreditur, ſine ignorantia inuincibili aut alia iuſta cauſa illum excuſante, aut diſpenſatione valida, vt qui non confiteretur peccata, ſemel in anno, abſque iuſta cauſa, qui non ieiunaret cum poteſt, &c. Reginal. loco citato.

Quarta regula addi poteſt, peccata quæ contra aliquam virtutem Theologicam fidem, ſpem, vel charitatem committuntur, ex genere ſuo ſunt lethalia, vt peccata hæreſis, odij Dei, deſperationis: &c. ſed reuera hæc regula coincidere videtur cum prima, vel ſaltem parum differt ab ea.

CAPVT III.

De Conſenſu in peccatum.

CErtum eſt apud omnes Doctores, nullum peccatum mortale poſſe committi abſque perfecto conſenſu, qui ex perfecta grauitatis obiecti aduertentia procedit, Leſſ. l. 2. c. 29. dub. 2. n. 10. Bonac. de peccatis, diſp. 2. q. 2. p. 3. nu. 3. & 15. & alij quos ipſe citat. Sufficit autem vt conſenſus in peccatum ſit vel expreſſus, vel virtualis, vel interpretatiuus: quod vt intelligas.

Primò, notabis conſenſum eſſe actum voluntatis, quo approbat ſententiam ſibi à iudicio ſiue ratione propoſitam, nam vt rectè docet D. Bonau. conſenſus eſt concordia rationis, & voluntatis, ad aliquid faciendum.

Secundò, notabis conſenſum eſſe triplicem, expreſſum ſeu explicitum, quem alii formalem, & directum vocant; virtualem; & interpretatiuum ceu tacitum, indirectum & implicitum: Conſenſus expreſſus formalis, directus, ſeu explicitus eſt, quando voluntas actu expreſſo appetit, aut odio habet, amplectitur, aut abiicit, quod ei ab intellectu proponitur, tanquam bonum aut malum: & hic conſenſus exprimitur per verbum volo. Conſenſus virtualis, eſt, qui manat & profluit ab actuali, qui cenſetur tamdiu durare, quamdiu non eſt reuocatus, interruptus, aut impeditus per actum contrarium: V. G. qui dicit volo ire Romam, & ſe accingit itineri ex-

Digitized by Google

preſſè, & directè conſentit: Si poſtea reliquum iter perficiat, nihil amplius cogitando de Roma, dicitur tamen ille virtualiter velle ire Romam, & virtualiter conſentire huic peregrinationi.

Conſenſus interpretatiuus eſt quando voluntas poſt ſufficientem & plenam rationis aduertentiam poteſt impedire conſenſum & non impedit eo tempore quo poteſt, & ſi huiuſmodi cõſenſus ſit de re ſeu obiecto ex genere ſuo mortali, erit peccatum mortale; Si verò ſit de obiecto veniali ex genere ſuo, erit etiam peccatum veniale: & ſi ſit de obiecto non culpabili, nec etiam conſenſus erit culpabilis, quia conſenſus ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſed quòd ſit peccatum habet ab obiecto ſuo in quod conſentitur. Syl. verbo delectatio. §. ſecundùm V. G. in partem inferiorem irrepit & influit certa quædam delectatio ex cogitatione turpi & immunda, iam ſi poſtquam eam delectationem in parte inferiori ratio animaduertit, & probabile periculum conſenſus partis ſuperioris præuidit, voluntas eam non cohibet & reptimit eo tempore quo poteſt, & debet, procul dubio tacitè, implicitè, & interpretatiuè conſentit delectationi, & conſequenter incidit in peccatum mortale, quod animam priuat gratia & amicitia Dei.

CAPVT IV.

De *delectatione morosa.*

QVæres primò quid sit delectatio morosa? *Resp.* esse quando homo liberè immoratur in delectatione, quam potest & tenetur prohibere; & non prohibet, nec remouet propter ipsam delectationem; quia nimirum vult ea delectari, & si ea delectatio sequatur ex cogitatione de actu turpi, cum intentione se oblectandi, licet absit intentio perficiendi, erit illa cogitatio peccatum mortale, quæ dicitur cogitatio vel delectatio morosa, non à mora temporis Physici siue continui, quia potest esse repentè, sed à morâ quam circa voluptatem ratio facit, dum eam non repellit, sed eam tacitè acceptat, quod esse potest in instanti temporis, quæ cogitatio morosa habet locum non solum in turpibus, sed etiam in homicidio, & omnibus peccatis.

Hîc notabis ex D. Th. quæstione de veritate, delectationem morosam esse duplicem, vnam, qua voluptati consentitur expressè, etiam sine intentione operandi, siue exequendi: & hæc indubitanter est peccatum mortale, alia qua libidini consentitur implicitè, & interpretatiuè, quam etiam idem D. Th. q. 15. de veritate art. 4. ad decimum, asserit esse peccatum mortale, ex eo quod cum ratio plenè & perfectè animaduertat delectationem insurgentem, & periculum consensus expressi in eam, non resistit cum deberet,

ſed tacitè & interpretatiuè admittit, eo tempore quo poteſt & tenetur comprimere; ſi tamen cogitatio non placeat, ſed eam ratio reſpuat licet tepidè, non erit hæc cogitatio morosa ſemper peccatum mortale, ſed aliquando veniale tantum, Syl. verbo, delect. 4. §. quartum.

Quæres 2. vtrum non compeſcere delectationem prauam ob bonum finem, ſit peccatum mortale? *Reſp.* diſtinguendo, in peccatis carnis, prætextus ille excuſans à peccato mortali dari non poteſt, aut certè difficulter, quia Patres præcipiunt fugam in eiuſmodi, at in aliis materiis, poſſet dari caſus excuſans, à mortali, & forte à veniali. Vt ſi quis non reprimeret appetitum vindictæ, aut cogitationem, aut delectationem, ex vindicta inſurgentem, cauſa vincendi, & pugnandi contra hanc tentationem non peccaret, imò mereretur, virtutem manſuetudinis exercendo.

Quæres 3. an in cogitationibus venereis ſit peccatum mortale, ſi voluntas non conſentiat poſitiuè, nec etiam poſitiuè diſſentiat, ſed tantùm permiſſiuè ſe habeat: *Reſp.* vix, id eſſe poſſe, ſine peccato mortali, Abſolutè tamen, ſi non eſſet periculum formalis, & expreſſi conſenſus, & voluntas aliò ſe diuerteret, poſſet fortè id contingere ſine peccato mortali, diceretur enim non eſſe ibi conſenſum interpretatiuum, quia vt ſupra diximus, interpretatiuus conſenſus eſt, cum voluntas, præuiſo per rationem periculo conſenſus expreſſi ſeu formalis, in delectationem, vel cogitationem de re turpi in ſenſu excitatam, eam non reprimit cum poteſt, & debet. At vt ſuppo-

nimus nullum est periculum consensus expressi in eam delectationem: & aliunde est causa quædam rationabilis, non luctandi per resistentiam positiuam, vt quia. V. G. disturbaret à præstanda debita attentione circa confessionem pœnitentis, ergo nec obligatio sub mortali eam delectationem directè repudiandi, ita Angelus verb. cogitatio, num. 2. Caiet. verbo delectatio morosa, §. magna tamen. Nau. in man. c. 9. n. 12. & 13. versu, quartum, vt absque rationabili causa, Diana tract. 3. Miscell. resol. 33.

Quæres 4. an in delectatione morosa confitendæ sint circumstantiæ operis. V. G. delectatio de coniugatâ, de consanguineâ, *Resp.* 1. Si delectatio sit coniuncta cùm efficaci intentione perficiendi actum, circumstantiæ sunt confitendæ: vt si quis cogitando de actu venereo cum consanguinea, aut maritata, inde oblectaretur, cum voluntate complendi si opportune posset, essent illæ circumstantiæ aperiendæ in confessione, *Resp.* 2. Si delectatio illa sit de solo actu turpi, abstrahendo à circumstantiis sine intentione perficiendi, sed cum sola intentione percipiendi delectationem, consentiendo in oblectationem quæ est de illo actu, non sunt confitendæ circumstantiæ: complacentiæ enim delectatio de coniugata, non versatur circa illud obiectum, quatenus est iniuriosum alteri nimirum marito, sed quatenus est delectabile secundum tactum, nimirum quia mulier pulchra. Sic Reginal to. 2. l. 12. c. 2. sect. 3. n. 3.

Quæres 5. vtrum coniuges absentes, cogitantes & delectationem capientes ex maritali

congreſſu præterito vel futuro peccent mortaliter? *Reſp.* non peccare quidem mortaliter, etiam ſi ex tali cogitatione & delectatione procederet aliqua commotio, & alteratio, in partibus ſecretioribus, modò ea eſſet abſque periculo pollutionis, at certè peccarent ſaltem venialiter, quia delectatio illa caret debito fine.

Quæres 6. an ſi vidua carnaliter delectetur de præterito actu maritali, & ſponſa de futuro congreſſu, peccet mortaliter? *Reſp.* 1. Si vidua ſolum delectetur de præterita copula, ex qua olim delectationem percepit, reiectâ complacentia præſentis concupiſcentiæ, tunc non peccat mortaliter. Si verò ex hac delectatione inſurgant motus concupiſcentiæ in appetitu ſenſitiuo, iiſque oblectetur & conſentiat, tunc peccat mortaliter, tametſi nullum aliud conſenſus vel peccati periculum ſibi creet, ita Syl. verbo. delect. q. 3. Az. l. 4. c. 6. q. 6. quod idem dicendum eſt de homine viduo.

Reſp. 2. ſponſos de futura coniugali copula ſe ſe oblectantes cum complacentia præſentis concupiſcentiæ peccare mortaliter, quia delectantur de re vt preſenti, quæ tamen eſt tantum in ſpe, & deſiderio, atque adeò in ſe non ſubſiſtit. Sic Az. loc. cit. q. 7. poſt Cordub. l. 1. q. 23. dub. 13. Diana tract. Miſcell. reſol. 2.

Quæres 7. an ſint liciti tactus, & oſcula inter ſponſos de futuro, & an peccent mortaliter, ſi non reſpuant delectationem ex his tactibus & oſculis inſurgentem? *Reſp.* Tactus, amplexus, aſpectus, & oſcula eſſe licita inter coniuges, & ſponſos de futuro, dummodo tactus & aſpectus

nimus nullum est periculum consensus expressi in eam delectationem: & aliunde est causa quædam rationabilis, non luctandi per resistentiam positiuam, vt quia. V. G. disturbaret à præstanda debita attentione circa confessionem pœnitentis, ergo nec obligatio sub mortali eam delectationem directè repudiandi, ita Angelus verb. cogitatio, num. 2. Caiet. verbo delectatio morosa, §. magna tamen. Nau. in man. c. 9. n. 12. & 13. versu, quartum, vt absque rationabili causa, Diana tract. 3. Miscell. resol. 33.

Quæres 4. an in delectatione morosa confitendæ sint circumstantiæ operis. V. G. delectatio de coniugatâ, de consanguineâ, *Resp.* 1. Si delectatio sit coniuncta cùm efficaci intentione perficiendi actum, circumstantiæ sunt confitendæ: vt si quis cogitando de actu venereo cum consanguinea, aut maritata, inde oblectaretur, cum voluntate complendi si opportune posset, essent illæ circumstantiæ aperiendæ in confessione, *Resp.* 2. Si delectatio illa sit de solo actu turpi, abstrahendo à circumstantiis sine intentione perficiendi, sed cum sola intentione percipiendi delectationem, consentiendo in oblectationem quæ est de illo actu, non sunt confitendæ circumstantiæ: complacentiæ enim delectatio de coniugata, non versatur circa illud obiectum, quatenus est iniuriosum alteri nimirum marito, sed quatenus est delectabile secundum tactum, nimirum quia mulier pulchra. Sic Reginal to. 2. l. 12. c. 2. sect. 3. n. 3.

Quæres 5. vtrum coniuges absentes, cogitantes & delectationem capientes ex maritali

congreſſu præterito vel futuro peccent mortaliter? *Reſp.* non peccare quidem mortaliter, etiam ſi ex tali cogitatione & delectatione procederet aliqua commotio, & alteratio, in partibus ſecretioribus, modò ea eſſet abſque periculo pollutionis, at certè peccarent ſaltem venialiter, quia delectatio illa caret debito fine.

Quæres 6. an ſi vidua carnaliter delectetur de præterito actu maritali, & ſponſa de futuro congreſſu, peccet mortaliter? *Reſp.* 1. Si vidua ſolum delectetur de præterita copula, ex qua olim delectationem percepit, reiectâ complacentia præſentis concupiſcentiæ, tunc non peccat mortaliter. Si verò ex hac delectatione inſurgant motus concupiſcentiæ in appetitu ſenſitiuo, iiſque oblectetur & conſentiat, tunc peccat mortaliter, tametſi nullum aliud conſenſus vel peccati periculum ſibi creet, ita Syl. verbo. delect. q.3. Az. l. 4. c.6. q. 6. quod idem dicendum eſt de homine viduo.

Reſp. 2. ſponſos de futura coniugali copula ſe ſe oblectantes cum complacentia præſentis concupiſcentiæ peccare mortaliter, quia delectantur de re vt preſenti, quæ tamen eſt tantum in ſpe, & deſiderio, atque adeò in ſe non ſubſiſtit. Sic Az. loc. cit.q.7. poſt Cordub. l.1.q. 23.dub. 13. Diana tract. Miſcell. reſol. 2.

Quæres 7. an ſint liciti tactus, & oſcula inter ſponſos de futuro, & an peccent mortaliter, ſi non reſpuant delectationem ex his tactibus & oſculis inſurgentem? *Reſp.* Tactus, amplexus, aſpectus, & oſcula eſſe licita inter coniuges, & ſponſos de futuro, dummodo tactus & aſpectus

non ſint impudici & abſit periculum pollutionis, vel conſenſus in eam, ex quo conſequenter dicendum non peccare mortaliter, imò quamuis ſequeretur pollutio ex his tactibus, amplexibus, aſpectibus, colloquiis & oſculis, cum modeſtia & vrbanitate factis, eſſetque præuiſa, ſed non intenta, modo abſit periculum conſenſus, non peccarent mortaliter, nec delectationes & commotiones ſenſibiles ex his ortæ, ſunt peccaminoſæ, cùm hi aſpectus, tactus, amplexus minimè impudici nequaquam poſſint omitti, aut denegari, ſine prejudicio affabilitatis aut vrbanitatis, ita Sanch. de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 47. num. 49. Diana, tract. 3. Miſcell. reſol. 6.

Quæres 8. an maritus abſente vxore, vel vxor abſente marito poſſit ſe voluptatis causâ tangere, ſecluſo pollutionis periculo? *Reſp.* Cum Sanche lib. 9. de matrim. diſp. 44. n. 16. non peccare mortaliter ſi ſe tangat modo prædicto.

Quæres 9. an in rebus venereis detur leuitas materiæ ſicut in aliis peccatis? *Reſp.* Quod non, ita ſentiunt Sanches, de matrim. lib. 9. diſp. 46. n. 9. Rebell. part. 2. l. 3. q. 19. Leſſ. lib. 4. c. 3. nu. 59. Diana. tract. 5. Miſcell. reſol. 1.

Quæres 10. an puellæ quæ ſenſuali amore & iuuenum pulchritudine allectæ conſentiunt in delectationem de cogitatione oſculorum & amplexuum mortaliter peccẽt? *Reſp.* Quòd ſi delectatio ipſa non ſit ex amore libidinoſo ſed caſto, ſicut dum ſoror fratrem oſculatur, eſt tantum peccatum veniale, vel etiam nullum ſecundum qualitatem amoris; Si verò delectatio ſit ex amore libidinoſo, conſenſus erit peccatum mortale.

Digitized by Google

Syl. verbo delectatio. quæst. 5.

Quæres 11. Quid dicendum de Chirurgis qui dum medentur mulierum verendis, patiuntur pollutiones quibus consentiunt, debentne ab illarum curatione abstinere, vel vtrum possint prosequi medicamentorum applicationem cum firmo proposito non consentiendi? asserunt quidam licere Chirurgo etiam cum periculo pollutionis mederi mulierum pudendis, modò tamen semper sit determinatus non consentire, quod etiam extendunt ad parochum qui ex confessionibus vel auditis vel audiendis, expertus est voluntarias pollutiones, dummodò priusquam accedat ad auscultandas huiusmodi confessiones habeat firmum propositum nullo, modò consentiendi, quia inquiunt, non est peccatum exponere se periculo peccandi, ex causa necessaria & vrgenti; At contraria sententia est Less. loc. cit. n. 98. vbi asserit esse peccatum mortale, exponere se probabili periculo peccandi, & ita tenendum quia probabilior & tutior.

Quæres 12. an qui delectatur sensibili delectatione de esu carnis mēte concepto in die Veneris, peccet mortaliter? *Resp.* Quod non, quia præceptum positiuum humanum per se non prohibet actus internos, sed tantum externos, Less. loco cit. n. 114. & alij.

Quæres 13. quænam sit differentia inter desiderium & delectationem? *Resp.* hanc esse, quod desiderium refertur ad opus externum, tanquam progressus quidam & motus ad terminum, Delectatio verò quam vocant simplicem complacentiam ad opus externum minimè refertur, sed

ſolum eſt ſimplex quidam voluntatis affectus, quo res obiecta tanquam iucunda placet, & grata & accepta habetur.

Quæres vltimò an illa mulier peccet mortaliter quæ inter confabulandum cum viro, ſibi in matrimonium coniungendo dicit illi verba amatoria, & affectuoſa vnde poſteà incidit in pollutionem ſiue diſtillationem, ſine tamen vlla delectatione vel periculo alicuius conſenſus, imo cū maximâ diſplicentiâ? *Reſp.* Quod non peccat mortaliter, nec eſt ei deneganda abſolutio etiam ſi nolit abſtinere ab his ſermonibus, quamuis conſultius faceret ſi abſtineret: quia hæc pollutio licet præuiſa, & non intenta non procedit à cauſa mortaliter peccaminoſa in materia luxuriæ, ſed tantum venialiter, pollutio enim in tantum eſt mala, in quantum eſt intenta in cauſa in qua præuidetur, ergo vbi cauſa eſt tantum mala venialiter, & pollutio non procuratur, nec intenditur: ex hac cauſa, non erit hæc ſeminis effuſio peccatum mortale, ſed tantum veniale; & hoc eſt benè notandum. Hanc ſententiam tuentur multi doctores, apud Dianam tract. 1. miſcell. reſol. 31. quem conſule, & non pigebit.

Caput V.

De materia, & forma peccati?

IN quolibet peccato duo ſunt, materia ſcilicet, & forma, materia eſt actus ille qui reperitur in peccato commiſſionis, vt in homicidio, percuſſio

tussio est materia illius peccati; in peccato vero omissionis, defectus operationis, est materia illius, forma vero peccati, est recessus à regula diuinâ, siue contra faciendo, vt quando committitur peccatum mortale, siue extra, vel non secundum illã, vt cum fit peccatum veniale, vnde consequenter dicendum essentiam peccati consistere in priuatione rectitudinis, & conformitatis ad regulam diuinam, seu bonitatis quæ rectæ rationi debetur, ita Tolet. l. 3. c. 3. Az. tom. 1. l. 4 c. 1. q. 6. Filiuc. tract. 21. c. 6. q. 2. cum multis aliis Theologis.

Peccati mortalis effectus duo sunt, macula, & reatus: Macula est gratiæ priuatio, quæ est pulchritudo animæ eiusque ornamentum: Reatus est obligatio ad pœnam æternam, quæ peccato mortali debetur; ea est duplex, damni, & sensus: pœna damni consistit in priuatione visionis beatificæ: pœna sensus consistit in tormentis quæ infliguntur animæ, & post mortem infligenda sunt singulis corporis membris. In peccato veniali suo modo reperiuntur hæc omnia, præter maculam, quia non expellit gratiam, licet feruorem charitatis, & deuotionem aliqua ex parte extinguat, & infrigidet, saltem quamdiu voluntas peccato quod commisit inhæret, nec per actum pœnitentiæ Deo gratum & acceptum se à bono quod inordinatè diligit, auertit.

Quæres 1. quotiam modo dimittantur peccata venialia? *Resp.* Per actum attritionis, vel feruentis amoris, per aquam benedictam, per pectoris tunsionem, & multis aliis modis de quibus, Az. loco cit. c. 10. & c. 1. quem consules.

Quæres 2. quomodo deleantur peccata mortalia? *Resp.* Per actum veræ contritionis, vel dilec-

ctionis Dei ſuper omnia cum propoſito confitendi, itemque per attritionem non ſolam, ſed iunctam Sacramento pœnitentiæ. Vbi etiam notabis peccata mortalia, eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ, venialia vero ſufficientem, niſi dubium eſſet quod ſint mortalia, quia tunc neceſſariò eſſent confitenda: quæ omnia pleniùs accipies ex his quæ dicemus infrà de partibus eſſentialibus Sacramenti pœnitentiæ.

CAPVT VI.

De contritione, & attritione.

DIco primò cõtritionem eſſe animi dolorem, ſeu deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. quæ definitio ſic eſt intelligenda, vt contritio ſit, peccati præteriti, vt eſt Dei offenſa, voluntaria deteſtatio, cum propoſito futura ſupra omnia vitandi, & commiſſa confitendi: ad eam amor Dei ſuper omnia requiritur, non qui tunc eliciatur, ſed qui virtute maneat, formale propoſitum non peccandi de cætero, ſi per ſe loquamur, ad illam eſt neceſſarium, at per accidens ſatis eſt virtuale. Puteanus in 3. p. q. 90. dub. 1.

Actus contritionis ſemper eſt coniunctus cum gratia, non ideo tamen procedit à gratia habituali, effectiuè, ſed ab alia priore, quæ cõſiſtit in Diuina motione & illuſtratione, qua voluntas humana adiuta elicit actum contritionis. Filiuc. tom. 1. tract. 6. c. 7. q. 6.

Dico ſecundò attritionem eſſe deteſtationem

peccati disponentem hominem ad gratiam, remotè tamen, & insufficienter ex se solâ, proximè vero, & sufficienter cum Sacramento. Ita D Th. in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. Suar. tom 4. in 3. part. disp. 20. sect. 1. num. 9. & alij.

Quæres an qui cognoscit se solum habere attritionem, & non contritionem, sit debitè & sufficienter dispositus ad accipiendum effectum Sacramenti, & non peccet sic accedendo ad Sacramentum? *Resp.* Eum qui cognoscit se tantum attritum, non peccare sic accedendo ad Sacramentum pœnitentiæ, cumque recipere gratiam, & effectum Sacramenti, & (vt dicunt) efficitur talis, ex attrito contritus, id est, recipit gratiam sanctificantem, virtute Sacramenti, quæ eumdem habet effectum ac ipsa contritio, nam vt contritio se sola delet peccata quia est informata gratia habituali, sic etiã Sacramentum pœnitentiæ, infundit gratiam habitualem, & sanctificantem animæ per attritionem dispositæ. Suar. loc. cit. num. 3. Tolet. l. 3. c. 4. & clarius c. 10. dixi autem attritionem putatam talẽ, sufficere ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, quia illud est Sacramentum mortuorum (vt vocant) At in Sacramentis viuorum, vt est Eucharistia, Confirmatio, ea non sufficeret.

Quæres in quo differant contritio, & attritio? *Resp.* 1. Differre in eo quod contritio sit perfectus dolor, seu perfecta detestatio & pœnitẽtia, Attritio vero imperfecta. 2. Differunt in eo quod contritio est detestatio peccati, efficaciter remouẽs voluntatẽ ab amore creaturarum inordinato, propter Deum summè bonum, & summè dilectum. Attritio vero est quidem detestatio peccati, etiam efficax ad auertendam voluntatem ab affectu peccati, & ex

motiuo etiam ſupernaturali, ſed non propter Deū, quatenus eſt ſummum bonum, & ſummè dilectum, Val. tom. 4. diſp. 7. q. 8. punct. 20. Tertiò, differunt, quod contritio includit amorem Dei ſuper omnia, attritio vero non item: contritio enim procedit ex amore & timore filiali, attritio contra ex ſeruili. 4. Contritio deteſtatur peccatum ſuper omne deteſtabile, Attritio non item. 5. Contritio ſemper eſt ex voluntate efficaci deſtruendi culpam commiſſam, attritio non ſemper, cum poſſit eſſe coniuncta cum peccato mortali. 6. Contritio ex vi motiui ſemper eſt vniuerſalis, quia eſt de peccato, vt eſt offenſa Dei. Attritio non ſemper, ſæpe enim habebit motiua particularia, peculiares deformitates periurij, vel adulterij: aduertè tamen attritionem requiſitam ad recipiendum validè Sacramentum pœnitentiæ, debere ſemper eſſe ex motiuo ſupernaturali, vt ſit proportio inter diſpoſitionem & formam, inter medium & finem: vnde qui deteſtaretur peccatū propter infamiam, aut detrimentum aliquod temporale, quod incurrit, vel in bonis fortunæ, vel in bonis corporis, & ſciēter cum tali dolore accederet ad Sacramentum pœnitentiæ, peccaret mortaliter, & nullū effectum Sacramenti perciperet, quod ſi neſciret inuincibiliter an ex tali motiuo naturali peccatum ſuum deteſtaretur, probabile quidam Doctores cenſent tunc validum fore Sacramentum licet informe, vel ſaltem peccata in eo Sacramento confeſſa non teneretur iterum confiteri.

Quæres 1. quænam attritio ſufficiat ad iuſtificationem vnà cum Sacramento pœnitentiæ? *Reſp.* Eam ſufficere qua quis ſub ſpe veniæ, vetè deteſtatur culpam præteritam, cum propoſito vitandi in

futurum, ob pœnas inferni, vel ob fœditatem quã peccatum inducit in animam, eam gratia priuãdo. Ita Tolet.loc.cit.c.10. Filiuc.loc.cit.q. 9.& 10.

Quæres 2. quando quis obligetur ad præceptum contritionis? *Resp.* 1. obligari in articulo & probabili periculo mortis. Ita communiter omnes Doctores, Putean.loc.cit.dub.vlt. concl.vlt. 2. Quando est periculum mortis spiritualis, incidendi in alia peccata mortalia, nisi conteratur de præteritis. 3. Quando quis administrare debet vel recipere Sacramenta aliqua quæ requirunt gratiam in administrante, vel recipiente, & alioqui non adest commoditas confessionis faciendæ, ita Suar.loco cit. disp.15. sect.6. n.5.

Quæres 3. an de singulis peccatis mortalibus necessariæ sint singulæ contritiones? *Resp.* 1. Contritionem debere esse de omnibus peccatis mortalibus. *Resp.* 2. Non requiri tot contritiones quot sunt peccata, sed satis esse vnam generalem omniũ super omnia, quæ virtute se extendat ad quælibet peccata mortalia. Tol. loc.cit.c.5.n.2.

Quæres 4. quanta debeat esse contritio? *Resp.* Quamcumque contritionem sufficere, dummodo sit super omnia appretiatiuè & æstimatiuè, quod fit, quãdo dolor seu detestatio fit de peccatis commissis quatenus sunt offensa Dei, & quidem ex motiuo complacentiæ solius Diuinæ bonitatis, & cũ proposito de cætero non peccandi, ita vt nihil contra Deum, supra Deum vel æquè ac Deũ amemus, sed eum diligamus præ cæteris omnibus, ac pluris faciamus, quam cuncta omnia. Sic Putea.loc. cit.q.90.dub.5.concl.3.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT VII.

De confessione Sacramentali, quid sit confessio & qualis esse debeat?

Dico 1. confessionem esse humilem ac deuotam, & secretam accusationem peccatorum suorum, coram Sacerdote authoritatem habente, ad petendam ab eo absolutionem. Huius definitionis explicationem vide apud Gammachæum in 3. part. D. Tho. de Pœnit. Sacram. c. 10.

Dico 2. sexdecim numerari qualitates confessionis, quæ continentur his versibus.

Sit simplex, humilis, confessio, vera, fidelis
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Ex quibus sexdecim conditionibus, aliquas tantum attingemus, alias explicatu non necessarias omittendo. quare

Dico 3. quamuis confessio non debeat necessario esse secreta, quia posset fieri coram multis, tamen non careret culpa, qui absque causa vellet alio modo confiteri, propter Ecclesiæ consuetudinem. Ita Filiuc. tom. 1. tract. 7. c. 1. q. 7.

Dico 4. confessionem debere necessariò fieri propria voce, si pœnitens loqui possit, ob Ecclesiæ consuetudinem, nec aliter fieri, licet sine peccato mortali, aliquando tamen nullum erit peccatum, si adsit rationabilis causa faciendi alio modo, vt si

esset magna difficultas, vel verecundia vtendo propria voce, nam tunc posset scripto fieri, vel nutibus: posset etiam fieri confessio per interpretem, licet non teneatur pœnitens hoc modo confiteri: itemque per scriptum, sed sine obligatione, quia interpres & scriptum sunt instrumenta publica quantum est ex se, quibus pœnitens vti non tenetur ad propria peccata Sacerdoti exprimenda. Suar. disp. 21. sect 3. num. 4. & sequentibus.

Dico 5. Sacerdotem debere audire confessionem in præsentia pœnitẽtis, essetque graue peccatum, hunc modum confitendi voluntariè mutare, si tamen Sacerdos accedens ad absoluendum pœnitentem morti proximum, inueniat illum priuatum vsu omnium sensuum, ita vt nullum signum doloris aut peccati possit obtinere, poterit esse cõtentus aliorum relatione, quod petierit Confessarium, & voluerit confiteri, ad illum absoluendum, quamuis illum non audierit, valebitque absolutio. Syl. verb. confess. 3. q. 13. & alij.

Dico 6. confessionem debere esse diligentem, idest qui confiteri vult, debet prius diligenti examine se præparare, & omnia si possit peccata in memoriam reuocare, & qui aliter facit non debet audiri: hæc vero diligentia debet esse moralis, hoc est, ita fieri vt mediocrè aliquod adhibeatur studium, quantum humano modo sufficiat ad peccatorum recordationem, vt ipse pœnitens secundum rectum iudicium cognoscat se feciſſe quod in se est: vno verbo ea diligentia debet adhiberi, quæ vuigò requiri solet ad res grauiores, & maioris momenti, habita ratione personarum, quarum aliæ maiori ingenio pollent, aliæ sunt infirmiores. Ita Doct. omnes.

Dico 7. confessioni debere inesse veritatem, ita vt dicat pœnitens dubia cum dubio, & certa certò: ad veritatem etiam requiritur, vt pœnitens non neget ea quæ commisit, & sibi non imponat scienter, quæ non commisit, quia alioqui grauiter peccaret.

Dico 8. confessionem debere esse obedientem, id est pœnitens debet habere propositum exequendi, quidquid Confessarius judicauerit necessarium ad eius salutem & emendationem.

Dico 9. confessionem debere esse integram, tum quo ad numerum peccatorum, tum quo ad species, tum quo ad circumstantias, quæ omnia vt clarius intelligantur, sit

---

CAPVT VIII.

De integritate Confessionis.

DIco primò pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, ab vltima confessione perpetrata, quorum habet conscientiam, & remorsum, & hoc est de fide ex Concil. Lateranensi, cap. omnis. De pœnitentia & remiss. & ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5.

Dico secundò, non esse peccatum mortale, nec contra integritatem confessionis, confiteri ordinario confessario peccata tantũ lèuia, alij verò extraordinario peccata grauia, quãdo ocurrũt, modo quando confitetur ordinario, omnia dicat & nullum reticeat. Ita tenet Syl. verb. conf. 1. q. 6.

quamuis per accidens posset hoc esse peccatum mortale, si videlicet ideò pœnitens maneret in proxima occasione peccandi mortaliter, quam occultare confessori suo ordinario.

Dico 3. confessionem debere esse de peccatis omnibus, tam quoad speciem, quam quoad numerum. Concil. Trid. sess. 14. c. 5. Vasq. q. 91. art. 1. d. 1. & 5.

Dico 4. in declarando peccatorum numero, hunc modum esse tenendum, 1. si numerus certus cognoscitur est explicandus, si non cognoscitur dicatur probabilis plus minúsue: non tamen est excedendus notabiliter, sed sic dicendum, decies peccaui plus minùsue, quod si postea aduertat fuisse duodecim, non est necesse illa duo confiteri, secus si recordetur fuisse quindecim aut viginti, quia teneretur confiteri illum excessum, 2. si numerus probabilis haberi non potest, dicatur consuetudo & tempus, videlicet quod per mensem vel annum habet in consuetudine iurare & blasphemare: & si est Meretrix v. g. sufficit exprimere tempus & dicere, se per duos aut tres annos fuisse expositam cuicumque accedenti. Ita Filiuc. tom. 1. tract. 7. c. 4. num 82. & alii. Ex quo inferes cum Fagundes p. 2. l. 3. c. 11. n. 10. & c. 2. n. 5. agrestes homines qui inculto modo confitentur sine numero & diligentia, non cogendos esse ad repetendas confessiones factas cum indoctis parochis, cum enim bona fide confiteantur & vniformem vitæ modum & viuendi rationem habeant, statim ex confessione vnius anni coniiciet prudens Confessarius quantum in reliquis annis peccauerint, & quot numero peccata commiserint.

Dico 5. circunstantias speciem peccati mutan-

tes esse aperiendas in confessione. Et hoc est de fide ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & cap. 7. quod vt melius percipias, aduerte circunstantias peccatorum esse in quadruplici differentia: aliæ sunt quæ mutant speciem peccati, quæ propterea vocantur à Theologis aggrauantes in infinitum: aliæ sunt aggrauãtes in eadem specie peccati, cuiusmodi est Incestus in 1. vel 2. gradu, qui est multo grauior, quam in 3. vel 4. gradu, licet sit semper eadem species. 3. aliæ sunt circunstantiæ minuentes, vt quæ ex mortali faciunt veniale, 4. aliæ sunt impertinentes, & nullus ponderis, vt si quis furetur, dextra vel sinistra manu, occidat ferro vel ligno. De primis igitur circunstantiis intelligenda est quinta nostra propositio, de aliis nunc dicendum.

Dico 6. circunstantias aggrauantes in eadem specie non esse necessariò confitendas, quasi sint de integritate confessionis, & ob earum defectum possit reddi nulla confessio, quamuis tamen aliquando expediat illas confiteri, vt Cõfessarius opportunis remediis pœnitentem suum iuuare possit melius, eique salutaria monita, & conuenientem medicinam adhibere. Huius opinionis est Vasq. loc. cit. art. 1. dub. 2. cum multis aliis quos ipse citat.

Dico 7. circunstantias diminuentes esse confitendas, si mutent speciem; vt quando transferunt actum, de mortali in venialem, & multò magis quando tollunt omnino rationem peccati, vt si quis hominem occidisset, sed inculpatè, vel quando tollunt vnam malitiam mortalem, vt si quis occidisset clericum putans esse laicum hominem, inculpabiliter; si verò non mutent speciem, possunt

omitti ſine peccato, vt ſi quis peccauit pauper, aut diues.

Dico 7. circunſtantias impertinentes eſſe omnino omittendas, vt qui furatus eſt dextra, vel ſiniſtra manu.

Quæres 1. quænam ſint circunſtantiæ aggrauantes in infinitum. *Reſp.* eſſe eas quæ vel de veniali faciunt mortale, vt ſi quis diceret mendacium iocoſum vt fruatur muliere, vel faciat blaſphemare ſocium, vel quando mortale vnius ſpeciei faciunt alterius, vt ſi quis furetur in loco ſacro: vel quando ex circunſtantia multiplicatur peccatum, vt qui furatur vt occidat, vel quando circunſtantia habet annexam excommunicationem, vt qui ſcienter percuſſit clericum.

Quæres 2. an ſint explicandæ circunſtantiæ actuum interiorum? *Reſp.* confitendas eſſe ſi actus ſint efficaces, id eſt, ſi adſit intentio perficiendi ceu complendi; quòd ſi abſit hæc intentio, non ſunt explicandæ circunſtantiæ, vt iam diximus ſupra c. 4. cum de delect. moroſa dub. 4. Clauis regia l. 9. c. 7. n. 10. Diana tract. de circunſt. aggrau. reſol. 48.

Quæres 3. an ſint confitendæ circunſtantiæ interruptionis actus interni, v. g. quis odio habuit inimicum per menſem, quo tempore multos edidit actus internos odij in eum, teneturne explicare numerum horum actuum, an ſufficiat dicere tempus quo ſtetit in odio? *Reſp.* ſufficere explicare tempus, dummodo actus ille internus non fuerit interruptus per actum contrarium, & poſtea reſumptus, quia in eo caſu neceſſariò confiteri deberet numerum illorum actuum, quibus eandem odij voluntatem renouauit, & ſi interruptio fuit naturali-

tes esse aperiendas in confessione. Et hoc est de fide ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & cap. 7. quod vt melius percipias, aduerte circunstantias peccatorum esse in quadruplici differentia: aliæ sunt quæ mutant speciem peccati, quæ propterea vocantur à Theologis aggrauantes in infinitum: aliæ sunt aggrauãtes in eadem specie peccati, cuiusmodi est Incestus in 1. vel 2. gradu, qui est multo grauior, quam in 3. vel 4. gradu, licet sit semper eadem species. 3. aliæ sunt circunstantiæ minuentes, vt quæ ex mortali faciunt veniale, 4. aliæ sunt impertinentes, & nullus ponderis, vt si quis furetur, dextra vel sinistra manu, occidat ferro vel ligno. De primis igitur circunstantiis intelligenda est quinta nostra propositio, de aliis nunc dicendum.

Dico 6. circunstantias aggrauantes in eadem specie non esse necessariò confitendas, quasi sint de integritate confessionis, & ob earum defectum possit reddi nulla confessio, quamuis tamen aliquando expediat illas confiteri, vt Cõfessarius opportunis remediis pœnitentem suum iuuare possit melius, eique salutaria monita, & conuenientem medicinam adhibere. Huius opinionis est Vasq. loc. cit. art. 1. dub. 2. cum multis aliis quos ipse citat.

Dico 7. circunstantias diminuentes esse confitendas, si mutent speciem; vt quando transferunt actum, de mortali in venialem, & multò magis quando tollunt omnino rationem peccati, vt si quis hominem occidisset, sed inculpatè, vel quando tollunt vnam malitiam mortalem, vt si quis occidisset clericum putans esse laicum hominem, inculpabiliter; si verò non mutent speciem, possunt

omitti ſine peccato, vt ſi quis peccauit pauper, aut diues.

Dico 7. circunſtantias impertinentes eſſe omnino omittendas, vt qui furatus eſt dextra, vel ſiniſtra manu.

Quæres 1. quænam ſint circunſtantiæ aggrauantes in infinitum. *Reſp.* eſſe eas quæ vel de veniali faciunt mortale, vt ſi quis diceret mendacium iocoſum vt fruatur muliere, vel faciat blaſphemare ſocium, vel quando mortale vnius ſpeciei faciunt alterius, vt ſi quis furetur in loco ſacro: vel quando ex circunſtantia multiplicatur peccatum, vt qui furatur vt occidat, vel quando circunſtantia habet annexam excommunicationem, vt qui ſcienter percuſſit clericum.

Quæres 2. an ſint explicandæ circunſtantiæ actuum interiorum? *Reſp.* confitendas eſſe ſi actus ſint efficaces, id eſt, ſi adſit intentio perficiendi ceu complendi; quòd ſi abſit hæc intentio, non ſunt explicandæ circunſtantiæ, vt iam diximus ſupra c. 4. cum de delect. moroſa dub. 4. Clauis regia l. 9. c. 7. n. 10. Diana tract. de circunſt. aggrau. reſol. 48.

Quæres 3. an ſint confitendæ circunſtantiæ interruptionis actus interni, v. g. quis odio habuit inimicum per menſem, quo tempore multos edidit actus internos odij in eum, teneturne explicare numerum horum actuum, an ſufficiat dicere tempus quo ſtetit in odio? *Reſp.* ſufficere explicare tempus, dummodo actus ille internus non fuerit interruptus per actum contrarium, & poſtea reſumptus, quia in eo caſu neceſſariò confiteri deberet numerum illorum actuum, quibus eandem odij voluntatem renouauit, & ſi interruptio fuit naturali-

ter, vt persomnium, perdistractionem ad alia negotia, &c. non oportet explicare huiusmodi renouationem, sed tantum eius continuationem si notabilis est, dicendo per mensem, vel annum aliquem odio habui, &c. ita docet Melchior Canus, in relect. de pœnit. part. 5. & alij.

Quæres 4. an sit explicanda circunstantia scandali, v. g. an qui induxit aliquem ad homicidium, ad furtum, ad fornicationem, teneatur hoc explicare in confessione? *Resp.* quod sic imò & personarum numerum, quibus datum est scandalum, etiam vnico peccato debet exprimere: ita Filiuc. tom. 2. tract. 28. cap. 6. num. 216. & alij.

Quæres 5. an qui inducit ad peccatum, iam paratum ad peccandum, teneatur hanc circunstantiam explicare? *Resp.* quod non. Sic Az. p. 1. l. 12. c. 16. q. 5. Suarez 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 4. n. 18. & alij.

Quæres 6. an qui peccauit in die aliquo festo ex solemnioribus, vel eo die quo confessus est, vel sacram sumpsit Eucharistiam, teneatur hanc explicare circunstantiam? *Resp.* quod non, ita Bonac. de Sacramentis disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diff. 3. numero 29.

Quæres 7. an qui dormiuit cum matre vel sorore vel filiâ sibi iuncta spirituali, aut legali cognatione, vel affinitate, teneatur explicare personam vel gradum? *Resp.* quod non, sed satis esse, si dicat se commisisse incestum, vel coisse cum persona consanguinea, aut affine, vel spirituali cognatione connexa. Hîc aduerte parrochum, si rem habuit cum muliere à se baptisata, vel quam suscepit de sacro fonte, aut in confirmatione tenuit, teneri hanc circunstantiam aperire in confessione. Idem

iudicium de ſuſceptoribus infantum, ſiue ſuſcipiant è ſacro fonte baptiſmatis, ſiue è confirmatione. Idem de ſuſceptoribus & parentibus baptizati, item de baptizante & parentibus eiuſdem baptizati. Val. to. 4. diſp. 7. q. 11. punct. 1. Leſſ. l. 4. c. 3 dub. 11. n. 79. & alij. Denique idem eſt dicendum de parrocho, aut alio Cõfeſſario, qui cognouit carnaliter eam cuius confeſſionem ſolet accipere, ſi enim eam, non baptizauit, nec fuit eius ſuſceptor in baptiſmo, aut confirmatione, tamen tenetur dicere eſſe ſuam pœnitentem. Sic Azor. p. 3. l. 3 c. 6, q. 9. contrariam ſententiam tuetur: Emmanuel Sa verbo confeſſ. 1. n. 25. Diana tract. de circunſt. reſo. 12.

Caput IX.

Soluuntur plures difficultates de iiſdem circunſtantiis.

PRima difficultas eſt, vtrum ratione loci, opera carnis, & furta ſint ſemper ſacrilegia, & ideo ſit hæc circuſtantia in confeſſione dicenda? *Reſp.* quoſdam eſſe caſus in quibus hæc circunſtantia loci non eſt neceſſariò confitenda, & primò coniugati per aliquot dies in Eccleſia incluſi cõueniunt in actum coniugalem, actus ille non eſt ſacrilegus; Quot autem dies requirantur, non ſatis conſtat, nam alij exiſtimant requiri vnum menſem, alij viginti dies, alij quatuor aut quinque, ſed ego exiſtimo deciſionem temporis relinquendam eſſe arbitrio prudentis Confeſſarij, quam penſabit ex periculo incontinentiæ coniugatorum, alij enim diu-

tiùs continere possunt, alij minùs, legendus Diana tract. de circunstantiis resol. 19. Secundò, non est etiam sacrilegium, gestare reliquias in actu venereo; aut eas dare amasiæ, nisi darẽtur in pretium criminis ita Fil. tom. 2. tract. 30. n. 129.

Secundò non est sacrilegium habere copulam in priuato oratorio domus, in quo de licentia Episcopi Missa celebratur, neque si fornicatio committatur ad ianuam Ecclesiæ à parte exteriori, aut in cellis religiosorum, vel in sacristia. Ita Sanchez de matrim. tom. 3. l. 9. disp. 15. num. 23. & seqüentibus.

Tertiò tactus impudici facti in Ecclesia, sine periculo pollutionis, & absque intentione perpetrandi actum fornicarium, aut alium pertinentem ad naturam luxuriæ, non sunt sacrilegia, & ideo in confessione hæc circunstantia non est necessariò aperienda: aliud est de pollutione facta in Ecclesia, hæc enim circunstantia est aperienda in confessione, etiam si sit occulta, vt benè probat Suar. tom. 1. de relig. c. 7. num. 4. Dixi autem tactus turpes factos in Ecclesia non habere malitiam sacrilegij, si fiant sine periculo pollutionis, vt docet Sanch. tom. 3. de matrim. l. 9. d. 15. num. 21. Sed quia ille casus est solum possibilis logicè aut metaphysicè, & è contra moraliter semper est annexum turpibus tactibus ciusmodi pollutionis periculum, ideò si in Ecclesia fierent, præsumendum esset quòd haberent malitiam sacrilegij, nisi essent valde leues.

Quartò latrunculi qui furantur crumenas in Ecclesia, non committunt sacrilegium in confessione necessariò aperiendum. Ratio est, quia vt furtum habeat rationem sacrilegij, debet esse rei sacræ ac-

Digitized by Google

ceptio vt calicis, vel ad Ecclesiæ ornamentum deseruientis, vt mappæ, apetes, & similia huiusmodi, vel oblatæ ad cultum Ecclesiæ vt eleemosinæ in capsulis reconditæ, vel rei in Ecclesia datæ ad custodiam, pignus aut depositum, nec oblata ad Ecclesiæ ornatum, nec est res sacra, ergo illius acceptio in Ecclesia, facta contra Domini voluntatem, nō habet rationē sacrilegij. Sic Less. l. 2. c. 45. n. 14.

Secunda difficultas est vtrum vir qui prima vice virginitatem amisit, teneatur hanc circunstantiam explicare? *Resp.* quod non. Ita Azor. p. 3. l. 3. c. 11. q. 2. & alij. Idem assero de virgine quæ liberè absque vi, metu vel fraude suæ deflorationis consensu, vel quando sola polluitur, quia non est peccatum stupri quando nulla vis infertur flori virgineo. Less. l. 2. c. 10. dub. 1. Quod etiam extendo primò ad virginem puellam quæ morosé delectatur circa aliquem iuuenem, nec enim tenetur aperire virginitatis circunstantiam in confessione, etiam si inde polluereturSecundò, illud idem extēdo ad adolescentulum qui morosè delectatur de virgine, sine intentione inferendi virginī violentiam. Less. loc. cit. Tertiò, idem dicendum de eo qui crimen nefandum, seu sodomiticum cōmitteret cum virgine; circunstantia virginitatis non esset aperienda, sed solum actus sodomiticus. Quartò, idem dicendum de eo qui mulierculam aliquam volentem lubentémque rapuit, non enim propriè est raptus, nisi cum mulier, aut masculus vi aliqua, vel fraude rapitur: ergo nec in confessione aperienda est hæc circunstantia, cùm deest violentia. Ita Less. loc. cit.

Secunda difficultas est vtrum qui vna voluntate vult plures homines occidere, debeat hoc cō-

fiteri? *Resp.* quod sic. Ita Vasq. in 3. part. tom. 4. q. 91 art. 1. dub. 4. num. 8. idem dicendum de eo qui infert iniuriam vnica actione pluribus personis, quia in eo actu sunt plures malitiæ. Ita Vasquez loco citato. Diana de circunstantiis resolutione 17. & 29. item tractatu 4. de sacram. pœnit. resol. 164.

Quarta difficultas, an qui peccauit cum diuersis specie bestiis, vel exercuit peccatum contra naturam cum mare vel fœmina, teneatur explicare circunstantias bestiarum specie distinctarum, itémque maris vel fœminæ? *Resp.* quod non, quia hæ deformitates sunt tantum materiales, licet 1. quo ad sodomiam quidam dicant esse explicandam circunstantiam maris aut fœminæ, quod limitandum puto, quando fœmina est coniugata, ratione iniuriæ, quæ infertur marito, secus si non est coniugata, monialis, aut voto castitatis astricta, vel consanguinea, aut affinis 2. Idem est dicendum de peccato diuinationis, non enim est confitendum, an diuinatio fuerit facta vel per auium inspectionem, aut lineamentorum. Diana de circunst. resol. vltima.

Tertiò idem dicendum de eo qui diuersas blasphemias proferret in Deum, vel sanctos, modo blasphemiæ nullam contineant hæresin aut non procedant ex odio formali in Deum & sanctos. Valent. tom. 3 disputat. 1. quæstione 13. p. 1.

Quartò idem dicendum de eo qui sæpius diceret Deum esse iniustum, si tamen plura specie conuicia proferret in Deum, teneretur illa explicare.

Quintò idẽ dicẽdũ de eo qui multis hæresib. adhæreret, nõ enim teneretur cõfiteri omnes in specie

hæreses

hæreſes, nec item circunſtantiam apoſtaſiæ à fide, quia non addit deformitatem ſpecialem ſupra peccatum hereſeos, ita docet quoad apoſtaſiã Valent. loc.cit.diſp 1.q.11.p.1.& q.12.p.1. quoad hæreſim docet Sotus in 4. ſent.diſt.18. q. 2. art.4. con.6.

Quinta difficultas, an qui adminiſtrauit cum peccato mortali Sacramentum Euchariſtiæ pluribus perſonis, teneatur hanc circunſtantiam peccati mortalis, & perſonarũ exprimere? *Reſp.* quod non, vel ſaltem ſufficiet ſi dicat ſe Euchariſtiam adminiſtraſſe cum peccato mortali, non exprimendo numerum perſonarum, quas communicauit, quia ſic non cooperatur proximè & immediatè ad iuſtificationem, ſicut in aliis Sacramentis. Sed tantùm applicat actiua paſſiuis, Diana tract. de circunſt. reſol.41. & tract. de Sacrif. reſol. 23. non autem ſic dicendum eſt de Sacerdote pluribus ſucceſſiuè abſolutionis beneficium impertiente: cenſeo enim tot peccata mortalia committere quot abſolutiones impertit, quia ſunt Sacramenta diuerſa numero, ſicut qui pluries ſucceſſiuè cognoſceret mulierem eamdem, tot peccata mortalia commiteret, quia actus omnes ſunt completi, nec habent reſpectum ad ſubſequentes, ſecus eſt dicendum de tactibus & oſculis impudicis, actum fornicarium conſequentibus, vel antecedẽtibus, quia cùm referantur ad copulam, ea ſequuta, non conſtituunt diſtincta numero peccataab illa; quod dixi de Sacerdote, id expreſsè affirmat Az. p. 1.l.4.c 4. q.6. de tactibus fornicationi cõiunctis, eſt communis Doctorum opinio.

6. Difficultas eſt vtrum qui tribus vicibus admiſit peccatum fornicationis cum tribus fœminis ſolutis, ſatisfaciat dicendo ſe ter fornicatum ſine ex-

plicatione numeri personarum? *Resp.* Quod sic, ita Bonac. de Sacra. disp. 5. q. 5 p. 1. §. 3. diff. 3. prop. 3. num. 14. Item qui furatus est centum aureos, satis est si dicat se furtum notabile commisisse : item religiosus, Sacerdos, vel professus satisfacit dicendo se violasse votum castitatis, non manifestando votum solemne quod habet, quia votum solemne & simplex solùm differunt accidentariò, non essentialiter: ita Sanch. de matr. to. 2. l. 7. disp. 27. n. 27. Quamuis addat probabile esse non satisfacere, sed debere explicare professionem. Item mulier rem habens cum Sacerdote religioso, satisfacit dicendo se peccasse cum Sacerdote, vel cum initiato sacris ordinibus. Sequitur ex doctr. Sanch. loco proximè cit. item qui se commiscet cũ sponsa aliena de futuro satisfacit dicendo se mulierculam vitiasse, tacendo quod sit desponsata de futuro, secus si esset desponsata per matrimonium ratum seu de præsenti, quia tunc esset verum adulterium; ita Doctores omnes. Item religioso professo qui vouit mollitiem vitaturum vel fornicationem, satis est dicere se violasse votum castitatis, sine expressione illius specialis voti de fornicatione, vel pollutione fugienda, quia coincidit cũ solemni voto castitatis à se in professione emisso, & est tantum illius renouatio: idem dico de initiato sacris ordinibus, aut Sacerdote, qui speciali se voto castitatis astrinxit post sacerdotium, vel ordines susceptos. Diana loc. cit. de circunst. resol. 9. Item qui nouitiam maculauit, non tenetur hanc circunstantiam explicare in confessione, nec mulier quæ cum nouitio se commiscuit, nec Episcopus tenetur explicare suam dignitatem, & prælaturam, si mortaliter peccet, nisi peccatum fuisset

publicum & ſcandaloſum aduerſus ſpecialem officij obligationem. Sanch. de matr. to. 2. l. 7. diſp. 27. n. 33. quod idem dicendū de Prælatis Religioſorū.

Quæres 1. an qui inter confitendum peccata, oblitus eſt dicere circunſtantiam aliquam mutantem ſpeciem peccati, ſatisfaciat, ſe tantum accuſando de illa circunſtantia ſine manifeſtatione criminis cui eſt adiuncta? *Reſp.* Satisfacere. Ita Suar. in 3. part. tom. 4. diſp. 22. ſect. 2. num. 8. & 9. vt qui commiſit furtum ſacrilegum, & in confeſſionne fatetur ſe commiſiſſe furtum, omittens ex obliuione explicare circunſtantiam ſacrilegij, ſatisfaciet dicendo in alia confeſſione ſe mortale ſacrilegium admiſiſſe.

Quæres 2. an pollutio præuiſa, ſed non intenta, in ebrietate, in comeſtione, &c. ſit peccatum mortale? *Reſp.* Quod non, quia hæc peccata non ordinantur per ſe ad luxuriam, nec per ſe præcisè influunt in illam. Ita Sanch. de matr. tom. 3. l. 9. diſp. 45. num. 17. idem dico depollutione & diſtillatione præuiſa, ſed non intenta ex actionibus peccaminoſis tantùm venialiter in genere luxuriæ, non eſſe peccatum mortale, vt ſi ex tactu leui manus, viſu, verbis, lectione aliquā tulum libidinosâ. Ita Sanch. & Suares apud Dianam tract. de circunſt. reſol. 65.

Quæres 3. an Confeſſarius qui incipit confeſſionem in peccato mortali, ſed poſtea ante abſolutionem elicit actum contritionis, teneatur poſtea, dum confitetur, explicare ſe illam confeſſionem incepiſſe cum peccato mortali? *Reſp.* Quod non, ita Henriq. l. 6. c. 18. num. 6. litt. V.

Quæres 4. an concubitus cum Infideli, Turca, Iudæa, vel hæretica, ſit circunſtantia in confeſſio-

ne aperienda? *Resp.* Quod non, sequitur ex doctrina Azorij 3. p.l.3.c.29. q.3. Nam dicit Azor. talis copula non differt à simplici fornicatione. At verò quòd ea circunstantia sit in confessione aperienda quia est sacrilegium, tenet Lessius l. 4. c.3. dub.6. n.45. & Diana.tr.4. de Sacr. resol. 138. licet dicat quod non damnaret tenentes contrariam sententiam. Secus dicendum de Eunucho vel frigido, quia cum ij sint impotentes,eorum copulæ sunt contra naturam, ideòque hæc circunstantia est aperienda in confessione, Less. l.4.c.3. num.45. quod etiam extendendum ad eum qui cognosceret sororem vel matrem propriæ sponsæ de futuro, quia est incestus ratione impedimenti publicæ honestatis, Diana de Sacram. resol.140.

Caput X.

An confessio non integra possit esse valida in quibusdam casibus?

AD huius dubitationis solutionem. Notandum est, integritatem confessionis esse duplicem, vnam materialem, & formalem alteram: materialis est quando omnia peccata commissa & cognita manifestantur Confessario, cum omnibus circunstantiis, speciebus & numero: & de hac superioribus capitibus egimus satis fusè; formalis vero est, quando quis habet quidem voluntatem, & intentionem omnia explicandi, sed retardatur, & excusatur ob aliquam iustam causam ne dicat omnia. hoc ita supposito directè respondeo ad quæstionem propositam.

Digitized by Google

Dicendo integritatem materialem ſeu confeſſionem omnium peccatorum, non ſemper eſſe neceſſariam ad confeſſionem validam faciendam, ſed aliquando ſufficere poſſe ſolam formalem, ſine materiali, & hoc præcipuè locum habet in ſequentibus caſibus.

Quorum primus eſt quando peccata quædam grauia ſiue in ſpecie, ſiue tantum in indiuiduo, nõ poſſunt aperiri abſque euidenti aliquo periculo temporali, vel ſpirituali, vel Pœnitentis, vel Sacerdotis: V. G. pœnitens grauiter vulnerauit, aut interfecit patrem vel matrem Confeſſarij: expilauit eius domum, aut vaſtauit incendio, non tenetur tunc ei confiteri, nec homicidium, nec incendium, nec vulnerationem, nec rapinam quãdo res eſt occulta, etiam ſi peccata non eſſent reſeruata Epiſcopo; vel ſi reſeruata, Sacerdos haberet facultatem abſoluendi à reſeruatis, quia ſe exponeret euidenti periculo, aut mortis, aut alterius grauis incommodi: Sacerdotem pariter exponeret periculo ſumendæ vindictę, odij, ſimultatis: Fortè etiã periculo reuelandæ confeſſionis directè, aut indirectè. Item mulier quæ incidit in fornicationem, ſi confitendo hoc peccatum, putet probabiliter ſe à Confeſſario ſollicitandam ad ſimiles nefarios actus, poteſt hoc ſuum peccatum reticere, vt conſulat & ſuæ, & confeſſarij ſaluti; imò non ſolum poteſt, ſed debet diſsimulare hoc peccatum, & confeſsio non definet eſſe integra formaliter, & moraliter, licet non ſit integra materialiter, quia vt ſuppono pœnitens habet voluntatem confitendi & dicendi omnia, ſi haberet copiam alterius Confeſſarij, & apud ſe ſtatuit aperire, vbi opportu-

nitatẽ inuenerit alterius Cõfeſſarij. Ita Gammach. to. 3. de pœn. c. 20. §. 1.

Secundus caſus eſt cùm crimen eſt tale, vt ex eius reuelatione immineat graue detrimentum vel in bonis, vel in fama, vel in vita, tertiæ alicui perſonæ, ſpectatis circunſtantiis. Legendus Nauarrus in Manuali capite ſeptimo, numero ſecundo & tertio.

Hinc ſequitur 1. pœnitentem non teneri reuelare ſocium criminis, illi Confeſſario qui complicem agnoſcit, ſi timeat probabiliter damnum inde graue paſſurum, vel in vita, vel in famâ aut bonis, ſed debere expectare tempus, quo poſsit aliũ cõuenire Confeſſarium, cui reuelet peccatum ſuũ, ſine periculo detrimenti bonorum ſupradictorum: licet ſint aliqui Doctores, qui exiſtiment pœnitentem teneri explicare peccatum ſuum, quando alius Confeſſarius adiri non poteſt, licet Confeſſarius agnoſcat complicem. Leſſ. lib. 2. cap. 11. dub. 11. Sed noſtra ſententia eſt multo probabilior, quam defendunt præter Nau. & Gammach. loco cit. Val. tom. 4. diſput. 7. quæſt. 11. p. 1. Armilla, & alij apud Dianam tract. de circunſt. reſol. 149. & tract. 4. de Sacramentis, reſol. 64.

Quæres vtrum pœnitens qui ſine neceſsitate manifeſtauit complicem, quia V. G. poterat alium Confeſſarium adire, cui complex non erat notus, peccet mortaliter, & faciat confeſsionem inualidam? *Reſp.* Quod non, ita Diana tract. 3. Miſcell. reſol. 22. quia ſicut crimen alicuius narrare vni, aut alteri qui rem apud ſe tenebunt, nec vlli patefacient, non eſt peccatum mortale, vt aſſerit Leſſ. lib. 2. cap. 11. num. 70. & nos do-

Digitized by Google

cebimus cum de reſtitutione famæ agemus ; ita etiam non eſt peccatum mortale, crimen complicis reuelare Confeſſario, qui omnia peccata in confeſſione aperta, tenetur nō tantum ſub ſecreto naturali tegere, ſed etiam ſub ſigillo, modo nulla alia incommoda timeantur præter infamiam complicis apud Confeſſarium. Diana tract. 4. de Sacram. reſol. 3.

Sequitur ſecundò, non eſſe circunſtantias in confeſſione aperiendas, quæ vergerent in detrimentum tertiæ perſonæ, eiuſque peccatum Sacedoti licet integerrimo, & optimo viro declararent, quando probabiliter iudicamus tertiam illam perſonam eſſe Sacerdoti cognitam. Docet Nau. loc. ſupra cit. & in caput conſideret. de Pœnit. diſt. 5. num. 103. & 104. Imò plus addo, non ſolum hæc circunſtantia eſt tacenda, quando Confeſſarius nouit illam tertiam perſonam, ſed etiam vbi moraliter iudicatur futurum, vt breui illam cognoſcat, propter anguſtiam oppidi, vel parochiæ, vel propter familiaritatem Sacerdotis in illa domo, V. G. qui commiſit inceſtum cum ſorore, quamuis hæc circunſtantia ſit valdè nefaria, vel horrenda, ſi tamen ſoror eſt Sacerdoti nota, non tenetur pœnitens declarare hanc ſororis circunſtantiam, ſed ſolum generaliter dicere, ſe peccaſſe cum aliqua conſanguinea, & inceſtum commiſiſſe, non exprimendo in quo gradu, primo, vel, ſecundo: & ſi Sacerdos interroget quotus fuerit gradus, non tenetur pœnitens diſtinctè reſpondere, aut exprimere primum gradum, quia hoc modo deſignaret Sacerdoti propriam perſonam ſororis, quando ſoror eſt vnica, vel ſi plu-

res fuerint, & omnes Sacerdoti notæ, posset tunc Sacerdos omnes suspicari, pessimamque de omnibus opinionem concipere, sed poterit dicere esse personam sibi coniunctam, vel simpliciter poterit confiteri se commisisse adulterium, aut fornicationem, si delinquentes fuerint coniugati, vel soluti, nulla facta mentione incestus, aut consanguinitatis, statuendo apud se hanc circunstantiam confiteri alteri Sacerdoti, vbi inuenire poterit Confessarium, cui persona non sit cognita.

Tertius casus est, quando pœnitens habet casus reseruatos, à quibus Confessarius cui confitetur, non potest absoluere, & tamen tunc fortè vrget necessitas sacram Eucharistiam sumendi, alioqui incurreret damnum famæ, vel honoris, aut scandalum sequeretur, ad quod euitandum si non potest adire Pœnitentiarium, vel Episcopum, vel alium habentem potestatem absoluendi à casibus reseruatis, poterit confiteri inferiori Sacerdoti casus non reseruatos, vt ab illo absolutionem impetret, quæ absolutio valebit, etiam si peccatum fortè habuerit excommunicationem reseruatam, tùm quia in tali euentu posset pœnitens aliquando communicare, cum sola contritione, vel propter bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem, vel propter scandalum alioqui imminens, tametsi non potuisset confiteri, vel Sacerdos illum absoluere noluisset, ergo etiam & potest confiteri, & est absolutionis capax, tum quia non maior dispositio requiritur ad confessionem quam ad Eucharistiam, cum è contrario Eucharistia sit Sacramentum viuorum, pœnitentia vero mortuorum, tum quia lex diuina longè præpon-

derat humanæ, nec leges humanæ obligant occurrente metu graui cadente in constantem virum, qualis est metus scandali & infamiæ publicæ, at præceptum adeundi superiorem propter casum reseruatum aut excommunicationem, sumptum in praxi & hic & nunc est solùm de iure humano Ecclesiastico; præceptum vero vitandi scandali est de iure diuino naturali, ergo istud vltimum priori est anteponendum; tum quia sacerdos inferior absoluens directè à peccatis non reseruatis, indirectè etiam absoluit à reseruatis, vnde & gratiam recipit pœnitens, omniaque mortalia peccata simul illi condonantur, quamuis in eo remaneat obligatio confitendi peccata reseruata cùm potuerit Confessario potestatem habenti illa remittendi directé per absolutionis beneficium: tum quia si omnia reseruata & non reseruata confitearur simul inferiori sacerdoti, asserunt quidam valdè esse probabile & rationi omnino cõsentaneum, vt Episcopi tunc tẽporis concedant illis facultatẽ necessariam, neque velint suam reseruationem ad tales casus extendere, cum Ecclesia sit pia mater, omniaque suauiter disponat, nec velit quemquam ad impossibile obligare, id est, ad aliquid quod sine scandalo vel periculo infamiæ fieri non possit, quia hoc vtrũmque est contrarium iuri diuino naturali, ac proinde Episcopi intentionem habere debent, vt quilibet sacerdos approbatus possit in tali temporum angustia absoluere à quocumque peccato & excommunicatione sibi reseruata, cum onere tamen & obligatione adeundi postea Pœnitentiarium, vel alium cui prouincia demandata fuerit. Imo etiam si non vrgeat necessitas, si tamen bonâ fide adiit Confessarium, qui non iniunxit ei

ſuperiorem conuenire, valida eſt abſolutio, & pœnitens eſt ſecurus, & totum peccatum redundat in caput ſacerdotis, ſi tamen pœnitens poſtea cognoſcat errorem, iterare tenebitur Confeſſionem ſuam, quoad reſeruata, corã ſuperiore aut alio poteſtatem habente: legatur Gammach. loc. cit. Ex toto hoc diſcurſu colliges 1. eum qui eſt innodatus caſu reſeruato, vel aliqua excommunicatione, etiam reſeruata, ſi bonâ fide obtinuerit abſolutionem etiam à peccatis & non à cenſuris, validam eſſe abſolutionem, nec teneri poſtea cognito errore, confiteri denuo peccata non reſeruata, quia in illa præcedenti Confeſſione fuerunt condonata, ſed ſolummodo petere abſolutionem ab excommunicatione reſeruata, velà peccatis reſeruatis. Ita Nauarr. c. 9. num. 4. Tolet. l. 3. c. 10. n. 2. & hoc prodit, non ſolùm quando pœnitens abſoluitur bonâ fide, vel recipit ſacramentum in neceſſitate, ſed etiam quando Confeſſarius ſciens peccata habere annexam excommunicationem reſeruatam, illum tamen (hoc non obſtante) ex malitia abſoluit, licet habeat poteſtatem abſoluendi à tali cenſura. Diana tract. 4. de ſacrat. reſol. 78.

Colliges 2. eum qui habet caſum reſeruatum vel excommunicationem reſeruatam, vrgente neceſſitate communicandi, vel celebrandi, ſi non poſſit commodè adire Confeſſarium, habentem poteſtatem in caſus reſeruatos, vel excommunicationem reſeruatã, poſſe vti tutâ conſcientiâ hic remediis, primò excitabit in ſe actum contritionis, & ſic contritus accedet ad ſactam communionem, vel ad celebrandum ſine præuia Confeſſione: vel 2. poterit confiteri inferiori ſacerdoti tam non reſeruata quam reſeruata, & ſic celebrare, obtenta

absolutione; vel 3. potest confiteri peccata tantùm non reseruata, & reticere reseruata. vel 4. si peccata habeant excommunicationem annexam reseruatam, conterat si possit & celebret, vel si est tantùm attritus, confiteatur coram inferiori sacerdote, & obtẽto beneficio absolutionis, celebret, vel communionem sumat. Vnde vides in tali casu non esse necessario confitenda omnia mortalia, tam reseruata quam non reseruata, vni & eidem Confessario inferiori, sed posse in casu necessitatis vrgentis, & vbi deficit copia Confessarij habentis potestatem in casus reseruatos, fieri Confessionem de solis non reseruatis cum intentione dicendi reseruata, cum aderit copia Confessarij in ea potestatem habentis, ita colligit & asserit Diana variis in locis tract. de celeb. Missæ resol. 65. tract. 4. de sacrat. resol. 78. & resol. 104. & tract. 5. Miscell. resol. 68. Ex quibus etiam colliges euidenter excõmunicationem, quæ se tenet ex parte pœnitentis, non inualidare absolutionem, eo quod illius excommunicatio etiam reseruata non priuet Confessarium iurisdictione sua. Ita tenet Suar. de cens. disputat. 10. sect. 3. numero 9. cum aliis quos ibi citat.

Quartus casus in quo licet dimidiare Confessionem materialiter, est quando quis non potest actu eam complere, aut quia priuatur loquela, & signis, quibus peccata sua explicet, aut quia timet ne sacerdos deficiat antequam Cõfessionem suam expleuerit, eatamen lege quod alius sacerdos haberi non possit; certum item est posse dimidiari Confessionem, quando timet sacerdos, ne contrahat morbum ægroti, maximè vero quando morbus est cõtagiosus, nullus enim est qui tanto cum

diſpendio teneatur ad excipiendam confeſsionem; indubitatum etiam eſt confeſsionem poſſe dimidiari, quando plures ſunt abſoluendi, & fieri non poteſt vt omnes integrè confiteantur niſi plerique moriantur ſine confeſsione, vt euenire poteſt cum in naui exiſtẽtium ſalus periclitatur ex tẽpeſtate repentè ſuborta, ita docent Theologi in 4. diſtinct. 17. D. Thom. q. 3. art. 3. quæſtione 4. ad 5.

Quæres vtrum cum periculum vitæ imminet, vt in naufragio, peſte, bello, tunc omnes poſsint ſimul dicere aliqua peccata, & ſic abſolui omnes ſimul vnica abſolutione? *Reſp.* quod ſic. Ita Fagund. de præcep. Eccleſ. tractatu. 2. l. 2. capite 3. numero 11.

CAPVT XI.

In quibus caſibus Confeſſio ſit denuo facienda, quia nulla?

VArii ſunt caſus qui reddunt Confeſsionem nullam, de quibus agit Tolet. l. 3. c. 10. & alij Doctores Theologi in 3. part. D. Th. & hic breuiter eos referemus; quorum primus eſt, quotieſcumque is qui confitetur non intendit recipere ſacramentum pœnitentiæ.

Secundus quoties pœnitens excõmunicatus maiori vel minori excommunicatione, ſcienter accedit ad confeſsionem vt abſolutionem recipiat priuſquam abſoluatur abiſta excommunicatione: dico (ſcienter) quia ſi ignoret inuincibiliter ſe eſſe excõmunicatum, aut excommunicatum nõ

posse confiteri, Confessio erit valida vt docuimus cap. superiori ex doctrina multorum Theologorum.

Tertius casus est, quotiescumque cum delectatione de peccato aliquo mortali confitetur sua peccata, estque delectatio ista notabilis, & præterea dum intendit hic non parere iudicio sacerdotis præcipientis hanc vel illam satisfactionem necessariam ad eius emendationem, & ad fugiendum relapsum, & hi omnes se tenent exparte pœnitentis.

Quartus casus est ex parte contritionis, quando quis accedit sine vllo dolore & peccati detestatione, vel accedit cum proposito non cauendi à peccatis: qualis verò vel quantus dolor requiratur aut sufficiat ad effectum confessionis; validæ consequendum, diximus sup. cap. 6. de contritione & attritione.

Quintus casus est, cùm confessio non est integra, & peccator scienter absque vlla rationabili causa dissimulat peccatum suum.

Quæres an ex ignorantia, & obliuione, possit fieri Confessio non integra & valida? *Resp.* 1. si ignorantia sit inuincibilis, posse dari Confessionem validam, & informem? *Resp.* 2. si ignorantia sit affectata, putà quia ex illa ignorantia factum fuerit, quòd homo non habeat dolorem vniuersalem ex formali incuria & neglectu præparationis ad Confessionem faciendam quidquid ex illa sit euenturum, tunc Confessio est omnino inualida, & sacramentum est omnino nullum, ideoque repetenda sunt omnia peccata prioris Confessionis, & iterum ea dicenda in sequenti Confessione, præsertum si fiat coram alio sacerdote ab eo

qui eam excepit, nam si fiat apud eundem Sacerdotem numero, & hic recordetur inualidæ confessionis & nullæ, vel etiam meminerit satisfactionis impositæ pœnitenti, aut etiam recordetur non quidem omnium, sed grauium delictorum confessionis inualidæ, non erit reiteranda, sed sufficiet confiteri peccatum dissimulationis in specie, & alia iam confessa in genere: ita Nau. in Man. c. 9. & 19. & plures alij. *Resp.* 3. Si ignorantia sit vincibilis, & culpabilis mortaliter, & non omnino ex formali incuria, quod euenire potest quando quis non facta diligenti conscientiæ discussione, accedit ad Sacramentum, & ideo obliuiscitur confiteri multa peccata mortalia, quæ potuit in memoriam reuocare, si diligentia morali vsus fuisset, tunc eo casu multi existimant eam cõfessionem esse validam, quamuis non tribuat effectum. Huius sententiæ sunt Sotus in 4. dist. 18. q. 3. art. 2. & 3. Cano relect. de Pœnit. p. 5. Couar. in cap. alma mater: & hæc opinio videtur probabilis, propter multitudinem authorum, qui eam tuentur: at secunda magis mihi placet, quia est tutior & probabilior, nititur enim validioribus argumentis, quæ videnda relinquo apud Suarem tom. 4. disp. 23. sect. 4. Vasq. in 3. par. tom. 4. q. 92. a. 2. & 3. & alios: poterunt tamen qui voluerint, adhærere priori opinioni, quam etiam defendit Diana tract. 3. Miscel. resol. 31.

Sextus casus est quando confessarius non intendit administrare Sacramentum pœnitentiæ, de qua tamen re non debet esse anxius pœnitens antequam audiat ab ipsomet Sacerdote, vel ab aliquo alio qui acceperit à sacerdote.

Septimus casus est quando Sacerdos caret iuris-

Digitized by Google

dictione ordinaria, vel delegata, in eum cuius excipit confessionem.

Octauus casus est, quando Sacerdos non profert verba ista (absoluo te) vel nequit discernere inter peccatum mortale, & veniale in genere, nec conscientiam pœnitentis examinare.

Nonus quando est nominatim excommunicatus, aut notorius percussor clericorum, ita vt factum illud nulla possit terguersatione celari.

Decimus casus non est approbatus ab Episcopo, vel eius locum tenente. Si quæras quænam intentio requiratur & sufficiat in sacerdote ad absoluendum? *Resp.* non sufficere habitualem, id est, eam quæ potest haberi, sed actu non est, nec vmquam habita est, sed sufficere posse virtualem quæ consequitur & manat ex actuali. Ita Fern. p. 3. c. 1. §. 4. n. 6. & alij.

CAPVT XII.

Quos & quando obliget præceptum Confessionis?

DIco 1. infideles & quicumque non sunt baptizati, non tenentur præcepto Confessionis annuæ, quia sacramẽta alia à baptismo non conferuntur validè nisi baptizatis, ita communiter omnes Theologi in 4. dist. 17.

Dico 2. impuberes baptizati tenentur ad annuam Confessionem, ea lege quòd detur in ipsis peccatum mortale post baptismum commissum; si tamen non satisfaciant huic præcepto annuæ Confessionis, non priuantur sepultura Ecclesiastica, nec sub-

iacent excommunicationi, aut alteri pœnæ Ecclesiasticæ, impositæ, vel imponendæ contra transgressores, quia impuberes non subiacẽt pœnis Ecclesiasticis, excommunicationis, suspensionis, & aliis, qualescumque sint ante duodecimum annũ si sint fœminæ, & ante 14. masculi, ex cõmuni doctrina apud Putean. p. 2. de conf. dub. 3. concl. 3. Diana tract. 6. Miscell. resol. 88. & tract. 1. miscell. resol. 1. Notat tamen idem author prædicta resol. 88. eosdem impuberes incurrere excommunicationem ipso iure latam ob percussionem clerici, quia ita habetur in iure, & tempore interdicti non posse sepeliri in loco interdicto.

Quæres quando incipiant obligari impuberes præcepto annuæ confessionis? *Resp.* incipere obligari quãdo peruenerint ad septennium, quia tunc ordinarè loquendo, sunt doli capaces. ita communiter omnes Doctores paucis exceptis, qui extendunt vel ad duodecimum annum, vel ad decimum dimidiatum pro masculis, vel ad nonũ & dimidiatũ pro fœminis, sed communior opinio sequẽda.

Dico 3. puberes omnes in quacumque ætate & dignitate constituti, si tamen commiserint peccatum mortale post baptismum susceptum, tenentur semel in anno confiteri ad reatum peccati mortalis. Ita habetur cap. omnis vtriusque sexus, & docent communiter omnes Theologi in 4. dist. 17. & omnes Summistæ.

Dico 4. præceptum cõfessionis annuæ non obligat ex se, & vi sua, in Paschate, vel Quadragesima, sed tantum ratione præcepti de communione debitè celebranda in Paschate: quare præceptum cõfessionis adimpleri potest debitè quocumque anni tempore, à die 1. Ianuarij vsque ad vltimam

diem

diem Decembris eiuſdem anni Nauar. in Man. c. 2. n. 9. Sot. in 4 diſt. 18. l. 4. de iuſt. q. 2. a. 4. & alij fere omnes Theologi,

Dico 5. præceptum de cõfeſſione facienda obligat, quotieſcumque cõſtitutus in peccato mortali verſatur in periculo vel probabili, vel manifeſto vitæ, quodnam autem ſit certum, & euidens periculum vitæ, aut etiam probabile, relinquitur iudicandum arbitrio prudentis, & boni viri.

Dico 6. qui ſatisfaciendi priuatæ deuotioni gratia, vult ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ tenetur ad præmittendam confeſſionem ſacramentalem ad reatum peccati mortalis ſi præmiſſo examine conſcientiæ, inueniat ſe conſciũ peccati mortalis. hoc patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. vbi dicitur expreſsè, eum qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis non poſſe accedere ad ſacram Euchariſtiam, niſi præmiſſa confeſſione ſacramentali.

Hîc aduerte ſacerdotem, qui cum conſcientia peccati mortalis, & vera contritione vel exiſtimatâ, acceſſit ad ſacrum faciendum ſine confeſſione quòd caruerit copiâ ſacerdotis cui confiteretur, obigari, citiùs quàm poterit fieri, confiteri huiuſmodi peccatum, vt dicitur in Trid. loc. cit. idem tamen non eſt dicendum de laico, qui in ſimili caſu communicauit ſine confeſſione ſacramentali, contra Nauarrum & alios, quia Concilium loquitur de ſolis ſacerdotibus.

Quæres 1. an per confeſſionem inualidam & culpabilem ſatisfiat huic præcepto annuæ confeſſionis? *Reſp.* quod ſic, Azor. tomo primo inſtit. Moral. libro ſeptimo c. 29. quæſt. 3. cum multis aliis quos ibi citat.

Quæres 2. an qui anno ſuperiore verbi gratia 1633 ſua peccata confeſſus non fuerit, vi præcepti, teneatur confiteri quauis die anni præſentis 1634 vbi primum commodè potuerit? *Reſp.* quod ſic, quia tempus certum conſtituitur, non eo animo vt finiatur obligatio præcepti adimplendi, cõſtituto tempore elapſo, ſed ne vltetius differatur. Ita Sot. diſt. 18. q. 1. a. 4. Nauarr. in Man. c. 21. n. 45. & alij.

Quæres 3. an qui lethalia habet peccata, teneatur confiteri ob lata opportunitate Confeſſarij, ſi probabiliter credit futurum vt intra annum copiam Confeſſoris non ſit habiturus? *Reſp.* quod teneatur. Ita Nau. in Man. c. 2. n. 10. & plures alij Summiſtæ ac Theologi.

Quæres 4. an qui ſemel in anno confeſſus eſt, ſi denuò incidat in lethale peccatum, cõfiteri denuò debeat eo anno? *Reſp.* quod non: idem dico de eo qui ſemel in anno confitetur, & ſtatim poſt factam confeſſionem meminit ſe certum peccatum feciſſe quod bonâ fide inter confitendum prætermiſit. Ita Nau. loco proximè cit.

Quæres vltimo an qui ſemel in anno confitetur religioſis mendicantibus vel aliis quibus eſt conceſſum priuilegium vt annuam pœnitentis confeſſionem excipiant, ſi velint, Eccleſiæ præcepto & canoni (omnis vtriuſque ſexus) ſatisfaciant? *Reſp.* quod ſic, & peculiariter ita pro Mendicantibus declarauit Leo 10. pontificiâ conſtitutione. vt alibi dicetur.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De miniſtro ſacramentis pœnitentiæ.

DIco primò ſacerdos qui præter poteſtatem ordinis, habet etiam iuriſdictionem ordinariã vel delegatã, non impeditam, aut ablatam aliquo vinculo vel excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel irregularitatis, vel tandem depoſitione, aut degradatione, eſt miniſteridoneus huius ſacramenti pœnitentiæ; & ita ſentiunt omnes Doctores ex qua concluſione:

Colliges 1. confeſſionẽ factam apud laicum, vel apud clericum etiam Diaconum, eſſe omnino inutilem, irritam, & nullius effectus.

Colliges 2. ad abſolutionem debitè impendendam, duplicem requiri poteſtatem, vnam ordinis, iuriſdictionis alteram, & neutram per ſe, & ſolitariè ſumptam ſufficere; non primam, quia per hanc ſolum deputatur aliquis vt poſſit eſſe iudex in foro pœnitentiæ, vnde hæc poteſtas ab aliquibus, vt à Nauarro, appellatur habitualis, imperfecta, & ſemiplena, quia deficit ſubditus in quem ius ſiue ſententiam dicere queat; non etiam poſteriorem, quia hæc poteſt aliquando communicari clerico non ſacerdoti, imò etiam Summus Pontifex pro ſuæ poteſtatis plenitudine, illam poſſet committere laico, vt omnes fatentur; ergo per ſe non poteſt ſufficere ad abſolutionem ſacramentalem impendendam, ergo requiritur vtramque coniungi, ad debite ligandum & ſol-

uendum in foro pœnitentiali, cùm fide Catholica conſtet ſolum ſacerdotem, poteſtatem ordinariam vel delegatam habentem, eſſe miniſtrum huius ſacramenti Pœnitentiæ & Confeſſionis. Ita habetur expreſsè in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. capit. 6. & can. 10. & capit. 7. eiuſdem ſeſſionis.

Colliges 3. ſacerdotes excommunicatos, & ſuſpenſos nominatim, itemque irregulares, depoſitos, vel degradatos priuari omni iuriſdictione, ideoque non poſſe valide abſoluere, extra mortis periculum, vel etiam articulum, nam in materia præſenti articulum mortis, & periculum, pro eodem computamus, ita vt qui in vno eſt legitimus Confeſſarius, ſit etiam in alio: addidi (ſacerdotes excommunicatos vel ſuſpenſos nominatim) quia quandiu non ſunt nominatim denunciati, vel notorij percuſſores Clericorum, ita vt nulla tergiuerſatione crimen celari poſsit, Eccleſia approbat omnes actus quos exercent, quamuis ipſi malè faciant & peccent ſe immiſcendo exercitio & miniſterio ſacramentorum, ceſſante ſcandalo vel infamiæ aut honoris proprij periculo, vel etiam neceſsitate ſuorum ſubditorum: Eccleſia enim ſemper intendit eos excludere ab actibus ſuorum officiorum propriis, & ſolummodo tolerat eos in fauorem pœnitentium, ea propter ſi commodè queant abſque periculo famæ propriæ, vel ſcandalo, & extra neceſsitatem, abſtinere ab exercitio & adminiſtratione ſacramentorum, tenentur ſub reatu peccati mortalis ſe expedire & non ſe illis ingerere.

Dixi) ſacerdotes excommunicatos & ſuſpenſos nominatim, itemque irregulares, depoſitos,

Digitized by Google

& degradatos, non posse valide absoluere, extra mortis articulum aut periculum) quia in illo casu, quilibet sacerdos excommunicatus, suspensus, irregularis, non probatus, imo etiam Hæreticus, Schismaticus, & quouis modo præcisus, depositus vel degradatus, potest validam impendere absolutionem à quibuslibet peccatis reseruatis', vel etiam censuris, vt patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. quia in mortis articulo nulla est reseruatio, & ratione eiusdem necessitatis in qua versatur, pœnitens poterit ille sacerdos excusari ab omni peccato, si nulla ratioue illi liceret simul cogitare de eliciendo actu contritionis, & Sacramento administrando pœnitenti extreme laboranti, sed tantum de postremo, eo quod pœnitens moriatur de facto, nec peccat etiam pœnitens petendo ab isto sacramentum sibi conferri, quia rem petit quam potest malus sacerdos debitè & inculpatè administrare, si velit, cum valeat exercere actum contritionis, quo medio iustificabitur à peccatis commissis, antequam sacramentum administret constituto in extrema necessitate.

Aduerte tamen ex omnium ferè doctrina Theologorum, non esse petendum sacramentum ab omnibus prædictis, nisi quando deest copia alterius idonei & legitimi Confessarij, qui possit & velit administrare, & præsertim non debet peti ab Hæretico, vel Schismatico, si adest periculum peruersionis & quoties nobis probabile est hominem hunc hæreticum, non confecturum sacramentum pœnitentiæ, in istis enim casibus satius est se diuinæ prouidentiæ committere, eliciendo actum cõtritionis, quàm petere cõfiteri sacerdoti hæretico.

vel excommunicato. legatur Vasq. tom 4. in 3. part.q. 913. art.1. dub.4.Putean.p. 2.de conf. dub. 3. quamuis quidam contrarium doceant existimantes simplicem sacerdotem posse in casu extremæ necessitatis, etiam præsente parocho, à reseruatis infirmum absoluere: in hac sententia est Diana tract.4.de sacram.resol. 57. vbi etiam notat ex Sancio in select. disp. 12.n. 5.absolutionem à reseruatis posse impendi,à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris,pleuritidis, idque siue periculum mortis quis adeat propria sponte,siue causa aliqua vrgente, seu morali necessitate coactus.

Quæres 1. an parturiens possit absolui à casibus, & censuris reseruatis, à simplici sacerdote? *Resp.* quod sic. Si desit alius qui sit expositus, & approbatus, & iam dolores sentiat, & præsertim cum primum partum est editura, vel aliàs experta est difficiles partus. Ita Sot.in 4.dist:18.q.1.art.5.Nau. in Man.c.2.n.9.in fine.

Quæres 2. quid sit potestas ordinaria, & quid delegata? *Resp.* potestatem ordinariam eam dici qua quis ex vi proprij muneris, vel officij,est alteri superior in foro pœnitentiæ, & hanc habent omnes pastores ex officio:delegata vero est ea quá quis habet ex commissione, ab eo qui est ordinarius, & hæ duæ potestates inter se differunt, 1. quod ordinaria potest aliis committi,delegata vero minimè, nisi delegetur cum plenitudine potestatis, & ad omnes causas 2. differunt; quòd ordinaria vbi semel est habita, sine legitima causa nequit impediri quin suos producat effectus; delegata vero impeditur ne vllum habeat effectum per solam reuocationem illius qui eam contulit.

Quæres 3. quinam habeant ordinariam potestatem ? *Resp.* eos solos quibus ex officio incumbit animarum cura, quorum triplex est ordo. Primus continet solum summum Pontificem, ad quem etiam referuntur summus Pœnitẽtiarius & Legati à latere. 2. ordo continet Episcopos,& ad hunc ordinem reducuntur vicarij generales Episcoporum, abbates exempti, Generales & Prouinciales in suis religionibus, 3. ordo complectitur parochos, ad hunc reforuntur vicarij patochi, Archipresbyteri, & in religionibus immediati prælati, vt priores,Gardiani.rectores,&c.

Dico 1. quemlibet sacerdotem posse absoluere à peccatis venialibus, itemque à peccatis mortalibus alias debité confessis, & absolutis,per potestatem acceptam in ordinatione, & per applicationem materiæ absoluendæ,quæ ei datur ex consuetudine,eam consuetudinemEcclesia approbante, & hoc etiam communiter admittitur ab omnibusDoctoribus & Summistis.

Dico 3. iurisdictionem Episcoporum, & parochorum non terminari loco,sed personis, possent enim extra suam diœcesim, aut parochiam, audire suorum subditorum confessiones, quia hoc iudicium non fit cum strepitu, nec exigit exteriorem solemnitatem, quod idem dicendum de delegatis, illi enim possunt vbique terrarum audire confessiones personarum illius diœcesis in qua sunt approbati. Ita Filiuc. tom.1. tract.7.c. 7.q.7. Diana tract. 4.de sacram. resol.144.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

An quilibet ordinarius possit committere vices suas sacerdoti alieno?

AD hoc dico 1. Curatum, non cõsulendo Episcopum, vel Pontificem maximum, posse committere vices suas alteri sacerdoti, dummodo sit approbatus ab ordinario, vt præcipitur in Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. si enim hic sacerdos alienus, non fuerit ab Episcopo approbatus, absolutio; data pœnitentibus ex commissione parochi, erit plane nulla & inualida, ex communi doctrina post Concil. Trid. vbi supra, quamuis aliqui & perperam contrarium existimarint & asseruerint, parrochos posse propria authoritate, exponere ad audiendas suorum parochianorum confessiones, simplicem sacerdotem non appobatum ab aliquo Episcopo. eorum rationes vide apud Dianam in tract. 4. de sacram. resol. 146.

Quæres 1. an parochus vnius Diœcesis, v.g. Lugdunensis, possit ex licentia parochi Diœcesis Viennensis, confessionem Viennensium recipere in eius parrochia, absque approbatione Domini Episcopi Viennensis? *Resp.* cum Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. num. 18. & Vasq. in 3. part. tom. 4. quæst. 93. attic. 3. dub. 4. numero 2. hoc esse licitum, quia ratione beneficij parrochialis quo gaudet, est idoneus minister sacramenti pœnitentiæ, ita vt non tantum in sua Diœcesi, sed in alia, audire possit confessiones, iurisdictione sibi commissa, quam tamen iure ipso

habet ſolum in ſua Parochia, nec ad id neceſſaria eſt licentia Epiſcopi diœceſani in cuius diœceſi exiſtit, ſed ſufficit licentia ipſiuſmet Parochi, in cuius Parrochia ſe tranſtulit. hanc etiam ſententiam approbat Diana tract. 4. de Sacr. reſol. 146. prope finem, & reſ. 160.

Quæres 2. vtrum Parochus poſſit exponere ad confeſſiones audiendas approbatos à quocumque Epiſcopo: hæc quæſtio coincidit cum ea qua quæritur vtrũ Sacerdos approbatus pro vna Diœceſi, cenſeatur approbatus pro aliis omnibus Diœceſibus? Ad quam *Reſp.* cum communiori ſententia approbatum in vno Epiſcopatu, non cenſeri approbatum, & idoneum Confeſſarium pro aliis, multi nihilominus ſunt authores qui contrarium ſentiunt, aſſerentes (ſecluſa prohibitione Epiſcopi) approbatum in vna Diœceſi Lugdunenſi. v. g. ſi transferat ſe in Diœceſim Viennenſem, poſſe ibi à Parocho, vel à Superiore regularium aſſumi, vt eum adiuuet in audiendis confeſſionibus, ſine noua approbatione Epiſcopi Viennenſis. Ita ſentiunt Henriq. l. 4. c. 6. num. 7. Conich. de Sacram. diſp. 8. dub. 7. n. 57. Ioannes de la Crux in direct. p. 2. de Sacram. pœnit. q. 5. dub. 7. concl. 3.

Dico 2. Epiſcopum poſſe committere vices ſuas, cuicumque voluerit, inconſulto Curato, & Pontifice maximo, & à fortiori hoc etiam affirmo de prædicto Summo Pontifice, poſſe videlicet delegare quemcumque voluerit pro toto mundo ad confeſſiones audiendas, inſciis & inconſultis Epiſcopis, & Parochis; hæc patent ex cap. quoniam, & ex cap. inter cætera de officio ordinarij, & ex cap. dudum, de ſepulturis, in Clementinis.

Dico 3. Religiosos Mendicantes, ac cæteros Sacerdotes, similiter à summo Pontifice priuilegiatos, esse idoneos ministros Sacramenti pœnitentiæ, toto tempore anni, modo tamen fuerint ab ordinario approbati. Hoc patet ex priuilegiis datis à Nicolao 4. Sixto 4. Bonifacio 8. ex Concil. Lateran. sub Leone 10. sess. 1 in constit. quæ incipit, Dum mentis arcana, legatur Rodriques to. 1. qq. regul. q. 6. art. 6.

Dico 4. confessionem factam Religiosis Mendicantibus, & aliis similiter priuilegiatis, etiam in Paschate, non esse repetendam coram Curatis, & aliis deputatis ab ipsis. Ita definiuit Ioan. 22. in extrau. Vas electionis. de hæreticis, quam definitionem innouarunt multi summi Pontifices, & inter alios Sixtus 4. in mari magno Ff. Augustin. Clemens 8. const. quæ incipit venerabilis Frater, significatum nobis fuit, &c. sub data 22. Decembris anno 1592. Pontificatus sui an. 1.

Dixi sub finem tertiæ conclusionis (modo tamen isti fuerint ab ordinario approbati) quoniam approbatio est conditio sine qua absolutio data, ab huiusmodi mendicantibus Religiosis erit nulla, & inualida; Et hanc approbationem tenentur dare Domini Episc. si Religiosi illis præsentati secundū formam Clement. dudum de sepulturis, post examen inuenti sunt capaces, & idonei, ad officium Confessionum audiendarum, & si suam approbationem absque causa rationabili dare recusent, docet nihilominus Gammach. comment. in D. Th. de pœnit. Sacr. c. 18. quod possunt audire Confessiones, & id non esse prohibitū à Tridentino, & hoc asserit prædictus Doctor Gammachæus, consequenter ad verba Clem. dudum de sepult. in 6. &

quia illius authoris verba ſunt magni momenti, ea referam de verbo ad verbum; tribuitque, inquit, Summus Pontifex Religioſis ordinis Prædicatorum & Minorum poteſtatem audiendi Confeſſiones omnium ad ſe venientium, ita vt præfati Religioſi debeant prius examinari à Prælatis, & licentiam humiliter ab iis petere, ſi tamen obtinere non potuerint, & reuera digni inuenti fuerint, tunc temporis Summus Pontifex de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis eamdem facultatem illis concedit, atque iſtæ extrau. Bonifacij ſcilicet 8. & Clem. 5. in corpus iuris communis relatæ ſunt, & multis iam locis redactæ, neque à Concil. Trid. mutatæ aut reuocatæ, ſed & Clement. dudum eſt totius Concilij generalis Viennenſis. Hæc ille Doctor, & ante eum hanc ſententiam docuerunt Rodriques in additione ad Bullam cruciatæ §. 9. n. 30. & in quæſt. regul tom. 1. q. 59. art. 3. Nau. in. Manual. c. 27. n. 264. & alij plures apud Dianam tract. 2. de dubiis regul reſol. 25. præterea monco ex Miranda in Manuali Prælatorum to. 1. q. 45. art. 7. & ex Fagund. Præcep 2. l. 7. c. 2. n 28. licentias ſemel legitimè & præuio examine factas Religioſis ab Epiſcopo, nec debere nec poſſe reuocari ab eodem abſque magna cauſa, vt ait Peirinus apud Dianam loc. cit. reſol. 26. etiam ſi dixerit in approbatione velle illas tantum valere ad beneplacitum: poterunt tamen dictæ licentiæ reuocari à ſucceſſore Epiſcopo, non autem à Capitulo ſede vacante: addit deinde Fagund. loc. cit. n. 30. quod ſi nouus Epiſcopus reuocet omnes licentias, & facultates audiendi confeſſiones, non comprehenduntur regulares, quando de illis ſpecialiter edictum nō loquitur, idem etiam aſſerit Henriq. l. 3. de pœnit. c. 6.

quia in odiosis regulares non comprehenduntur, nisi explicentur: vide Dianam loc. cit. resol. 26. & 27.

Quæres, quid operetur approbatio Episcoporum? *Resp.* Hoc operari, vt per eam detur testimonium authenticum, & declaratio, quod talis persona est idonea ad confessiones audiendas, iuxta facultatem illi concessam à Papa, legendus Suar. tom. 4. de Sacram. pœnit. disp. 28. sect. 3. numero 22.

Quæres 2. an Sacerdos carens iurisdictione, possit esse minister Sacramenti pœnitentiæ, sub spe rati habitionis? *Resp.* 1. ratihabitionem de futuro non sufficere, & qui sub illa spe ratihabitationis de futuro, absolueret, nihil faceret omnino, imo peccaret mortaliter: ita docent communiter omnes Doctores contra Capreolum. *Resp.* 2. requiri ratihabitionem de præsenti signo aliquo externo expresso aut tacito manifestatam: & ita sentit Suar. disp. 26. sect. 1. n. 13. & 17. ex quo patet, facultatem interpretatiuam, & præsumptam, quæ non fundatur in aliquibus signis expressis, vel tacitis, Superioris voluntatem præsentem sufficienter indicantibus, minimè sufficere ad confessiones audiendas: & ita sentit Suares loc. cit. disp. 27. sect. 4. n. 16. & alij quos ipse citat.

Quæres 3. quibus modis potest delegari potestas? *Resp.* Tribus, 1. à iure, quo pacto nemini est concessa ex parte Confessoris, sed tantum ex parte pœnitentis, quatenus data est illi facultas eligendi Confessorem, 2. ex consuetudine, quo pacto in articulo mortis potest quilibet Sacerdos absoluere. 3. ab homine, quæ aliquando est personalis, vt si daretur Ludouico XIII. Regi Fran-

corum, vel alteri principi, interdum est communis, vt ea quæ traditur ipsis Religiosis mendicantibus per priuilegia: hæc autem delegatio, si sit facta ad præfixum tempus, cessat finito tempore nisi antea reuocetur, quando verò datur indefinitè, durat quamdiu viuit is qui delegauit, & non reuocat: Imo dico amplius per mortem delegantis non reuocatur iurisdictio delegata, siue delegans sit summus Pontifex, siue Episcopus, siue Curatus, & hoc patet ex ipso vsu circa religiosos per priuilegia illis concessa, talis enim potestas est delegata, & tamen ij eodem modo illam exercent mortuo Papa qui concessit, quia nimirum facultates concessæ à Papa, & aliis ordinariis, sic intelliguntur, sequuntur enim regulam gratiæ & fauoris, quæ non expirant morte concedentis, non autem regulam fori contentiosi, quæ censetur extingui morte concedentis, si causa non est inchoata.

CAPVT XV.

Quibus librum sit eligere Confessarium quem velint?

DIco 1. omnes Prælatos habere à iure facultatem eligedi sibi Confessarium, nomine autem Prælatorum intelligendi sunt qui iurisdictionem habent exteriorem, vt Papa, Episcopi, Abbates, & Superiores Religionum, Prouinciales, Priores, Gardiani, &c. Tolet. l. 3. c. 13. n. 6.

Dico 2. Cardinales qui Episcopi non sunt, quia non sunt Prælati, nisi legati sint, non habent hanc potestatem à iure, vnde Papam, vel summum Pœ-

nitentiarium habent pro Confessario proprio, sicut & familia commensalis Papæ, tamen ex consuetudine iam omnes solent habere à Summo Pontifice similem potestatem, imo eorum familiæ commensales substant ipsis, & possunt confiteri his quos Cardinales signauerunt, vel quibus commiserunt. Tol. loc. cit. n. 7.

Dico 3. liberum esse quibusuis Curatis, & item Sacerdotibus simplicibus, eligere sibi Confessariũ ab Episcopo approbatum, non quidem à iure, sed ex consuetudine. Ita multi recentiores, & præsertim Putean. p. 2. de Conf. dub 6.

Dico 4. Imperatores, Reges, & summos Principes, regulariter loquendo habere facultatem ab homine eligendi sibi Confessarium i quæ facultas extenditur tantùm ad peccata mortalia non reseruata, nisi aliud speciatim exprimatur in concessione, quæ non finitur vno actu, nec per mortem cõcedentis, quando datur indefinitè, & absolutè, aut cùm datur ad beneplacitum nostræ sedis, finiretur verò si daretur cum limitatione, vel sub illis verbis, ad nostrum beneplacitum. Fil. tom. 1. tract. 7. c. 9. q. 4.

Dico 5. qui habent duo vel plura domicilia in diuersis Parrochiis, in quibus habitant per diuersa anni spatia, posse confitexi alterutri Parocho cui voluerint, quia vterque est proprius eorum Sacerdos, iurisdictio enim non sequitur habitationem actualem, sed domicilium, debebit tamen ex Nau. satisfacere alteri, dicendo se confessum esse ei in cuius Parrochia habitabat.

Dico 6. proprium Confessarium scholasticorũ, vagorum, peregrinorum, siue iter agentium, militantium, & litigantium, esse Parochum illius

loci in quo ſunt, ita vt debeant illi confiteri, vel alteri ab eo deputato, vel Religioſis Mendicantibus, vel Confeſſariis Cathedralis Eccleſiæ. Suar. d. 25. ſect. 1. n. 7. Fil. loc. cit. c. 7. q. 9.

Aduerte tamen in iter agentibus, & peregrinis, neceſſariam eſſe bonam fidem, & cauſam veram, nam ſi quis tantùm iter ageret eâ de causâ, vt haberet occaſionem confitendi alteri, & non proprio, confeſſio eſſet nulla, ſecundùm Suar. loc. cit. n. 9. quia eſſet contra intentionem paſtorum, & conſuetudinem. Probabile tamen eſt conſuetudinem introduxiſſe, vt non obſtante eiuſmodi intentione valida ſit confeſſio, ſi præſertim hoc peccatum confiteatur: ita tenet Filiuc. loc cit. & alij apud Dianam Miſcell. 6. reſol. 28.

Quæres quid ſit faciendum Parochiano aut ſubdito, quando Parochus nec vult audire confeſſionem, nec dare licentiam confitendi alteri, poteritne Parochianus valide confiteri alteri Sacerdoti idoneo, contra voluntatem proprij ordinarij? multi Doctores cenſent id poſſe fieri validè, & conſequenter non peccare ſubditum, qui licentiâ ſibi iniuſtè denegatâ, accedit ad alium Sacerdotem, vt ei confiteatur, non quod licentia petita, & non obtenta ſufficiat ad valorem Sacramenti, ſed quia tunc vel Epiſcopus, vel Papa ſupplet defectum Parochi, licentiam iniuſtè denegantis. Tol. l. 3. c. 13. Syl. verb. conf. 1. q. 6. Nau. de Pœnit. diſt. 6. cap. placuit. num. 144. & alij apud eumdem Toletum, & Dianam, tract. 4. de Sacram. reſol. 79. Idem dicendum quando pœnitens habet rationabilem cauſam non confitendi Parocho, vt quando Parochus eſt valde ignorans, vel ſcandaloſus, vel quia ſcandalum præbet in fide, vel

non ſeruando ſigillum, vel inuitando pœnitentem ad peccatum, vel tandem quando ſine periculo ſalutis,& famæ confiteri non poteſt, vt v. g. concubina tunc enim ſufficit licentia petita, licet non obtenta, ita authores cit. notabis tamen ex Toleto loco ſupra laudato. n. 12. non eſſe cauſam ſufficientem eligendi alium à proprio, verecundiam confitendi proprio, vel timorem quòd proprius non habebit bonam opinionem de illo.

CAPVT XVI.

Quis ſit miniſter idoneus Sacramenti, & quas conditiones habere debet?

PRæter conditiones illas quas cap. 12. oſtendimus requiri in Cõfeſſario, ſunt adhuc aliæ tres explicandæ quæ ſunt neceſſariæ in quolibet miniſtro idoneo ac legitimo Sacramenti pœnitentiæ, nimirum approbatio, ſcientia,& prudẽtia, alij addunt etiam bonitatem, ſed hæc eſt tantum neceſſaria ad rectum vſum, & rectam adminiſtrationem Sacramenti, non autem ad validitatem, quia licet peccaret Sacerdos, ſi ſcienter cum peccato mortali audiret confeſſiones, tamen validum eſſet Sacramentum, non eſt igitur quod diutiùs immoremur in explicanda hac conditione, ſed ad ceteras nobis deueniendum eſt: quare

Dico 1. vt aliquis reputetur idoneus Confeſſarius, requiritur vel vt habeat Parrochiale beneficium, vel vt ſit approbatus ab Epiſcopo,& obtineat approbationẽ. Ita Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. vbi

vbi nota non esse satis Confessario, quòd petierit licentiam, sed requiri illius impetrationem, ita vt etiam si iniustè illam neget Episcopus, non tamen censeatur approbatus, nec idoneus, donec obtinuerit, quod debet intelligi de Sacerdotibus non exemptis, neque priuilegiatis: nam multi tenent, mendicantes priuilegiatos censeri idoneos ministros huius Sacramenti, si petita licentia, & non obtenta, confessiones audiant, dummodo sint capaces: nomine Episcopi comprehenditur quilibet participans iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalẽ sic Vicarius Episcopi, capitulũ sede vacante & Abbates quidam exempti possunt approbare, non vero Superiores religionum, quia non habent iurisdictionem Episcopalem respectu sæcularium, possunt tamẽ approbare respectu suorum subditorum, & aliorum regularium.

Quæres 1. an Episcopus extra Diœcesim possit eligere Confessarium non approbatum ab ordinario? *Resp.* Quod non, ita Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 28. sect 4. num. 7. & alij multi, contraria tamen sententia non est improbabilis, quia cum à iure habeat potestatem eligendi Confessarium, vt sup. diximus c. 15. non censetur à Concil. Trid. esse derogatum huic priuilegio per clausulam generalem, & sic hanc sententiam defendit Coriol. de casibus reser. p. 1. sect 1. art. 21. n. 5. & alij.

Quæres 2. an Prælati regulares possint eligere in Confessarium etiam non approbatum? *Resp.* Quod sic; patet ex cap. ne pro dilatione de pœnit. & remiss. & tradunt communiter Doctores. Portellan dubiis regularibus verbo conf. erga sæculares n. 14. & alij multi, nec id tantum licet prælatis religionum, sed etiam aliis religiosis, de licen-

tia tamen ſuorum Prælatorum, quia Concil. Trid. quoad illos nihil innouat, cùm loquatur ſolummodo de Confeſſariis ſæcularium, non autem de Confeſſariis regularium, ſiue ſint Superiores, ſiue ſubditi, quod idem quidam extendunt ad equites D. Ioan. D. Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ, quia ſunt verè Religioſi.

Quæres 3. vtrum Prælati religionum poſſint audire confeſſiones ſæcularium ſine Epiſcopi approbatione? *Reſp.* Sunt qui partem affirmatiuam tueantur, quia, inquiunt, Prælati regulares cenſentur largo modo habere beneficium curatum, ſeu Parochiale; habent enim curam animarum, & ſunt communiter probatiores, & digniores, tam litteris quam moribus, quam plerique ſæculares habentes beneficia curata. Ita Henriq. l. 5. de Indul. c. 22. n. 3. in Gloſſa littera R. attamen contraria ſententia videtur verior, quam defendit Suar. 3. p. to. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 21. quem conſule.

Quæres 4. vtrum Religioſus de licentia ſui Superioris expoſitus ad confeſſiones audiendas, poſſit audire non ſolum confeſſiones Religioſorum ſui Ordinis, ſed etiam alterius Ordinis, qui licentiam habent à ſuis Superioribus, cuique confitendi, etiamſi non fuerit approbatus ab Epiſcopo? *Reſp.* Quod ſic. ita Graff. 1. p. l. 1. c. 13. n. 55.

Quæres 5. an ſimplex Sacerdos poſſit ſine approbatione Epiſcopi, non ſolum abſoluere à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs rite confeſſis, ſed etiam à peccatis mortalibus oblitis? quidam author apud Dianam nomine Valerius ſuſtinet id eſſe licitum, ſed ego non puto verum.

Dico 2. ad approbationem Confeſſarij, non

esse necessariam approbationem Episcopi pœnitentis, sed sufficere approbationem ordinarij ipsius Confessarij, & approbatus simpliciter pro omnibus locis, est approbatus ex se pro tota Diœcesi; non ita qui pro loco certo tantùm, aut pro certo genere personarum, & qui approbatus est pro vna Diœcesi, non censetur approbatus pro omnibus diœcesibus, iuxta communiorem sententiam, quã-uis contraria opinio non careat probabilitate, vt diximus suprà c. 14. q. 2. quod est intelligendum tam de Sacerdotibus sæcularibus quam de Religiosis, ad omnium ad se venientium confessiones audiendas expositis, excepto vno casu qui est quãdo prædicti Religiosi peregrinationem aliquam suscipiunt, nam si pto tunc non possunt commode conuenire Episcopum, vt pote quia longè distat, nec moratur in loco vbi sunt; extat priuilegium, Greg. 13. vt possint confessiones excipere, etiam in Diœcesibus in quibus non sunt approbati, vt alibi fusius dicetur Deo dante: porro durat approbatio, quandiu non reuocatur, nec per mortem concedentis extinguitur, quin imo absque iusta causa reuocari non potest ab eodem Episcopo, vt iam dictum est sup.

Quæres vtrum tempore Iubilæi, regulares teneantur eligere confessarium non à suo Prælato, sed ab Episcopo loci approbatum? *Resp.* Quòd non, & ita tenent multi Doctores.

Dico 3. vt aliquis sit idoneus Confessarius, debet pollere aliqua scientia, cum enim sit iudex, habere debet eorum quæ sub suum forum cadunt peritiam, ex quo fit vt teneatur primò scire quæ peccata sunt mortalia, & quæ venialia, saltem ex suo genere & in communi: secundò debet scire

formam absolutionis Sacramentalis; 3. debet scire circunstantias peccatorum necessarias. 4. quæ dispositio sit necessaria in pœnitente, tam ex parte doloris, quam ex parte propositi; 5. quæ peccata habent annexam obligationem restituendi, quæ etiam habent annexam reseruationem, vel censuram. 6. qui contractus sint liciti, qui illiciti, vsurarij, simoniaci, vel iniusti, quamuis non sit opus hæc omnia exactè, & sigillatim scire, debet tamen Confessarius scire dubitare, & dignoscere casus dubios, & difficultatem habentes, vt possit consulere peritos secretò, non reuelata confessione. Ita communiter omnes Doctores.

Notandum etiam 1. scientiam esse regulandam iuxta pœnitentium qualitatem, nam pro rudibus in villis, & pagis, minori scientia opus est, pro doctis & ciuitatibus maiori; pro militibus, mercatoribus, Ecclesiasticis, Iudicibus, Principibus multo maiori: ita Doctores communiter.

Notandum 2. aliquos casus esse in quibus scientia Confessarij suppleri potest, aut ferè tota, aut magna ex parte; 1. quando pœnitens est satis peritus, & fidelis, qui optime conscientiam suam aperit, & facienda dicit, sed iste casus non nisi in tali confessione excusat ignarum; 2. quando pœnitentes ordinarij nullos habent casus difficiles, 3. in articulo mortis cum alterius docti Confessarij copia deest, quod idem dicendum de his qui degunt in terris gentilium & infidelium, in quibus propter inopiam Confessariorum sufficit mediocris scientia; 4. quando in illo loco sunt multi viri docti quos Confessarius consulere possit, sed illi duo casus vltimi non excusant omnino ab aliqua scientia, nam ad minus deber scire extare

peccata mortalia, & venialia, in communi: item ſcire formam abſolutionis quæ duo eſſe ſimpliciter neceſſaria in Confeſſario aſſerit Puteanus p. 2. de Conf. dub. vltimo, adeo vt ſi illa ignoret nullũ omnino ſit Sacramentũ ab illo adminiſtratũ: ſi vero ignoret in particulari diſtinctionẽ peccatorũ in ratione peccati mortalis, & venialis, Sacramentũ eſt validũ, modo pœnitens bona fide illi confiteatur: Nunc reſtat agendum de prudentia Confeſſarij, de qua vt potiori parte Confeſſario requiſita mouentur multæ difficultates ſcitu dignæ, pro quibus explicandis ſit

CAPVT XVII.

De prudentia Confeſſarij.

DIco 1. prudentia neceſſaria eſt Confeſſario, præcipuè in ſex, 1. in examine faciendo, vt ſcilicet roget veriſſimilia ſecundum cuiuſque ſtatum, ne doceat ſimpliciores ignota peccata, ne ſi ex habitu & profeſſione ſtatum agnoſcit, roget de circunſtantiis, vt ſi ſit virgo vel monialis, ne pudefiat & forte mentiatur; 2. in monendo incauto pœnitente, ſi præuideat eum declaraturum complicem ſine neceſſitate: 3. in relinquendo eum in ſua bona fide, quando ex manifeſtatione ſua putat nihil ſe profuturum, vt in impedimento matrimonij, vnde ſequitur primò, quòd quando quis eſt in ſtatu de ſe malo, vt quia retinet aliena quæ putat inuincibiliter eſſe ſua, vel contraxit matrimonium inualidè, putans eſſe validum, tunc teneri Confeſſarium aperire veritatem, eamque manifeſtare, quando pœnitens in-

terrogat vel dubitat de veritate, quia non debet vllo modo falsum dicere, vel pœnitentem confirmare in suo errore, dissimulare quoque non debet quando pœnitens dubitat de re pertinente ad obligationem præcepti. Filiuc. to. 1. tract. 7. c. 12. quæst. 4.

Sequitur secundò, quod si Confessor sibi persuadeat fore vtilem suam admonitionem, & absque graui incommodo possit id facere, tenetur; nam præceptum correctionis hîc habet locum, quia etiamsi ignorantia sit inuincibilis, reuera tamen est in statu de se malo, ideòque ex charitate proximus monendus. dixi (absque graui incommodo aut scandalo) nam in casu de matrimonio si esset multorum annorum, & ex separatione sequeretur scandalum, vel graue detrimentum filiis, tunc potest & debet tacere: ita communiter omnes Doctores. Suar. disp. 32. sect. 4. nu. 3. & sequentibus.

Quarto, in applicandis mediis accommodatis pœnitenti, quæ ad duo dirigi debent: primò ad concitandum dolorem maximum peccatorum ex parte Dei offensi, summi boni, creatoris, redemptoris, benefactoris, &c. 2. ad propositum non peccandi de cætero, tollendo causas peccati, vt malam societatem, frequentationem talis loci.

Quinto, in imponenda salutari pœnitentia, quæ debet esse accommodata peccatis, & pœnitenti, sed magis pœnitenti, declarando quanta deberetur eius peccatis, & cohortando ad maiorem.

Sexto, in exquirendis cautè circunstantiis peccatorum contra sextum præceptum; ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationé, meminerit etiam rigidius agendum esse cum fœminis, re-

Digitized by Google

secando superfluas narrationes. Suar. loc. cit. sect. 3. num. 5.

Quæres qua prudentia agendum est cum ijs qui habent peculiarem obligationem restituendi, vel relinquendi occasionem proximam? *Resp.* 1. non semper esse cogendum pœnitentem ad exequendum quod tenetur, vt ad restituendum, vel relinquendam occasionem, satis enim est quod pœnitens habeat firmum propositum implendi obligationem, & quidem prima vel secunda vice, si aliàs non sit repertus infidelis, nec probabilis sit suspicio futurum talem, absolui potest, nec iuramentum aut cautio est exigenda, vt ait Nauar. c. 26. num. 2. *Resp.* 2. quando est probabilis suspicio inconstantiæ futuræ, vel semel atque iterum promisit, & non impleuit, non debet absolui donec reuera impleat obligationem, alioqui relinqueretur in morali occasione peccãdi, & Confessor grauaretur alieno peccato. Nau. c. 17. num. 54. *Resp.* 3. quando pœnitens non potest statim restituere, satis est quòd proponat, cùm venerit ad pinguiorem fortunam.

Quæres 2. qua prudentia agendum cum eo qui non potest occasionem proximam auferre? *Resp.* 1. inspiciendum esse, an sit proxima, ad quam duo requiruntur, 1. vt sit voluntaria, si enim vitari non possit, vel sit ab alio illata, non est voluntaria: alterum, vt sit talis ex suo genere, vt frequẽter inducat homines similis conditionis ad talia peccata, vel saltem experientia constet habere talem effectum in tali homine: si ergo non est proxima semper potest absolui; si est proxima tollenda erit, cùm nulla adest causa excusans.

Resp. 2. si non possit relinqui sine scandalo, vel

infamia, vel graui incommodo, adhibenda sunt alia remedia ad probandum efficax propositum, vt ad frequenter communicandum, ad non conuersandum solum cum sola.

Resp. 3. si iterum atque iterum reincidat, & petat absolutionem, non est neganda probato proposito, præsertim si aliquantulum se contineat, si diminuat numerum peccatorum, aliquando etiam differri poterit absolutio ad tempus.

Resp. 4. si experientia constet hæc non sufficere, cogendus erit ad auferendam occasionem, etiam cum graui detrimento temporali. tandem *Resp.* 5. omnia esse moderanda iuxta prudentiam Confessarij. Nau.c.3.n.10. Cordub.q.4. in sua Summa, & de his fusius dicemus infra cum de absolutione.

Quæres 3. an si constet Confessori pœnitentem obliuisci alicuius peccati, per se loquẽdo teneatur interrogare ob integritatẽ ipsi⁹ iudicij? *Resp.* quod sic. Si vero interrogatus neget, regulariter tenetur illi credere, ex doctrina S. Th. quodl. 1. art. 12. communiter recepta, & si probabiliter existimare potest pœnitentem esse confessum alteri, dissimulet. Quod si euidens sit illi pœnitentem mentiri, si quidem sciat alia via extra confessionem, potest vti ea scientia ad illum conuincendum, & si perneget, euidenterque cognoscat illum mentiri, & consequenter esse indispositum, non debet illum absoluere, si vero id sciat via secreta, nec ita euidenti, post prudentem interrogationem, tenetur iudicare secundum allegata, & probata in illo foro. Suar. loc. cit. sect. 3. n. 9.

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

De ſigillo confeſſionis.

SCiendum eſt per ſigillum intelligi obligationem occultandi ea quæ in confeſſione cognita ſunt: dicitur enim metaphorice iſta obligatio ſigillum, vt enim ſigillum prohibet ea quæ ſub ipſo ſunt manifeſtari, ita obligatio quam habet ſacerdos claudendi ea quæ in confeſſione audiuit, ſigillum dicitur: hoc ita notato,

Dico 1. ſigilli obligationem oriri ex confeſſione ſacramenti perfecta, vel inchoata, facta vero ſacerdoti, vel ita exiſtimato, dixi (ſacramentali) quia ex illa quæ fieret laico ſcienter, vel non ſacerdoti; etiam ſi ex deuotione, vel humilitate, vel in periculo mortis, non oriretur hæc obligatio, item ex ea quæ fieret Sacerdoti quidem, ſed non animo ſe accuſandi, ſed potius animo decipiendi, vel inducẽdi ad peccatum, vel ad coniurationem, vel ad fornicationẽ, non oriretur hæc obligatio. Dixi (perfecta vel inchoata) quia ex hac etiam oriretur obligatio, talis eſſet ea quæ fieret ſacerdoti qui deinde dignoſcitur non habere iuriſdictionem, vel non animo recipiendi abſolutionem, ſed tantum ſe accuſandi in illo foro, & ſatisfaciendi præcepto, item quæ fit ſuperiori à quo per ſe, vel per confeſſarium pœnitens petit abſolutionem à caſu reſeruato, & aliis huiuſmodi. Dixi (ſacerdoti vero vel ita exiſtimato) ad includendam eam confeſſionem quæ fieret ſacerdoti qui fingeret ſe ſacerdotem, cum tamen reuera non

esset, verum hoc est dictum probabiliter, ex sententia enim multorum oriretur hæc obligatio, at ex sententia aliorum non, quia non adest verum sacramentum in ea confessione, legendus Suar. disp 33. sect. 2. & sequentibus.

Dico 2. sub sigillum cadere 1. omnia peccata mortalia, & venialia in confessione audita. 2. omnes circunstantias, & obiecta peccatorum, integrant enim ipsum peccatum. 3. alia omnia quæ dicuntur ad declarandum peccatum, vel circunstantias ipsius. 4. defectus qui ad famam pœnitentis pertinen t sub sigillo sunt, vt si quis in confessione manifestet se illegitimum, vel, ignobilibus parentibus natum, & similia, 5. ipsa peccata publica quatenus in confessione audita sunt, dicuntur cadere sub sigillum, semper enim iniuria fieret sacramento, quod redderetur onerosum, quamuis forte non fieret pœnitenti. 6. hæc omnia intelligenda sunt esse materia sigilli, sed relata ad personam & peccatorem, ita vt debeant seruari sub sigillo, ne detegatur persona, & peccator, alioquin ipsa peccata per se referri possunt modo fiat cum prudentia, ne quoquo pacto possit agnosci pœnitens: ex quibus sequitur. 1. non pertinere ad sigillum dicere talem sibi esse confessum, vel habere peccata venialia in genere, non exprimendo aliquod in particulari, nam qui confitetur, manifeste ostendit se habere saltem venialia, aliter non esset confessio. sequitur 2. mortalia nec in genere, nec in particulari esse manifestanda, non enim dici potest, ille confessus est mihi mortalia. Sua. loc. cit. sect. 3. per totam, cum multi s aliis quos ipse citat.

Quæres an liceat confessario loqui cum pœni-

tente de peccato eius audito in confessione? *Resp.* non licere sine eius licentia. Suar. loc. cit. sect. 5. quod si Confessor defectum aliquem commisisset in confessione, ex quo esset obligatio denuo cum eo colloquendi, debet illi primò significare voluntatem suam, & si consentiat pœnitens, iam id faciet de licentia ipsius, quod si non consentiat, potest tamen colloqui, quia non loquitur extra cõfessionem, sed complet eam quæ iam erat inchoata & imperfecta. Filiuc. tom. 1. tract. 7. capite 11. de sigillo confess. num. 314. post Suar. cad. sect. numero 3.

Dico 3. quinque personas obligari ad hoc sigillum 1. est Confessarius, ad quam reduco superiorem, quando petitur ab eo licentia casus reseruati. 2. interpres, de quo licet sint opiniones, tamen probabilius est teneri, quia participat suo modo actum clauium. 3. Consiliarius siue præsens adsit confessioni siue de licentia pœnitentis consultus à confessario, post confessionem. 4. est is qui furtiué audit confessionem alterius, vel etiam casu, tenetur enim sub eadem obligatione. 5. est is cui cõfessor sacrilegus reuelauit peccatum alterius auditum in confessione, tenetur enim etiam is sub eodẽ sigillo, vnde est regula generalis, omnis notitia habita ex confessione, siue mediatè, siue immediatè, siue licitè, siue illicitè, transit ad quemcumque sub eodem onere, & manet sub sigillo. Syl. verb. confess. 3. quæstione 1. Suar. loc. cit. sect. 4. per totam.

Dico 4. sigillum seruandum esse 1. tam directè, quam indirectè, vnde non potest Confessarius dicere se talem non absoluisse, sed dicat perfeci officium meum: item non debet laudare aliquem ex

multis, 2. est seruandum, tam verbis quam signis aut factis, vnde Episcopus vel sacerdos non potest publice negare Eucharistiam, vel matrimonium ex scientia habita solum in confessione, item sacerdos qui nouit aliquem excommunicatum, ex confessione non potest illi negare Eucharistiam, nec etiam priuatim, potest quidem sub aliquo pretextu, sed si aliter effugere non posset, quam significando notitiam ex confessione potius debet illi conferre sacramentum, quam non seruare sigillum: 3. est seruandum in ordine ad quamcumque interrogationem, quæ fieri possit, siue extra iudicium, siue in iudicio, siue cum iuramento dicendi quæ sciuerit, siue non; nulla enim potest esse iuridica & consequenter potest sacerdos semper tacere veritatem, & respondere negando se quicquam de re illa audiuisse aut scire, vtique intelligendo, quod dicere teneatur. Suar. loco cit. sect. 7.

Quæres 1. an liceat pœnitenti aperire in confessione peccatum, & personam complicis? *Resp.* licere, concurrentibus sequentibus causis, 1. si adsit causa legitima, & rationabilis, quæ tunc esse censetur, quando pœnitens reuelat ad vtilitatem propriam, vel cõplicis, vel alterius personæ, quia sicut extra confessionem licet reuelare hoc modo, ita etiam in confessione. 2. est vt nullum damnum graue inde obueniat complici, vel quia est peccatum, quod moraliter pro nihilo æstimatur, cuiusmodi est prouocatio ad duellum, sollicitatio mulieris ad fornicandum respectu nobilium, & adolescentium, vel quia Confessarius non vtetur hac scientia extra confessionem in damnum bonorum corporis fortunæ aut honoris complicis. 3. vt non possit pœnitens confiteri sacerdoti qui

non agnoſcit complicem, vel non poſſit exprimere peccatum ſine notitia complicis in particulari 4. vt vere ſit ſocius criminis, nam ſi verè non ſit, ſed tantum cauſa, vel obiectum peccati, non licet reuelare, v. g. ſi filius daret venenum matri grauidæ ex prauo concubitu, non poſſet reuelare peccatum matris ſed tantum proprium, dicendo ſine explicatione perſonæ in particulari, dedi venenum perſonæ valde mihi coniunctæ vel in 1. gradu Suar. diſp. 34. ſect. 2.

Quæres 2. an peccatum complicis cadat ſub ſigillum confeſſionis? *Reſp.* quod ſic; poſſe tamen cõfeſſarium de licentia pœnitentis vti ea notitia ad corrigendum complicem, vel impediendum eius peccatum in bonum aliorum, præſertim quando complex non eſt emendatus, & probabiliter timetur lapſus nouus, nec pœnitẽs per ſe ſufficit ad correctionem faciendam, vtiliterque ſperat, id poſſe fieri per confeſſorem, vel tandem tanta eſt neceſſitas proximi, vt charitas obliget ad ſubueniendum illi vel per ſe, vel per alium, vel in confeſſionẽ, vel extra, quo caſu neceſsitatis non tantum licet pœnitenti dare huiuſmodi licentiam confeſſario, ſed etiam tenetur, & Confeſſarius tenetur ad hoc genus correctionis acceptandum, ratione charitatis, vel etiam officij, vt ſi ſit paſtor vtriuſque; nota tamen non debere confeſſarium ordinare, confeſsionem ſubditi ſibi fieri vt per illam accipiat notitiam aliorum, quos poſsit corrigere. non debet etiã Confeſſarius interrogare circa perſonã cõplicis, in hũc finẽ correctionis niſi aliquid eſſet cõtra bonũ publicũ ſed expectare vt pœnitens ſua ſponte declaret, nec tandẽ ſe offerre ad faciendã correctionẽ, etiã ſi cognoſcat eam eſſe neceſſariã,

ſed expectet petitionem pœnitentis, hic enim per ſe, vel per alium, curabit corrigere. Suar. diſp. cit. ſect. 3. & 4.

CAPVT XVIII.

De Abſolutione?

DIco 1. forma abſolutionis conſiſtit in verbis iſtis (ego te abſoluo à peccatis tuis) quætamẽ omnia non ſunt neceſſaria ad ſubſtantiam ſacramenti, nam quamuis Confeſſarius ſolum diceret (te abſoluo) ſufficeret, graue tamen peccatum eſſet, aliquod ex illis verbis ſcienter prætermittere; ſolent autem aliqua verba ex conſuetudine & decentia præmitti, vt, miſereatur tui omnipotens Deus, &c. alia etiam potponi, vt, paſsio Domini, &c. quæ abſque cauſa ab vllo non ſunt prætermittenda, in ordinariis autem confeſsionibus, quæ fiunt ſingulis ſeptimanis, vel etiam frequentius, aut quando adeſt multitudo pœnitentium, poſſunt omitti verba illa, Paſsio Domini noſtri, &c. ſic Doctores Theologi & Summiſtæ.

Dico 2. abſolutio data cum conditione de præſenti, vel de præterito, eſt valida, vt ſi diceret Cõfeſſarius ſic, ſi ſtatuis reſtituere te abſoluo, vel ſi nõ es abſolutus ego te abſoluo; data vero ſub conditione de futuro, eſt omnino nulla, vt ſi diceret, ſi hoc feceris te abſoluo, quia conditio de futuro ſuſpendit omnino effectum ſacramenti, at non eſt in poteſtate miniſtri ſuſpendere illum, tum quia actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem, vt habet regula iuris in 6. id eſt non poſſunt

fieri ſub conditione futuri. Ita communiter omnes Doctores.

Dico 3. peccat Confeſſarius ſaltem venialiter apponendo ſine cauſa conditionem aliquam de præſenti, vel de præterito, duobus caſibus exceptis, in quibus licet apponere conditionem de præſenti. Primus eſt quando ſacerdos dubitat de pœnitente an habeat vſum rationis, vel an ſit amens. Secundus cum dubitat, an ſint peccata quæ audiuit, item, quando dubitat an abſoluerit, poteſt apponere conditionem de præterito, dicendo, ſi non te abſolui: quæ tamen conditiones cum ſunt apponendæ, numquam debent eſſe in formaipſa, ſed mente tantum debent intelligi. Tolet. l. 3. c. 11.

Dico 4. ſuper eadem confeſsione peccatorum non poteſt repeti abſolutio abſque ſacrilegio, quia caderet ſuper materiam nullam, atque ideo irrita eſſet, ſuper diuerſa autem confeſsione, etiam de iiſdem peccatis licet, quia confeſsio eſt proxima materia, peccata autem remota. Tolet. loc. cit.

Dico 5. vrgente periculo mortis, vel naufragij poteſt conferri multis ſimul, imo expedit. Sylu. verb. conf. 1. n. 2. & 3. & alij.

Dico 6. abſolutio ſacramentalis non poteſt validè impendi abſenti, ex decreto Clem. 8. qui ſententiam eorum qui tenebant poſſe dari abſenti damnauit, tanquam falſam, temerariam, & ſcandaloſam.

Dico 7. non eſt danda abſolutio, niſi poſt impoſitam, & acceptatam pœnitentiam, cum tamen probabiliter ſcit Confeſſarius pœnitentem acceptaturum, non eſt inconueniens præcedere abſolutionem, ſemper tamen melius eſt quod pœni-

tentiæ impositio præcedat, nisi Confessarius ex obliuione aliquãdo id prætermittat. Tole. loc. cit. num. 5.

CAPVT XX.

In quo soluuntur quædam dubia circa absolutionem?

ADsolutionem sequentium dubiorum, notandũ est pro regula vniuersali, quinque esse circunstantias maximè considerandas pro absolutione pœnitentis, relatas à Nauar. in Man. c. 25. Prima est vt in pœnitente sit vera pœnitentia, id est, dolor de præterito: 2. verum propositum de futuro numquam redeundi ad talem occasionem, quæ fuit causa peccati, 3. quod adsit aliqua causa notabilis, ob quam non possit relinqui occasio, 4. vt illa occasio non sit per se mala, sed indifferens, quæ alicui potest esse occasio boni, alicui mali, 5. cũ non est assiduitas peccandi cum illa cum qua domi cohabitat, vt si bis in mense, nam sic posset peccare cum aliqua extranea, modo absit scandalum: concurrentibus ergo his circunstantiis, potent dari absolutio. Hoc ita prænotato iam veniamus ad dubia soluenda de quibus etiam agit Milliardus c. 96. de pœnit. quem nouissimé sequitur P. Bauny c. 42. tom. 1.

Primum eorum est, quid faciet Confessarius, quando finitâ confessione, vel ante inuenit pœnitentem inuolutum aliquot ex proximis occasionibus peccandi numerandis, & 1. inueniens venditores diuersarum mercium qui versantur inter mulieres

lieres quasi semper emendo, laborando, vendendo, & conuersando, absque cohabitatione cum illis in eadem domo, tamen peccant sæpe cum illis voluntate, verbis, & tactibus impudicis, etiam cum copula & signis quibusdam non debitis? *Resp.* posse illos absolui, quia occasio illa quæ solet præbere aditum ad peccandum, non est ex se peccatum mortiferum, neque eiusmodi facit semper peccare mortaliter eos qui ea arte, vel occasione vtuntur, licet non statuant abstinere ab ea occasione, vel arte in futurum, quia ea non est occasio propinqua ad peccandum, cum ea multi vtantur bene, propter quintam circunstantiã præfatam, quia illaars qua homines tam benè quam malè vti possunt licita est, quamuis vt plurimum illa mali vtantur; & sic non relinquenda. Sa verbo absol. n. 12. Henriq. l. 4. c. 24. n. 4. & alij.

Dubit. 2. an possit absolui, qui vult redire ad actum illicitum, puta vsurarius ad vsuras, superstitiosus ad superstitionem, miles ad bellum iniustum, meretrix ad prostibulum? *Resp.* quod non, quia occasio est de se peccatum mortale. D. Th. 2. 2. q. 16. art. 2. ad 4.

Dubit. 3. quid de concubinariis publicis, vel occultis agendum? *Resp.* 1. non debere absolui, quia tam Confessarius quam pœnitens debent credere, quod aut raro aut nunquam, si simul habitent desinent peccare mortaliter, aut voluntate, aut verbis, aut factis? *Resp.* 2. poterunt absolui concurrente 4. & 5. circunstantia. Mill. & Bauny loc. cit.

Dub. 4. quid agendum cum concubina quæ non vult desistere ab eundo in domum sui con-

cubinarij, deseruiendo in infirmitate sua, vel etiam adiuuando illum vsque ad extremum vitæ, dū agit animam? *Resp.* non debere absolui, tum propter occasionem peccandi, tum propter scandalum? *Resp.* 2. posse absolui concubinam concurrente 1. & 2. circunstantia, nisi adsit occasio probabiliter scandalizandi moriturum.

Dub. 5. quid faciendum cum muliere Hospitatrice, quæ hospitatur hospites, & quoties excipit certum quemdam habet rem occultè cum illo? *Resp.* posse absolui, modo proponat in posterum se non peccaturam, & illum non hospitaturam, nisi concurrat quinta circunstantia.

Dubit. 6. an possint absolui ancillæ quæ conuersantur cum dominis, vel cum conseruis, & famulis, vel cognatæ, consanguineæ, vel affines, quæ habent rem cum suis dominis, vel cum conseruis, cognatis, consanguineis, vel affinibus? *Resp.* 1. posse absolui concurrente, 1. 2. & 4. circunstantia etiam si ter vel quater recidiuauerint. *Resp.* 2. quod Confessarius debet esse cautus in his absoluendis, si cernat quod de vicibus præteritis nulla esset emendatio, neque inchoatio nouæ vitæ, vel firmum propositum de cauendo in futurum. Bauny loc. cit.

Dubit. 7. an possit absolui qui habet rem occultè, vel tactus lasciuos & impudicos cum aliqua consanguinea, affine, vel amica, quæ habitat in aliena domo? *Resp.* posse absolui etiam si non proponat nunquam ingredi domum eius, in qua habitat illa mulier consanguinea, affinis, vel amica, modo constituat nunquam cum illa sola loquuturum, vel conuersaturum, sine magna causa propter 1. 2. & 4. circunstantiam.

Dub. 8. an posſint abſolui, qui conuerſantur in aliqua domo, vbi ſæpius colloquuntur cum domicellis, cum quibus oblectantur ſermonibus, cogitationibus ſordidis, tactibus impudicis, & turpi pollutione fœdantur? *Reſp.* non poſſe abſolui, etiã ſi hoc facerent animo ducendi eas in vxores, & pares eſſent ad id, quia eſt hæc occaſio de ſe peccatum mortale, ratione pollutionis voluntariæ.

Dubit. 9. an poſſint abſolui qui contraxerunt matrimonium publicè ſeruatis ſeruandis, tamen propter aliquod impedimentum occultum, matrimonium eſt nullum? *Reſp.* poſſe abſoui, ſi dum expectant diſpenſationem à ſummo Pontifice, ſimul cohabitent, abſque tamen copula, vel tactu, vel aliquo priuilegio maritali: item ſi quis beneficium ſimoniace accepit, & breui expectet diſpenſationem, paratus dimittere ſi cum eo non diſpenſetur, poſſe tali modo abſolui propter 1. 2. & 4. circſtantiam.

Dub. 10. an poſſint abſolui qui comedentes res calidas, & prouocantes ad libidinem, ob eas incidunt in graues tentationes carnis, quæ impellunt eos ad conſentiendum pollutioni, vel fornicationi? *Reſp.* poſſe abſolui, quia illa occaſio nõ eſt propinqua, nec eſt ex ſe mala, cum ex hypotes], ſi non fiat hac intentione conſentiendi pollutioni, vel fornicationi.

Dub. 11. an poſſint abſolui habentes ſermones, vel choreas, quas vocant ſaltus vel balaria, iuxta antiquam & honeſtam loci conſuetudinem, vbique enim homines, quando ſaltant cum mulieribus, tangunt earum manus, ob quæ ſæpè incidunt in delectationem moroſam, & voluntatem

prauam peccandi cum eis? *Resp.* posse absolui propter quartam circunstantiam, quia ista occasio non est per se peccatum, licet prudenter & studiose faciant si ab iis caueant in futurum.

Dub. 12. an possint absolui qui comitantur mulieres & maxime nobiles more nobilium, vel vident partes occultas & secretas mulieris, & vestes, ob quod sæpè peccant prauis cogitationibus, & imaginationibus? *Resp.* vt sup. dubio præcedenti.

Dub. 13. an possint absolui homines infirmarij, hospitalarij, seruientes mulieribus in infirmitatibus, vel è contra: fœminæ seruientes hominibus ægrotantibus, quo videntur partes obscœnæ, medici, chirurgi ob quod sæpe committunt peccata? *Resp.* posse absolui, quia ista occasio non est per se peccatum, secus vero qui colore medicandi frequentaret domum mulieris mere concubinæ, quia tunc non esset absoluendus, cum sit concubinarius occultus.

Dub. 14. an possint absolui Confessarij, qui dum audiunt confessionem alicuius mulieris, incidunt in malas cogitationes, vel etiam pollutiones naturales, vel è contra mulieres, quæ quoties confitentur peccata sua alicui Confessario, incidunt in eadem? *Resp.* posse absolui, quia non est occasio per se mala si non consentiant aliquo modo, licet tutius esset si abstinerent, modo id possit fieri sine graui damno, vel nota infamiæ, & hoc tam in confessario, quam in pœnitente.

Dub. 15. an possit absolui, qui legendo litteras sibi missas à persona se amanti, tamen non illicite vel malo animo, patitur aliquam tentationem, vel pollutionem? *Resp.* posse absolui si absit

malus animus, licet tutius esset si ab his literis se abstineret, tanto magis quando non sunt vtiles vel necessariæ, modo non adsit damnum notabile cessare ab his. ita etiam de vidente, seu tangente mulierem aliquam, causa vanitatis, etiam si ex illo visu, vel tactu, insurgeret aliqua delectatio venerea, vel pollutio; modo non adsit malus animus peccandi mortiferè.

Dub. 16. an possint absolui mulieres se ornantes, fucantes, & lasciue prodentes? *Resp.* 1. si sciant aliquem certum ob lasciuiam sui ornatus prouocandum ad malum, non debere absolui, quia ista est occasio proxima, & certæ etiam si illæ fœminæ non intenderent ad huiusmodi desiderium illum allicere? *Resp.* 2. idem dicendum de aliqua quæ tendit ad aliquem locum; puta Ecclesiam, vel domum, vbi scit imminere etiam tale periculum, secus vero quando ex necessitate vel vtilitate, puta audiendi Missam in tali Ecclesia, vbi scit frequentare talem certam personam, quæ in se habet malum animum.

Dub. 17. an possit absolui, qui non vult relinquere occasiones, seu opportunitates, quæ fere omnes qui sunt similis conditionis faciunt, quasi semper peccare mortaliter? *Resp.* non debere absolui, quia à simili causa in simili subiecto, causatur similis effectus, tales sunt actuarij, notarij tribunalum, seu curiarum, qui vel accipiunt vltra pandectam, vel vendunt vltra pretium iustum, vel taxatum, licet seipsos excusent, quia emunt charius Bancas, seu officia, vel mercimonia.

Dub. 18. an possint absolui artifices, qui faciunt

aleas, vel dedos ad ludendum, vel fucos, vel aquas distillatas, vel aliqua ornamenta pro ornandis mulieribus & fucandis? *Resp.* posse absolui.

Dub. 19. an possint absolui famuli comitantes Dominum noctu, vel diu ad domũ concubinæ, qui sine eorum societate non iret, vel qui id persuadent Domino, vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel custodiam, dum simul cum concubina vel altera committit peccatum, & similiter de ancillis, & aliis intermediis personis? *Resp.* non posse absolui, si consentiant in peccatum dominorum. Hinc notent Confessarij non esse absoluendos lenones, matres, consanguineos, affines, vicinos, famulos, ancillas obsequentes in iis, secus vero de seruis & ancillis quando non consentiunt, hinc fit non peccare ancillam seruientem Domi, vbi peccat sua domina cum amasio, & præparat comestibilia, cameram, defert literas, &c. modo id ei displiceat: tutius tamen esset desistere ab illis actibus; non sunt etiam absoluendi magistri balneorũ qui nudas mulieres per nudos ministros lauari mandant, sicut neque ministri.

Dub. vltimò an Confessarius possit absoluere beneficiarium habentem pluralitatem beneficiorum, & non se accusantem illiùs pluralitatis? *Resp.* 1. quod non debet audire, donec prius interroget eum, an licite retineat illa plura beneficia, cum probabiliter dubitare possit Confessarius de iusta causa retinendi ea? *Resp.* 2. teneri illum absoluere, si beneficiarius asserit illi tenere ea bono animo, & titulo, quia potest reuera subesse aliqua iusta causa, & dispensatio, quæ illum à pec-

cato saltem mortali excusaret, quam non tenetur Confessario ostendere, si non vult.

Caput XXI.

De absolutione moribundi.

Dico 1. absoluendum esse moribundum, qui loquela destitutus, nutibus vel signis, tantum petit absolutionem. Ita Reginal. de prud. conf. capit. 21. p. 2. numero 16. Fernand. in instruct. docum. 4. numero 32. quod etiam verum est quando moribundus nec audit, nec loqui potest, sed tantum exhibet signa contritionis, pectus tundendo, vel suspirando, aut oculos, vel manus ad cœlum tollendo. ita multi Theologi. Diana tract. 3. de absolut. morib. quod si dubitet Confessarius, an hæc signa sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis, poterit quidem absoluere, sed cum conditione ista, vel simili (si tu es capax, vel si hæc signa sunt vera signa contritionis, &c.) hoc enim modo consulitur sufficienter necessitatati pœnitentis, & Confessarius non exponitur periculo male conferendi sacramentum pœnitentiæ.

Dico 2. moribundum qui absente confessario petiit confessionem, vel signa dedit contritionis, posse absolui à peccatis, postquam Confessarius ad eum accesserit & intellexerit per aliquot testes, vel etiam vnum, voluntatem infirmi. Ita D. Thom. opusc. 65. §. de Extrema vnctione & post eum Suar. tom. 4. disp. 23. sect. 1. §. de eo qui confessionem petit, & multi alij apud Dianam

tract. de absol. morib. resol. 4. &. 5.

Dico 3. ægrum qui per litteras vel per internunciũ sacerdoti peccata sua manifestauit absenti Confessario, posse absolui, postquam Confessarius accesserit ad illum, dummodo adhuc viuat. Ita Val. tom. 4. disputat. 7. quæst. 11. p. 1. & in hoc casu non transgreditur confessor decretum Clem. 8. cum non nisi præsentem absoluat, iuxta mentem dicti pontificis.

Dico 4. sacerdotem qui paulo ante pœnitentem in articulo mortis constitutum audierat, sed non absoluerat, posse illum absoluere, si superueniens, illum adhuc viuum reperiat, licet amiserit sensum, quia, moraliter loquendo, censetur permansisse in eadem voluntate recipiendi absolutionem, quam paulo ante ostenderat. Diana loco citato resol. 6.

Dico 5. moribundus qui nec dedit signa contritionis, nec confessionem petiit, non potest absolui, quia cum sacramentum pœnitentiæ administretur per formam iudicij, non potest conferri incognita causa sine temeritate, at cum nec datur signum contritionis, nec petitur confessio, nulla subiicitur causa iudicanda, ergo nec sententia iuridica proferri potest à confessario qui est iudex in illo foro, & consequenter non potest conferri beneficium absolutionis. Ita Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 19. n. 9. contrarium tenent quidam Doctores apud Dian. loc. cit. resol. 8. quem consul. 33.

CAPVT XXII.

De absolutione reorum & testium.

DIco 1. reus qui secundùm ordinem iuris, interrogatus negauit veritatem, potest absolui; etiamsi non retractet dictum suum antequam finiatur iudicium, & pronuncietur sententia, præsertim si manifestata veritate damnaretur, ideoque non tenetur se offerre ad veritatem manifestandam, nec Confessarius debet illum ad hoc obligare, sed sufficiat illi si in genere reus proponat cauere peccata in posterum. Ita multi Doctores apud Dianam tract.1.Miscell. resol. 26. vbi etiam notat hanc sententiam esse veram, vbi iam reus condemnatus est, & iudicium finitum, & pœna mortis, vel alia plectendus est. quod iterum confirmat tract.5.Miscell. resol.103. eamdem quoque sententiam astruit tract. de absolutione ab hæresi, resol.8. vbi refert ex Portello in addit. ad dub. regul. verbo reus n. 3 hæreticum qui ducitur ad cõburendum, & noluit fateri publicè suum crimen, si verè apud Confessarium fateatur se abiurare omnem hæresim, & credere quod fides Catholica docet, esse absoluendum, etiam si semper publicè neget crimen, nec possit induci vt publice illud aperiat.

Dico 2. absoluendum esse reum, qui habens spem euadendi negauit veritatem coram iudice legitimè eum interrogante, post semiplenam probationem, vel grauia indicia in eum, nec debet

Confessarius vrgere, vel cogere eum ad dicendam veritatem, quandiu spes ei manet euadendi, & hoc non solum procedit in causa capitali, verum etiam in aliis non capitalibus occultis, in quibus grauis valde pœna imponitur, vt damnatio ad triremes, ad perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorum, vel mutilatio, secus si solùm pœna excommunicationis, quia facilè tollitur. ita Less. l. 2. de iust. c. 30. dub. 3. n. 16. & 17. & hæc omnia intelligenda sunt in casu quo reus propterea recusat dicere veritatẽ, eo quod sciat scelus suum ita occultum esse, vt scientia ad sententiam condemnationis requisita haberi non possit aliter quàm per propriam confessionem, nam si delictum sit plenè probatum, tenetur respondere ad mentem iudicis, & manifestare veritatem. Diana tract. 1. Miscell. resol. 27.

Dico 3. reus qui conuictus de vno crimine, & interrogatus de cõplicibus nõ vult eos manifestare, quia vel non sunt infamati de crimine, aut suspecti, vel iam sunt correcti, & emendati, aut probabiliter cognoscit illos emendatos iri per solam fraternam correctionem, aut quia delictum est tale vt potuerit committi sine sociis, talis inquam reus est absoluendus, nec cogendus à Confessario ad reuelandum in his casibus: secus est dicendum quando reus commisit crimen de mandato, & cõsilio alterius: item quando crimen est tale vt nonnisi cum vno consorte committitur, vt adulteriũ, sodomia; item quando directè, & per se tendit contra communitatem, principem, vt in crimine læsæ maiestatis, hæresis, in proditione Patriæ, vel Principis, in latronibus viis publicis insidiantibus, in assassinis, coniuratis contra patriam, in fraudatoribus salis, olei, vini, frumenti, vel monetæ; in

custode carceris corrupto, vel quando complices sunt parati ad inferendum damnum reip. vel alicui priuatæ personæ, in quibus casibus tenetur reus iam de crimine conuictus, declarare complices, & si nolit nõ est absoluendus Az. p. 3. l. 13. c. 18. dub. 2. Diana tract. 5. Miscel. resol. 99.

Dico 4. absoluendum esse testem qui non vult respondere iudici interroganti, quando scit nullũ alium esse contestem, qui delictum cognoscit, & quamuis possit detegere veritatem, non tamen tenetur, vnde nec debet Confessarius cogere ad fatendum verum. Ita Less. ll. 2. c. 30. dub. 6. n. 49. aliqui etiam existimant probabiliter testem iuridicè interrogatum non teneri ex iustitia commutatiua respondere, nec teneri restituere damna, quæ inde sequuntur, esto teneatur lege charitatis erga proximum, & peccauerit mortaliter non dicendo verum, quia cum proximum potuit liberare à damno, non liberauit, & consequenter infero iuxta hanc sententiam, quam etiam probabilem iudico, testem eiusmodi esse absoluendum, si ipsum pœniteat peccati, etiam si noluerit restituere damna inde sequuta. legendus Diana tract. 5. Miscel. res. 101. vbi subinfert ex Malder. in 2. 2. tract. 6. cap. 2. dub. 9. quod si testis per imprudentiam crimen occultum detexit, si bona fide detexit, quia putabat se legitime interrogari, non teneri lege iustitiæ retractare testimonium suum, si tamen sine suo detrimento possit, & speret retractationem profuturam, tenetur lege charitatis retractare, ita tamen vt non obligetur ad restitutionem si non retractauerit.

Dico 5. neque reus, neque testis tenentur respondere iudici, quando dubitant vtrum iuridicè

interrogentur, quia v. g. dubitant probabiliter vtrum præcesserit infamia, vel si accusator possit probare crimen, saltem per vnum testem, vel si sint indicia grauia, quæ possint facere præsumptionem iuris, & cætera huiusmodi, ideoque sunt absoluendi, modo tamen crimen non sit in perniciem reipublicæ, læsæ maiestatis diuinæ, vt si esset hæresis, vel læsæ maiestatis humanæ. Ita Less. loc. cit. c. 31. dub. 3. n. 10. post Caiet. q. 69. art. 1. & alios quos ibi citat, ex quo etiam infero absoluendum esse reum, qui non vult respondere iudici, etiam legitimè interroganti, nisi prius ei notificẽtur testium depositiones, quia quandiu non ei notificantur depositiones testium, non constat ei quod sit legitimè interrogatus: debet ergo iudex præcipere Notario vel Tabellioni, vt tacitis testium nominibus, legat coram reo depositiones, quo facto procedet ad interrogandum reum, & non ante, alioqui iniustè faceret· non tenetur autem iudex nominare testes, ante interrogationem, vel dare copiam reo informationum, sed sufficit vt eas coram eo legi præcipiat. Diana loco cit. resol. 91.

Dico 6. testis qui falsum testimonium dixit in reum, iam per alios conteſtes conuictum, potest absolui, nec tenetur ad restitutionem, quia non est causa efficax damni quod aduenit reo, licet ei iniuriam fecerit. Ita Diana loc cit. resol. 105.

Quæres quando iudex dicitur interrogare reum seruato iuris ordine, siue iuridicè, & quando non? *Resp* cum D. Th. q. 69. art. 2. quem communiter sequuntur omnes Doctores, tunc iudicem conseri iuridice interrogare, quando procedit ad interrogandum reum, primò quando præcessit infamia

legitimè probata per duos teſtes, omni exceptione maiores, vt ſic conſtet eſſe veram, neque ortam à maleuolis, vel ex errore aliquo natam; 2. cum ſuppetunt indicia expreſſa item legitimè probata: 3. cum habetur ſemiplena probatio, quæ ſit coniuncta cum formali accuſatione, vel cum eo quod vicem accuſatoris ſupplet, vt ſunt notorium delicti quod continetur ſub infamia, fama de authore, & iuridica denunciatio, quia iudex ex ſe iudicium inchoare non poteſt, ſed aliquo horum modorum debet prouocari ad id, itaque ſi nihil horum præceſſit, non poteſt in conſcientia obligare reũ ad reſpondendum, vt docet Caiet. q. 69. art. 2. Sotus de ſecreto. memb. 2. q. 6. & alij.

CAPVT XXIII.

De abſolutione à caſibus reſeruatis.

DIco 1. Prælatus qui caſus reſeruauit, & ij quibus eam poteſtatem commiſit ſpecialiter, poſſunt abſoluere directè à reſeruatis: ita communiter omnes Doctores.

Dico 2. omnes Epiſcopi, ex Concilij Trid. decreto ſeſſ. 24. c. 6. poſſunt abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris occultis reſeruatis Papæ, itéque ab hæreſi, etiam in locis vbi eſt recepta Bulla cœnæ, quia per eam non cenſeo reuocatum eſſe priuilegium illis à Trid. conceſſum, vt alibi fuſius probabo. Nau. c. 27. n. 260.

Dico 3. Sacerdotes omnes qui habuerint priuilegium ad hanc rem, vt Religioſi mendicantes poſſunt ſæculares abſoluere ab omnibus caſibus,

& cenſuris, tam reſeruatis Papæ quam Epiſcopis, quod etiam alibi oſtendam.

Dico 4. quilibet Sacerdos in articulo vel periculo mortis, habet poteſtatem abſoluendi directè ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis, tam Summo Pontifici, quam Epiſcopis, cum hoc diſcrimine, quod abſolutus in eo caſu ab omnibus caſibus reſeruatis eſt abſolutè liberatus ab onere comparendi coram Superiore, abſolutus vero ab excommunicatione reſeruata, tenetur comparere coram Superiore, non quidem vt ab eo abſoluatur, cum ſit iam abſolutus, ſed tantùm vt illius mandatis obtemperet, nec tenetur perſonaliter comparere ſublato contemptu, ſed ſufficit vt ei abſenti obediat, quod ſi non obediret reincideret in excommunicationem.

Dico 5. non ſolùm in articulo vel periculo mortis poteſt Sacerdos inferior abſoluere à caſibus Papalibus, ſed etiam quoties non patet aditus ad Papam, vel Legatum, vel delegatum eius, niſi cum magna difficultate & mora, Suar. diſp. 30. ſect. 3. n. 8. vbi notat non eſſe ita dicendum de caſibus Epiſcopalibus: quia, inquit, ius commune ita ſtatuit quoad caſus Papales, non autem quoad Epiſcopales. Ita ille, n. 13. cui tamen non omnino aſſentior hac in parte, quia par interdum videtur ratio quoad caſus Epiſcopales, fieri enim poteſt, vt non minus ſit difficilis aditus ad Epiſcopum, quam ad Pontificem, & adſit nihilominus neceſſitas communicandi, vel celebrandi, alioqui multũ differenda eſſet confeſſio, quod non poteſt fieri ſine magno diſpendio animarum, & ſcandalo: & in hanc ſententiam inclinare videtur Gammach. Comment. in 3. part. D. Tho. de Pœnit. Sacram.

c. 20. §. 1. versu cæterùm si per inaduertentiã, &c. vide illum.

Dico 6. quamuis Superior possit ex causa rationabili, denegare pœnitenti, vel Sacerdoti inferiori, facultatem absoluendi à casibus reseruatis pro pœnitente, petenti; attamen exclusis extrinsecis incommodis tenetur Superior ad hanc facultatem concedendam, & regulariter loquendo debet esse facilis potius quam difficilis, Suar. loc. cit. sect. 4. n. 3. & sequentibus: idque colligitur ex D. Th. opusc. 19. contra impugnantes religionem, & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæst. 4. ad sextum, non tamen tenetur Superior dare facultatem generalem eligendi quemcumque Confessarium idoneum, qui à peccatis sibi reseruatis absoluat, neque etiam tenetur ad committendam causam ei Sacerdoti quem vult Pœnitens, sed potest illam committere alteri, vel inter aliquos designatos electionem subdito dare, pro vt expedire iudicauerit ad bonum pœnitentis, ita Suar. loc. cit. n. 11. qui etiam addit sect 5. n. 3, posse Superiorem concedere facultatem hanc, cum onere imponendi, vel acceptandi, talem vel talem pœnitentiam pro tali vel tali delicto.

Dico 7. quando Superior audit omnia peccata, tam reseruata quam non reseruata, tenetur ab omnibus pœnitentem absoluere, neque aliter potest absolutionem præstare, nec item potest sine speciali necessitate, vel causa rationabili, audire solam confessionem casuum reseruatorum, & de illis solis Sacramentaliter absoluere, cum causa vero & necessitate potest. Suar. disp. 31. sect 1. n. 3. 6. & 7. melius tamen & congruentius esset, vt cum non vacat Superiori audire reseruata, & non reseruata

ſimul, cauſam committeret alteri Sacerdoti, remittendo pœnitentem ad eum, cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, nam ſic confeſſio non dimidiaretur.

Dico 8. quando Superior dedit abſolutionem à ſolis reſeruatis, talis confeſſio & abſolutio, eſt verum Sacramentum, diſtinctum ab eo quod poſtea ab inferiore confertur, quia confeſſio eſt integra formaliter, & in eam cadit abſolutio, quare non tenetur pœnitens poſtea confiteri peccata illa reſeruata, iam à Superiore remiſſa per abſolutionẽ vnâ cum non reſeruatis, ſed ſatisfacit integritati, confitendo reliqua, quæ tunc confiteri non potuit. Suar. loc. cit. n. 9. & 10.

Dico 9. quando pœnitens, qui habet peccata reſeruata, confitetur Sacerdoti inferiori, non habenti poteſtatem abſoluendi directè ab eis, ſi nulla vrgeat neceſsitas, aut communicandi, aut præceptum annuæ confeſsionis adimplendi, vel celebrãdi, vel periculum ſcandali, aut infamiæ, non poteſt ſimplex Sacerdos abſoluere pœnitentem Sacramentaliter, etiam à non reſeruatis, ſed debet illum ad ſuperiorẽ remittere. Ita tenet Richard. diſt. 17. art. 2. quæſt. 8. ad 2. & alij multi apud Suar. loc. cit. ſect. 2. n. 3. Si vero adſit aliqua cauſa ex his quas modo enumerauimus, poterit inferior Sacerdos prius abſoluere directè à non reſeruatis, remittendo pœnitentem ad ſuperiorem pro abſolutione à reſeruatis, quod etiam procedit non tantũ quando caſus reſeruati non habent annexam excommunicationem, ſed etiam quando habent excommunicationem reſeruatam, quia ex hypoteſi & pœnitens eſt diſpoſitus, & Sacerdos eſt idoneus miniſter Sacramenti pœnitentiæ quoad caſus non reſer-

reſeruatos, ergo nihil obſtare poteſt quin pœnitens verè maneat abſolutus à peccatis non reſeruatis, licet remaneat adhuc ligatus excommunicatione, & hoc probat fusè Suar. loc. cit. ſect. 3. n. 2. ad 8. vſque.

Dico 10. quando pœnitens habet peccata reſeruata, vel ſine excommunicatione, vel cum excommunicatione, ſi non poſſit commodè adire ſuperiorem, vel eius delegatum pro abſolutione à reſeruatis, non tenetur ad confitendum Sacerdoti inferiori integrè, omnia peccata etiam reſeruata, ſed ſolùm non reſeruata. ita Petrus Soto, Maior, & alij. dixi (commode) quia ſi commode poſſit, vt quia Superior v. g. vel eius delegatus eſt præſens, tenetur eum adire prius quam cõfiteatur inferiori Sacerdoti, & ſi ex verecundia, aut rubore, aut differat, aut nolit adire ſuperiorem, vel eius delegatum, nullam faciet confeſſionem apud inferiorem, cum mala fide procedat.

Dico vltimò, quando pœnitens eſt ſibi conſcius peccati mortalis, nec poteſt adire Confeſſarium, iuriſdictionem habentem directè in peccata mortalia, probabile eſt poſſe confiteri coram ſimplice Sacerdote peccata venialia, à quibus abſoluetur directè, & indirectè à mortali, cum obligatione poſtea illud mortale iterum cõfitendi coram legitimo Confeſſario, ita Filiuc. tract. 7. c. 10. q. 10. poſt Suar. loc. cit. ſect. 3. n. 9.

CAPVT XXIV.

De satisfactione tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ.

DIco 1. satisfactio est actio, qua quis offensam alicui illatam reparat, idque ex dignitate, aut vt alij loquuntur, ad æqualitatem: quæ duplex est, altera respondet culpæ, & altera pœnæ: de satisfactione culpæ, nihil in præsenti dicendum, sed tantum de satisfactione pœnæ, prout est pars Sacramenti pœnitentiæ, & etiam prout est actio quædam à nobis facta extra Sacramentum pœnitentiæ.

Dico 2. Sacerdotem posse obligare pœnitentem ad satisfactionem aliquam perficiendam, quando absoluit eum, & tenetur pœnitens ad reatum peccati mortalis illam acceptare, & adimplere, si fuerit notabilis, seu quod idem est, si fuerit in re graui: tenetur etiam ad eamdem ad reatum peccati venialis, si fuerit leuis, puta si tres aut quatuor recitationes orationis Dominicæ imponantur. Hæc patent ex Concil. Flor. in decreto Eugenij. Item ex Concil. Salegunstadiensi cap. 18. quod habetur to. 3. Conciliorum, ex Concil. Trid. sess. 14. c. 18. & cap. omnis vtriusque sexus, adeo vt audeat dicere Vasques hanc sententiam esse de fide, cui videtur assentiri Putean. 3. p. de Satisf. dub. 1. Suffragantur D. Th. in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. Maior dist. 17. q. 2. & alij.

Dico 3. illa opera sunt tantum satisfactoria ex

opere operato; quæ fuerunt indicta pœnitenti à Sacerdote, minimè vero ea quæ liberè assumuntur ab ipso pœnitente, quia hæc posteriora non sumunt vim & energiam suam à Sacramento, sed solummodo ex affectu & deuotione pœnitentis, quæ si adimpleãtur in statu peccati mortalis, nullum habent effectum, etiam cum redierit pœnitens in gratiam; opera vero satisfactoria iniuncta à Sacerdote in foro pœnitentiæ, si adimpleantur in statu peccati mortalis, pro tunc nihil quidem prosunt ad satisfaciendum pro peccatis, quia Deus non condonat pœnam inimico suo, at cum redierit ad gratiam, tunc incipiunt illa opera habere vim & effectum suum. Ita Filiuc. tract. 8. c. 2. q. 9. Tol. l. 3. c. 11.

Dico 4. non potest Sacerdos pro peccatis occultis imponere publicam pœnitentiam, sed pro publicis potest: ita habet communis vsus Ecclesiæ, & astipulantur D. Th. in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiunc. 1. Palud. ibid. quæst. 6. Sotus dist. 19. q. 2. art. 1. & alij.

Dico 5. quamuis Sacerdos debeat tantum imponere plebeis, & rudioribus pœnas, seu satisfactiones externas, & sensibiles, vt ieiunia, orationes vocales, eleemosynas, peregrinationes, &c. prudentibus tamen, & litteratis poterit liberè imponere, & opera externa, & interna tantum, siue hę fuerint in consilio, siue in præcepto. ita Putean. loc. cit.

Dico 6. vnum Confessarium posse ex causa iusta, mutare pœnitentiam ab alio Sacerdote impositam, etiam non audita confessione pœnitentis. Ita Nauar. cap. 26. num. 22. Tolet. loc. cit. n. 6. vbi etiam addit non solum commutare posse, sed

etiam minuere, si melius expedire iudicauerit, nec esse opus ad hoc vt pœnitens repetat peccata, pro quibus talem accepit pœnitentiam, quod etiã Diana tract. 1. Miscell. resol. 53. & tract. 4. de Sacram. resol. 53. cum multis aliis quos ibi citat, locum habere docet, non solum quando pœnitentia fuerit iniuncta pro peccatis non reseruatis, sed etiam pro reseruatis, esto secundus ille Confessarius non habeat potestatem absoluendi à reseruatis, quia pœnitentia pro peccatis reseruatis iniuncta non est reseruata, ergo potest omnis Sacerdos idoneus, & legitimus habens omnes conditiones Confessarij, illam commutare: Ex quo licet etiam inferre simplicem Sacerdotem, qui solum habet potestatem in peecata venialia, posse ex iusta causa, mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ iam fuerunt legitimo Confessario confessa, sicque docet Sancius in Select. disp. 14. n. 13. quem citat & sequitur Diana tract. 4. de Sacram. resol. 54.

Dico 7. quando alius Confessarius pœnalem mutat pœnitentiam à priore Sacerdote impositam, id debet facere in confessione Sacramentali, & non extra; si vero hæc eadem commutatio fiat ab eodemmet Confessario, qui eam imposuit, potest facere commutatiõnem extra Sacramentum, etiam sine causa, modo pœnitens ad illum redeat ad summum infra Hebdomadam. Henriq. de Pœnit. cap. 21. §. final. Valerus in differentiis vtriusque fori, verbo iurisd. diff. 1. num. 7. Dixi in conclusione (quando mutat pœnalem satisfactionem) quia si pœnitentia sit medicinalis tantum, putat idem Valerus vbi supra, posse tunc omnem Confessa-

rium extra confeſſionem Sacramentalem, dictam pœnitentiam commutare, ſuſpendere, atque ſuper ea diſpenſare.

Dico 8. non modo Sacerdos Confeſſarius poteſt pœnitentiam ab alio impoſitam commutare, verum etiam pœnitens poteſt idem, modo commutet in aliud euidenter melius, ſicut dicitur de voto. Ita ſentit Portellus in addit. ad dub. regul. verbo pœnit. Sacram. n 6.

Dico 9. poteſt Confeſſarius imponere pœnitentiam pœnitenti per alium implendam, ipſe tamen pœnitens non poteſt abſque licentia Confeſſoris onus iſtud alteri committere, quapropter ſi Confeſſarius id expreſsè non indicet, ſignum eſt eum velle, vt pœnitens per ſe impleat. Ita Filiuc. tract. 8. cap. 2. quæſt. 10. Tol. loco cit. num. 6. qui num. 5. multos enumerat caſus propter quos poteſt Confeſſarius imminuere pœnitentiam peccatis debitam, quos hic breuiter recenſebimus; primus eſt, quando pœnitens accedit valde contritus; ſecundus, quando eſt tempus indulgentiæ, vel Iubilæi; tertius, quando pœnitens eſt ita imperfectus, vt timor ſit non acceptaturum pœnitentiam, vel ſi acceptet non impleturum; quartus, quando pœnitens habet impedimentum, vt quia ſenex, debilis, vel quia aliis modis non tam facilè poteſt adimplere tantam pœnitentiam; quintus, eſt quando alia via iuuantur pœnitenia, & ſatisfactio, puta iniungendo illi in pœnitentiam omnia quæ facturus eſt bona, & omnia quæ paſſurus eſt mala, vnde optimum eſt conſilium, ſi Sacerdos dicat poſt abſolutionem: Merita paſſionis, &

quidquid boni feceris, &c.

Est etiam hîc notandum, multos graues authores existimare, non esse in pœnitentiam imponendas preces pro animabus purgatorij, aut pro aliis negotiis recitandas, quamuis nonnulli dicant licere. & hæc de Sacramento Pœnitentiæ satis.

TRACTATVS SECVNDVS, DE MATRIMONII SACRAMENTO.

PRÆFATIO DE VARIIS HVIVS Sacramenti nominibus.

TRIA sunt apud omnes huius Sacramenti nomina, Matrimonium, Connubium, seu Coniugium, & Nuptiæ: dicitur Matrimonium quasi matris munium, id est, officium, eò quod matris sit potissimũ prolem educare, sicut dicitur patrimonium, quia patris potissimum est de hæreditate filiis prouidere, & in procreatione liberorum ad quam ordinatur Matrimonium, magis habetur ratio matris, quam patris, vnde illud, Proles sequitur ventrem, vel ita dicitur, quia non ob aliud communiter fœmina nubit, quàm vt fiat mater.

Dicitur Coniugium, quasi mutuum viri & fœ-

minæ iugum, quia ambo per matrimonium sese obligant ad vsum matrimonij, & alia eius onera.

Nuptiæ denique à nubendo, id est, velando, eo quod capita viri & fœminæ olim vela recetur teste D. Ambr. idque in signum pudoris, vel vt ait Isidorus, eo quod cùm virgines essent tradendæ in matrimonium, solebant se velo operire, sicut Rebecca Gen. 24. viso Isaac, sese statim pallio contexit.

Et quoniam duobus modis considerari debet matrimonium, 1. vt est in officium naturæ, & contractus quidam ciuilis, 2. vt est Sacramentũ, 1. de illo agemus vt est contractus, 2. vt est Sacramentum.

Caput I.

In quo consistat natura Matrimonij, vt est contractus ciuilis, & in officium naturæ, an in vinculo, an in contractu, & quid sit?

Quatuor possunt distingui in Matrimonio, 1. est contractus verbis vel signis expressus, quo ipsi coniuges sese mutuo tradunt, & accipiunt; 2. est vinculum, quo ita inter se coniunguntur, vt non possint cum aliis contrahere; 3. est ius & potestas mutua in ordine ad vsum matrimonij, quia possunt à se inuicem debitum petere, 4. & vltimum est ipsa vitæ societas, & cohabitatio. iam cũ vnumquodque horum vocetur aliquando matrimonium, quæritur in quonam horum consistat ratio formalis seu natura matrimonij, ad quod

Dico rationem formalem, seu naturam matrimonij, vt est officium naturæ, consistere precisè, tantum in contractu, seu consensu verbis vel signis expresso, quo ipsi coniuges sese mutuo tradunt, & accipiunt. ita tenet D. Thom. 3. parte. q. 44. art. 1. tum quia essentia contractus est in mutuo consensu partium, sed matrimonium est contractus ergo, &c. tum quia & vinculum, & ius, seu potestas mutua in ordine ad vsum matrimonij, & societas, siue cohabitatio sunt tantum effectus illius consensus, & sicut prius est causam esse quam effectum. ita prius est adesse in matrimonio consensum quam vinculum, & potestatem vtendi matrimonio, & societatem, ideo enim contrahentes non possunt alteri se obligare, tam ad vsum matrimonij quam ad societatem, quia simul iam contraxerunt, & quando matrimonium appellatur vinculum, ius, seu potestas ad vsum matrimonij, & cohabitatio, id intelligendum est causaliter, quia scilicet illa omnia consensus efficit, atque hinc deducitur definitio matrimonij matrimoniū est coniunctio maritalis viri & mulieris, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.

In hac definitione, genus est ipsa (coniunctio) quæ ibi sumitur pro ipso consensu vtriusque partis, ideoque vocatur ab aliis coniunctio animorum, qua alter alteri se tradit ad vsum coniugalem, expresse vel tacitè, hinc illa iuris regula, nuptias non concubitus sed consensus facit, additur (maritalis) ad designandum finem & obiectum talis contractus, & ad excludendas alias obligationes, quæ possunt esse inter virum & fœminam, qualis est coniunctio socialis, fraterna, filialis, & similes,

additur(viri, & mulieris) ad excludendam Polygamiam,quæ potius plura facit matrimonia,quam vnum. 4. dicitur (inter legitimas personas) quia quædam personæ habent certa impedimenta,propter quæ non possunt inter se inuicem talem contractum inire, vt dicetur infra cum de impedimẽtis. additur vltimo (indiuiduam vitæ consuetudinem retinens) vt significetur obligatio ad perpetuo conuiuendum , & indissolubile matrimonij vinculum; posset autem fortasse ista definitio clarius hoc modo tradi , matrimonium est contractus seu mutua traditio corporum, inter legitimas personas sub indissolubili vinculo , ad susceptionem & educationem prolis.

CAPVT II.

Vtrum matrimonium sit licitum , & sit vel fuerit in præcepto?

DIco 1. matrimonium tam secundum se quam secundum vsum,honestum esse&licitum.hoc est de fide, & satis probatur ex verbis Apost.1. ad Corinth.7. si acceperis vxorem , non peccasti, & si nupserit virgo non peccauit,item qui matrimonio iungit virginem suam benefacit & adHeb.13. honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus , vnde Deus dicitur coniungere maritatos. Math. 19. quod Deus coniunxit homo non separet, & idem Apost. permittit maritatis vsum coniugij, ad euitandam incontinentiam, dum ait 1. ad Corint. 7. iterum reuertimini in idipsum, hoc autem dico secundum indulgentiam , id est,

permiſſionem, non ſecundum imperium.

Dico 2. matrimonium eſſe in præcepto, ex iure naturali, toti hominum communitati, ſingulis vero nonniſi quamdiu eſt tanta hominum paucitas, vt perpetuitati humani generis ſine eorum matrimonio non ſatis eſſet prouiſum, atque hinc ſequitur. 1. & principaliter obligari rectores ciuitatis, dare operam vt nunquam coniuges deſint, ſi forte aliquando hoc eueniret, quamuis hoc tempore nō oporteat eos multum eſſe ſollicitos de huius præcepti executione, cum homines per ſe ſint ſatis cōiugio dediti, vt bene notat Sot. in 4. diſt. 26. q. 1 art. 2. ſequitur. 2. in articulo neceſſitatis quo immineret periculū ne ſpecies humana interiret, eos qui voto caſtitatis tenerentur, debere contrahere matrimonium, quia votum quod eſt factum ad propriam vtilitatem vouentis non debet nec poteſt præiudicare præcepto naturali de conſeruanda ſpecie, cum indiuiduum ordinetur ad bonum ſpeciei & ad eius conſeruationem.

Quæres 1. vbi & quando fuit inſtitutum matrimonium? *Reſp.* inſtitutum fuiſſe in paradiſo terreſtri in ipſa Adæ & Euæ creatione. ita Abul. in c. 9. D. Matt.

Quæres 2. vtrum infideles peccent celebrando matrimonium? *Reſp.* quod non quia eſt in officium ſeu propagationem & conſeruationem naturæ humanæ atque in remedium concupiſcentiæ, non tamē eſt ſacramentum quia cum baptiſmus ſit ianua ſacramentorum, & ipſi infideles non ſint baptizati eorum matrimonium non poteſt habere rationem ſacramenti, ſed remanet intra terminos ciuilis contractus, ſi tamen ad fidem conuer-

terentur, & suscepto baptismo nouum consensum elicerent, vel antiquum verbis, signis, nutibus, aut copula maritali approbarent, tunc illorum matrimonium inciperet esse sacramentum, & conferret gratiam matrimonialem ex opere operato. Sic Henriq. l. 11. capit. 8. & alij, addo præterea quod non esset opus vt ipsi infideles ad fidem conuersi exprimerent suum consensum coram Parocho, & testibus, quia hæc solemnitas requiritur à Concil. Trident. vt contractus validè celebretur, at vt suppono, hic contractus validè celebratus fuit ante baptismum ergo, &c. Ita Sanchez loco citato lib. 2. disputatione 9. numero. 1.

Quæres 3. vtrum copula carnalis viri cum muliere extra legitimum matrimonium sit iure naturæ illicita? *Resp.* quod sic ratio est quia finis principalis matrimonij est procreatio & educatio prolis, eo modo qui conueniat perfectioni hominis vt homo est qui modus consistit in hoc vt tria suppeditent parentes filiis, esse, nutrimentum & disciplinam. item vt ait D. Thom. vt thesaurizent parentes filiis, & filij parentum hæredes sint, sed hæc omnia non reperiuntur in copula carnali extra legitimum matrimonium ergo est illicita iure naturæ.

Digitized by Google

Caput III.

Vtrum polygamia repugnet matrimonio.

Hæc quæstio mouetur ex eo quod in definitione matrimonij dictum est, matrimonium esse couiunctionem maritalem vnius viri cum vna muliere vt polygamia excludatur quæut intelligatur sciendum est triplicem esse polygamiam. 1. est plurium vxorum vel virorum successiuè, scilicet quando priore vxore defuncta vir qui adhuc est superstes alteram ducit, & è contra quando viro defuncto vidua alium virum ducit. secunda polygamia est plurium virorum simul respectu vnius & eiusdem vxoris. 3 est plurium vxorum simul respectu vnius & eiusdem viri. hoc prænotato per sequentes propositiones explicabimus dubitationem propositam.

Prima conclusio prima polygamia non repugnat matrimonio nec est prohibita. id insinuat D. Paulus 1. ad Tim. 3. vbi hortatur iuniores viduas nubere & 1. ad Corinth. 7. dicit de coniugata muliere, si dormierit vir eius cui vult nubat tantum in Domino, vbi loquitur indefinitè (si vir eius) vt significet posse secundo tertio quarto & ita sæpius contrahere nuptias si modo vir eius decesserit.

Secunda conclusio secunda polygamia quæ est plurium vicorum simul respectu vnius & eiusdem vxoris repugnat iuri naturali & positiuo tum quia polygamia ista repugnat primario fini matrimo-

nij qui est procreatio & educatio prolis vt iam dictum est, nam pluralitas virorum impedit fœtus formationem, impedit etiam educationem quia tunc incertum est cuiusnam viri sit ista proles, repugnat item hæc polygamia secundo fini matrimonij qui est pacifica societas & indiuiduus conuictus, nam ex tali polygamia sæpe orirentur iurgia inter ipsos viros, cum & data polygamia plurium vxorum respectu vnius & eiusdem viri nata sint plura dissidia inter vxores vt inter Liam & Rachelem inter Saram & Agar, ergo, &c. tum quia per matrimonium debent esse duo in carne vna, vt Christus Dominus docuit. Math. 19. at ista polygamia posita, iam non essent duo in carne vna sed plures, igitur repugnat tam iuri naturali quam positiuo.

Quæres vtrum Deus possit dispensare vt vxor vna plures habeat viros? *Resp.* quod sic. Ita Sanch. l. 7. de matr. disp. 80. num. 15. & alij quia Deus potest impedire incommoda quæ ex tali polygamia orirentur, siue contra finem primatium supplendo defectum naturalem qui impedit ne mulier à pluribus viris cognita concipiat prolem, siue contra secundarium conferendo illis dona quædam spiritualia ad pacificum conuictum & societatem indiuiduam ergo, &c.

Tertia conclusio polygamia plurium vxorum respectu vnius viri est prohibita iure naturæ eò quod repugnat paci & quieti domus ac familiæ. item est contra instinctum rationis, ex quo instinctu Adam vnam tantum accepit vxorem, nec Deus plures illi dedit, vnde dixit Adam Genes. 2. erunt duo in carne vna & Genes. 1. dicitur Deus fecisse eos masculum & fœminam quæ verba in

ſingulari poſita ſicut & iſta(adhærebit vxori ſuæ) aperte indicāt Deum voluiſſe vt matrimonium eſſet vnius cum vna,& non vnius cum pluribus fœminis.

Quæres vtrum accedente diuina diſpenſatione poſſet vir vnus ducere plures vxores? *Reſp.* quod ſic vt euenit in veteri teſtamento, in quo multi ſancti viri plures habuerunt vxores ſimul qui tamen minimè reprehenduntur. imo vt ſancti coluntur ab Eccleſia Catholica, ergo ſignum eſt Deum cum illis diſpenſaſſe vt hoc licite facere poſſent.

Quæres 2. vtrum quando Deus diſpenſauit cum Iudæis diſpenſarit etiam cum gentilibus ita vt poſſent habere plures vxores ſimul? *Reſp.* quod ſic, & hoc patet ex facto Mardochæi qui conſenſit vt Heſter nuberet Aſſuero gentili plures iam xvores habenti, nec ex hac re reprehenditur Mardochæus.

Quætes 3. vtrum Chriſtus Dominus reuocando polygamiam vxorum reſpectu vnius viri quoad fideles Math. 19. reuocauerit etiam quoad gentiles & infideles? *Reſp.* quod ſic. quia loco D. Mathæi citato reuocat matrimonium ad ſuam primam inſtitutionem & præcipit ita obſeruari quod Deus inquit coniunxit homo non ſeparet, at matrimoniū in ſua. 1. inſtitutione fuit vnius viri cum vna vxore Geneſ. 2. & ſi quis ab eo tempore prima dimiſſa aliam ducit mæchatur Math. 19. ergo & qui priori retenta aliam ducit mæchabitur. vnde quando. infideles Iudæi & Gentiles ad fidem conuertuntur, coguntur dimittere omnes vxores quas habebant præter eam quam primo loco duxerant & ſi vxores quas vir habebat tempore infidelitatis conuertantur præter primam nolentem cum ipſo per-

manere sine iniuria creatoris, vir non tenetur vllã ex conuersis ducere quia ex ipsis nulla est eius cõiux præter primã sic Henriq. c. 6. lib. duodecimi.

Quæres vltimo vtrum summus Pontifex possit dispensare vt quis habeat simul plures vxores? *Resp.* quod non quia non potest dispensare in iure naturæ.

CAPVT IV.

De matrimonio vt est sacramentum, an matrimonium fidelium sit sacramentum & quando fuit institutum?

DIco 1. matrimonium fidelium est propriè sacramentum, tum quia est signum efficax gratiæ sanctificantis tum quia hoc est de fide definitum in Concil. Trid. sess. 7. can. 1. & patet ex Apostolo c. 5. ad Ephes. vbi relatis his verbis propter hoc relinquet homo, &c. subiungit sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, hoc est cõiugium magnum sacramentum est, ac mysterium cum sit signum vnionis Christi cum Ecclesia sic enim explicant hunc locum Pãtres Ecclesiæ D. Hieron. Theoph. D. Chrys. & alij.

Quæres, primò vtrum matrimonium infidelium sit sacramentum? *Resp.* quod non vt diximus sup. c. 2.

Quæres 2. vtrum matrimonium vnius personæ baptisatæ cum vna non baptisata, sit proprie sacramentum? *Resp.* quod non: quia matrimonium quod est sacramentum est indissolubile maxime

post

post consummationem at matrimonium etiam consummatum vnius personæ baptisatæ cum vna non baptisata est dissolubile vt dicetur infra cum de impedimentis matrimonij, ergo non est sacramentum.

Quæres 3. vtrum matrimonium hæreticorum sit sacramentum? *Resp.* quod sic. Ita Bellarm. l. 1. de matr. c. 12. atque ita si alter coniugum conuertatur ab hæresi & alter nolit habitare cum eo sine iniuria creatoris non soluitur tamen huiusmodi sacramentum quo ad vinculum sicut è contra contingit in matrimonio infidelium, non quod hæresis nõ sit species aliqua infidelitatis, sed quia matrimonium illud cõtractum fuit inter personas baptisatas, ea de causa est proprie sacramentum quẽadmodum ergo cum vnus Christianorum coniugum fit aut hæreticus aut apostata à fide, aut Ethinicus, aut Atheus non soluitur propterea sacramẽtum antea contractum quoad vinculum ita vt altera pars relicta possit alteri nubere, quia illud matrimonium fuit sacramentum, ita omnino censendum est de matrimonio inter hæreticos contracto.

Dico 2. matrimonium institutũ fuisse post Christum incarnatum & non ante, idque quando interfuit nuptiis in Cana Galilææ, vt habetur Ioan. 2. vel vt alij volunt quando Christus dixit Math. 19. quod Deus coniunxit homo non separet. ita Henriq. lib. 11. c. 2.

Quæres vtrum matrimonium ratum & non consummatum sit sacramentum? *Resp.* quod sic: quia copula carnalis non est de inti insæca ratione ipsius matrimonij in ratione contr: ctus, ergo n: que vt est sacramentũ, Christus enim instituendo matrimonium in sacramẽtum nihil in eo immutauit sed

tantum ipsi superaddidit rationem sacramenti, adde quod, sicut actualis possessio rei alicuius emptæ, non est essentia contractus emptionis, sed tantum spectat ad eius accidentalem integritatem, ita etiã copula carnalis seu ipsa matrimonij consummatio non erit de essentia matrimonii vt est sacramentum, sed tantum spectabit ad illud quo ad perfectionem quandam accidentalem, sicut actus secundus facit ad perfectionem accidentalem actus primi, quare cum essentia matrimonij consistat in cõtractu quo coniuges tradunt sibi inuicem potestatem in sua corpora, dicendo, accipio te in meum, & accipio te in meam, carnalis vero copula sit vsus corporum per contractum matrimonij sibi inuicem traditorum, non desinet matrimonium sine illa esse verus contractus & ex consequenti verum sacramentum.

Quæres 2. vtrum fuerit verum matrimonium inter Beatiss. Virginem & sanctum Ioseph? *Resp.* quod sic, licet nunquam fuerit consummatum nec consummandum, quod B. Virgini fuerat specialiter à Deo reuelatum; vnde nec peccauit Virgo contra votum castitatis ineundo matrimonium. legendus Henriq. l. 11. c. 1. n. 1. & alij.

Quæres 3. quid sit matrimonium tantum? *Resp.* illud dici ratum in quo nondum vlla interceßit copula carnalis inter coniuges; consummatum vero in quo illa interceßit.

Digitized by Google

CAPVT V.

Vtrum matrimonium fidelium per procuratorem vel litteras contractum sit verum sacramentum?

RESpondeo quod sic, qualiscumque conditionis aut sexus sit procurator, siue vir, siue mulier, siue iuuenis, siue senex, satis enim est quod sint rationis capaces ; & hoc est peculiare matrimonio quod possit perfici inter absentes, quia est contractus, & sicut cæteri contractus possunt celebrari inter absentes procuratore medio, dummodo constet de eorum præsenti consensu, ita etiam contractus matrimonialis poterit fieri inter absentes, nec propterea desinet habere rationem sacramenti, eo quod eleuatio matrimonij ad sacramentum non destruit illud in quantum est contractus, imo potius præsupponit & in eo fundatur, sicut ratio Baptismi aduenit ; lotioni in illaque fundatur, ita etiam ratio sacramenti aduenit contractui in illoque fundatur, ergo licet fiat per procuratorem non definit esse sacramentum. idem dicendum de eo matrimonio quod fit per litteras vel per nuncium.

Quæres 1. quænam conditiones requirantur vt procurator validè contrahat matrimonium nomine absentis? *Resp.* quinque sequentes communiter assignari, prima est, vt procurator habeat speciale mandatum ad contrahendum ma-

trimonium. Secunda est vt procurator perseip-sum illud onus exequatur nec enim potest alium substituere nisi hoc illi specialiter sit commissum, vt habetur cap. fin. de procur. in sexto. Tertia, vt tempore contractus seu quo procurator contrahit non sit reuocata procuratio vel consensus illius qui dedit commissionem tunc enim nullum esset matrimonium quamuis reuocatio lateat procuratorem & alterum coniugem , & iurasset se non reuocaturum commissionem quia consensus est essentialis matrimonio nec requiritur vt reuocatio fiat aliquo signo externo , sed sufficit si sit interior , & fiat mentaliter : imo sufficienter censetur reuocata talis procuratio , si ipse constituens aliquid agat omnino contrarium , tunc enim tacite censetur illam reuocare. Ita Sanch. lib. 2. disp. 11. Quarta conditio, vt mandatum sit ad contrahendum cum certa persona , nec sufficit hæc clausula (ad contrahendum cum quacumque) vt patet ex lege naturali digestis de ritu nuptiarum. Quinta , est vt ipse procurator non excedat fines sui mandati vnde si habet mandatum contrahendi certa dote constituta , si contrahat illa non constituta matrimonium nullum est , si vero dicatur tantum seruata iuris cæremonia valet etiam si illa non seruetur , vnde valeret matrimonium si non fierent denunciationes quia pertinent tantum ad cæremonias matrimonij non ad essentiam Nau. c. 27. n. 37.

Quæres 1. quænam sint verba quibus procurator vtitur contrahendo nomine absentis? *Resp.* esse hæc vel similia : accipio te in virum vel, vxorem nomine talis personæ, & pars quæ contrahit dicit & ego te mediante accipio talem in virum,

vel vxorem hoc enim pacto ſufficienter exprimitur conſenſus de præſenti.

Quæres 2. vtrum procurator debeat eſſe in gratia tempore quo contrahit nomine abſentis? *Reſp.* quod non : quia ipſe non eſt miniſter principalis ſed tantum inſtrumentalis ſacramenti matrimonij vnde conſequenter infertur quod procurator non recipit gratiam quæ tunc confertur per tale ſacramentum ſed eſt ipſe cuius nomine contrahit, qui ne ponat obicem debet eſſe in ſtatu gratiæ, non tamen eſt neceſſe eum vigilare, aut eodem tempore quo eius procurator contrahit elicere nouum conſenſum ; gratia enim ſacramentalis etiam dormientibus conferri poteſt quia ad illam recipiendam ſatis eſt non ponere obicem gratiæ, nec habuiſſe actum contrarium voluntati de ſacramento ſuſcipiendo, ſed in ea perſeueraſſe.

CAPVT VI.

Quænam ſit materia forma & miniſter ſacramenti matrimonij?

DIco 1. materiam remotam huius ſacramenti eſſe ipſa corpora contrahentium, ſeu ipſas perſonas contrahentes eſſe materiam circa quam huius ſacramenti.

Dico 2. materiam proximam matrimonij eſſe mutuam corporum ipſorum contrahentium traditionem factam verbis, vel nutibus, vel ſignis, conſenſu tamen interiori informatis, & mutuam ipſorum contrahentium corporum acceptatio-

nem, verbis item, signis vel nutibus factam interiori quoque consensu informatis esse formam sacramenti matrimonij, ita D. Thom. in supplemento quæst. 45. art. 2. vbi docet mutuam corporum traditionem ita se habere ad matrimonium vt se habet exterior ablutio ad baptismum; at excommuni omnium sententia exterior ablutio est materia prima baptismi, ergo & mutua corporum contrahentium traditio est proxima materia sacramenti matrimonij.

Quæres 1. cur diximus in conclusione, verbis, aut nutibus interiori consensu informatis? *Resp.* quia vt sacramentum quodcumque debet esse sensibile, ita etiam debet constare materia, & forma sensibilibus, vnde solus interior non sufficit.

Quæres 2. cur dixerimus ista signa exteriora debere informari interiori consensu? *Resp.* est quod talis contractus debet esse liber & voluntarius vt dicetur postea.

Quæres 3. cur addita sunt hæc verba sub disiunctione, (verbis, aut signis, aut nutibus?) *Resp.* quia cum matrimonium sit de genere contractuum, cõtractus vero perfici possint solis verbis, aut signis, aut nutibus contrahentium, sequitur quod etiam matrimonium possit perfici non tantum verbis, sed etiam nutibus aut signis, quod peculiare est huic sacramento & in hoc differt ab aliis in quibus omnino necessarium est formam consistere in verbis proprie dictis.

Quæres 4. vtrum sola taciturnitas sufficiens sit ad contrahendum matrimonium in vtroque foro, quando scilicet pater & mater, vel qui filiorum curam gerunt pro filio vel filia præsente & intelligente contrahunt matrimonium? *Resp.* quod sic:

Digitized by G

quia, vt inquit D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. verba parentum reputantur verba puellæ, est enim sufficiens signum quod sint eius, eo quod non contradicit; nam in fauorabilibus, cuiusmodi est matrimonium, silentium est signum sufficiens consensus; vnde sequitur vt bene notat modernus quidam Doctor, quod si extraneus quidam pro puella aut sponso tacente responderet non esset validum matrimonium, non enim sufficienter exprimeretur consensus sponsæ quando ipsa taceret, & extraneus pro ipsa responderet.

Quæres 5. quale sit peccatum dum consensus exprimitur signis aut nutibus, cum tamen posset declarari verbis? *Resp.* esse tantum peccatum veniale, ita quidam Doctor modernus.

Dico 3. solos contrahentes matrimonium esse proprie ministros huius sacramenti. ita Suarez 3. parte tom. 1. de sacramentis disp. 15. sect. 4. & alij: ratio est, quia ille est minister sacramenti qui applicat materiæ formam, at ipsi contrahentes applicant sibi mutuo materiam & formam, vt patet ex ipsa mutua traditione & acceptatione, quæ sunt materia & forma sacramenti huius quas soli contrahentes faciunt: nam verba quæ dicuntur ab ipso sacerdote non sunt causa matrimonij, sed tantum ceremonialia & approbatiua eorum quæ tunc fiunt ab ipsis contrahentibus; vnde nec peccat mortaliter sacerdos assistens matrimonio cum conscientia peccati mortalis.

CAPVT VII.

De sponsalibus quid sponsalia & quid operentur?

NOmen (sponsalia)deriuatur à spondendo id est promittendo quia in sponsalibus vir & mulier sibi matrimonium repromittunt vnde contractus ille repromissionis vocatur sponsalia & personæ sibi inuicem repromittentes dicuntur sponsus & sponsa , & quidem si sponsus & sponsa sibi inuicem promittant fidem de contrahendo matrimonio in futurum dicuntur quidem spõsus & sponsa ratione futuri matrimonij : & contractus ille siue illa promissio dicitur sponsalia & hæc est propria nominis huius acceptio , quamuis etiam qui contraxerunt matrimonium per verba de præsenti & ante copulam carnalem soleant appellari sponsi & sponsæ & eorum matrimonium vocetur (sponsalia) quo modo Beatissima Virgo & sanctus Ioseph dicuntur sponsus & sponsa quia vere contraxerunt inter se matrimonium quamuis nunquam fuerit subsecutus vsus , matrimonialis seu copula carnalis inter eos , hoc autem loco non agimus de sponsalibus secundo modo sumptis sed iuxta priorem sensum quo modo aptè definiuntur à Theologis mutua futuri matrimonij promissio ex quo fit vt maneant obligati sub peccato mortali ad matrimoniũ postea contrahendũ, quamuis iuramentum non fuerit ad promissionem

adhibitum, vt optime oſtendit Couarruuias in Epitome c. 4. par. 1.

Vbi aduerte ad ſponſaliorum validitatem tria requiri; primum promiſſionem voluntariam, quia ſi eſſet tantum propoſitum non induceret obligationem, propoſita enim non obligant, hæc vero promiſſio debet eſſe voluntaria, id eſt, libera non vi aut metu extorta, neque etiam ficta, alioqui ex vi promiſſionis, nullam inducerent obligationem, quamuis poſſent aliunde inducere, vt ratione dãni. Secundum quod requiritur eſt, vt promiſſio ſit mutua & reciproca, eaque acceptata; alioqui enim ſi vnus ſponſorum tantum promitteret, & alius reciproce nihil omnino reſpõderet, non tenerent ſponſalia, poſſetque qui promiſit reſilire à promiſſione poſt aliquod tempus arbitrio prudentis viri limitandum; Tertium quod requiritur eſt, vt verbis aut ſignis, aut nutibus ſufficienter manifeſtetur mutua promiſſio & acceptatio, vt diximus ſupra de mutuo conſenſu matrimonij, alioqui enim nulla eſſet obligatio, ſi neque verbis ſignis, aut nutibus manifeſtaretur conſenſus internus in matrimonium de futuro contrahendum. hinc ſequitur ſolam taciturnitatem non ſufficere ad exprimendam promiſſionẽ, niſi in eo caſu in quo pater & mater ſponſi aut ſponſæ, aut alius qui eorum curam gerit, pro ſponſis tacentibus contrahit ſpõſalia, modo filij interius conſentiant: quod ſi alius qui eorum curam non habet pro illis ſpondeat, nihil facit, nec tenent ſponſalia, vti diximus ſuperiori capite de conſenſu matrimonij, quamuis fortaſſis ſponſi interius conſentiant.

Quæres 1. quomodo ſit dijudicandum an conſenſus verus fuerit, vel non? *Reſp.* Ex ipſo ſenſu

quem præ se ferunt ipsa verba, quibus fuit elicitus consensus secundum communem loquendi vsum regionis, habita etiam ratione antecedentium & consequentium, & si ex his nihil certi colligatur & maneat adhuc dubium de illo consensu, tunc tam in foro exteriori quã interiori erit in bonum matrimonij,& sponsaliorum ferenda sententia, vt colligitur ex cap. ex litteris de probationibus, vbi dicitur existentibus probationibus paribus iudicem debere absoluere,præter quam in causa liberali, vbi per causam liberalem glossa intelligit ipsum matrimonium, quod est res fauorabilis.

Quæres 2. an sponsalia contracta sine Parocho & testibus, in locis vbi decretum Concil.Trid.est promulgatũ,& acceptatum,sunt vãlida? *Resp.*quod sic,quia nihil quoad sponsalia innouauit Concilium; solum enim loquitur de clandestinis matrimoniis nulla facta mentione sponsaliorum. Ita Nau. c. 25. n.144.an verò peccent mortaliter, qui ita contrahunt, affirmat Caiet. in Summa verbo sponsalia. quæ opinio videtur durior, quatenus omnino requirit in sponsalibus præsentiam Parochi: si enim is non vocaretur, secluso contemptu,vel ex causa, vel ex inaduertentia, vel quia priuatè coram paucis propinquis quorum interest ineantur, non videtur illa prætermissio vocationis Parochi fore peccatum mort.cum præsentia Parochi absolutè nõ desideretur, nisi cum validè contrahendum est matrimonium per verba de præsenti, & adhuc tantùm vbi viget Trid. decretum,quod non extẽditur ad sponsalia clandestina. Ita Sanchez lib. 1. disp.13.

Quæres 3. an sponsalia debeant esse certa, id

eſt, debeant dirigi in certam perſonam. *Reſp.* quod ſic, alioqui non ſunt propriè & perfectè ſponſalia, ita Coninchus diſp. 21. dub. 2. n. 16.

Quæres 4 quænam ætas requiratur ad ſponſalia valide contrahenda? *Reſp.* requiri ætatem ſeptem annorum completam, tam in maſculo quam in fœmina, iure Eccleſiaſtico; ita vt ante hanc ætatem inualida ſint ex defectis vſus rationis, niſi fortè malitia ſuppleat ætatem, id eſt, niſi ante ſeptennium adſit ſufficiens vſus rationis quo contrahentes intelligant quid agunt: ita Nau. in Manuali cap. 22. num. 25. dixi iure Eccleſiaſtico, quia iure naturali ea ætas ſufficit ad contrahendum Matrimonium, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, quare ſi ante ſeptennium quidem inueniantur habere ſufficiens iudicium ad peccádum mortaliter, habebunt etiam ſufficiens iudicium ad ſe obligandum ad Matrimonium contrahendum.

Quæres vltimo, an poſſint parentes aut qui eorum curam gerunt, contrahere pro filiis, qui nondum peruenerunt ad ſeptennium? *Reſp.* Quod ſic, non tamen valida erunt illa ſponſalia, niſi poſt ſeptennium completum filij cognoſcentes quid pro iis egerunt parentes, vel qui eorum curam gerunt, tacitè vel expreſsè conſentiant; quem conſenſum abſolutè præbere non tenentur, niſi inde ſequerentur magna damna, diſſidia, contentiones & lites in familiis ſuis; quo caſu tenerentur conſentire, vt ijs damnis euidenter ſequuturis occurrerent.

quem præ se ferunt ipsa verba, quibus fuit elicitus consensus secundum communem loquendi vsum regionis, habita etiam ratione antecedentium & consequentium, & si ex his nihil certi colligatur & maneat adhuc dubium de illo consensu, tunc tam in foro exteriori quã interiori erit in bonum matrimonij,& sponsaliorum ferenda sententia, vt colligitur ex cap. ex litteris de probationibus, vbi dicitur existentibus probationibus paribus iudicem debere absoluere,præter quam in causa liberali, vbi per causam liberalem glossa intelligit ipsum matrimonium, quod est res fauorabilis.

Quæres 2. an sponsalia contracta sine Parocho & testibus, in locis vbi decretum Concil. Trid. est promulgatũ,& acceptatum,sunt valida? *Resp.* quod sic,quia nihil quoad sponsalia innouauit Concilium, solum enim loquitur de clandestinis matrimoniis nulla facta mentione sponsaliorum. Ita Nau. c. 25. n. 144. an verò peccent mortaliter, qui ita contrahunt, affirmat Caiet. in Summa verbo sponsalia. quæ opinio videtur durior, quatenus omnino requirit in sponsalibus præsentiam Parochi: si enim is non vocaretur, secluso contemptu, vel ex causa, vel ex inaduertentia, vel quia priuatè coram paucis propinquis quorum interest ineantur, non videtur illa prætermissio vocationis Parochi fore peccatum mort. cum præsentia Parochi absolutè nõ desideretur, nisi cum validè contrahendum est matrimonium per verba de præsenti, & adhuc tantùm vbi viget Trid. decretum,quod non extẽditur ad sponsalia clandestina. Ita Sanchez lib. 1. disp. 13.

Quæres 3. an sponsalia debeant esse certa, id

eſt, debeant dirigi in certam perſonam. *Reſp.* quod ſic, alioqui non ſunt propriè & perfectè ſponſalia, ita Coninchus diſp. 21. dub. 2. n. 16.

Quæres 4 quænam ætas requiratur ad ſponſalia valide contrahenda? *Reſp.* requiri ætatem ſeptem annorum completam, tam in maſculo quam in fœmina, iure Eccleſiaſtico; ita vt ante hanc ætatem inualida ſint ex defectis vſus rationis, niſi fortè malitia ſuppleat ætatem, id eſt, niſi ante ſeptennium adſit ſufficiens vſus rationis quo contrahentes intelligant quid agunt: ita Nau. in Manuali cap. 22. num. 25. dixi iure Eccleſiaſtico, quia iure naturali ea ætas ſufficit ad contrahendum Matrimonium, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, quare ſi ante ſeptennium quidem inueniantur habere ſufficiens iudicium ad peccá dum mortaliter, habebunt etiam ſufficiens iudicium ad ſe obligandum ad Matrimonium contrahendum.

Quæres vltimo, an poſſint parentes aut qui eorum curam gerunt, contrahere pro filiis, qui nondum peruenerunt ad ſeptennium? *Reſp.* Quod ſic, non tamen valida erunt illa ſponſalia, niſi poſt ſeptennium completum filij cognoſcentes quid pro iis egerunt parentes, vel qui eorum curam gerunt, tacitè vel expreſsè conſentiant; quem conſenſum abſolutè præbere non tenentur, niſi inde ſequerentur magna damna, diſſidia, contentiones & lites in familiis ſuis; quo caſu tenerentur conſentire, vt ijs damnis euidenter ſequuturis occurrerent.

CAPVT VIII.

An sponsalia possint transire in Matrimonium, & an possint dissolui, & quibus ex causis?

DIco primò, in locis vbi Concil. Trid. non est receptum, quoad ea quæ decernit circa Matrimonium contrahendum, sponsalia transeunt in Matrimonium duobus modis, 1. per declarationem consensus de præsenti verbis, aut aliquo signo aperto factam, cuiusmodi esset solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, mutua cohabitatio per longum tempus, & similia: ita Doctor quidam modernus in manuscriptis. 2. sponsalia transeunt in Matrimonium quando intercedit copula carnalis vxorio affectu, id est, cum sponsi tanquam veri coniuges se cognoscunt, & ea re mutuum consensuum de præsenti declarant, sic Greg. de Valent. de Matr. q. 2. punct. 4. Dixi in conclusione (in locis vbi Conc. Trid. non est promulgatum) quia vbi est promulgatum, nec copula carnalia maritali affectu facta, neque verba consensum de præsenti explicantia sufficiunt ad Matrimoniũ, valide celebrandum, nisi adsit Parochus, & duo saltem testes, ita diffinitum in dicto Conc. sess. 24.

Dico 2. sponsalia posse dissolui pluribus de causis, quas cõmemorat D. Tho. in suppl. q. 43. ar. 1. Couar. in Epit. l. 4. par. 1. c. 5. & Nau. c. 22. n. 25. & sequentibus.

Prima causa est, si eam obligationem partes ipsæ

viciſſim ſibi remittant, etiamſi iuramento firmata fuerit Nau. loc. cit. 2. cauſa eſt, ſi alter ſponſorū ingrediatur religionem etiamſi non profiteatur. Syl. verbo ſponſalia q. 10. per votum autem caſtitatis ſuperueniens ſponſalibus, ſponſalia ipſa non diſſoluuntur, quia illud non valet, ſine conſenſu ſponſi vel ſponſæ. Sic Nau. loc. cit. n. 21. 3. cauſa eſt, ſi alter contrahat de præſenti cum altera perſona, etiam copula non ſequuta. 4. cauſa eſt, ſi alter cum alia perſona contrahat ſponſalia copula affectu maritali ſequuta, idque in locis vbi decretū Concilij, non eſt ſufficienter promulgatum, & receptum poſito tamen quod nullum ſit impedimētum dirimens, vel ratione cōſanguinitatis, vel ratione affinitatis intra ſecundum gradum; dico intra ſecundum gradum, quia affinitas proueniens ex coitu illicito non dirimit Matrimonium, niſi in primo & ſecundo gradu poſt Conc. Trid.

Quinta cauſa eſt, ſi alter proficiſcatur ad aliam regionem, & tempore præſtituto in iudicio non redierit, hoc autem tempus non præſcribitur à iure Canonico, ſed à iure Ciuili: ſecundum quod abſens intra eamdem Prouinciam expectatur ordinariè duobus annis, in alia autem Prouincia tribus, Syl. verbo ſponſalia, q. 10. & colligitur ex lege ſæpe, digeſt. de ſponſalibus.

Sexta cauſa eſt, ſi alter ſponſorum cognoſcat carnaliter cognatum, vel cognatam alterius intra primum, vel ſecundum gradum, quia ex hac copula ſuperuenit impedimentum affinitatis dirimēs, non modo ſponſalia, ſed etiam ipſum Matrimoniū quod poſt eiuſmodi copulam iniretur.

Septima cauſa eſt, ſi ſponſalia ſint contracta intra pubertatis annos, & altera pars poſt puberta-

tis annos impletos, priusquam expressè ratificet prima sponsalia, nolit illis stare. cap. à nobis, & cap. de illis extrau. de desponsi. impuberum.

Octaua causa est, si tempus ad contrahendum Matrimonium præstitutum sit elapsum, tunc enim pars cui fides seruata non est, manet libera si velit. Syl. loco cit.

Nona causa est, si notabilis deformitas, aut paralysis, aut morbus contagiosus alteri superueniat, cap. litteris extra. de coniugio leprosorum.

Decima causa est, si altera pars post contracta sponsalia sponte fornicetur, vel etiam coactè. Item si ante sponsalia, & id ab altera parte, tempore contractus ignorabatur, quod idem de spirituali fornicatione intelligendum est, cuiusmodi est hæresis vel apostasia, vt notat Nau. conuenienter canoni, non solum 28. q. 1.

Vndecima causa est, si sponsus susciperet sacrum Ordinem, vt colligitur ex extrauag. antiquæ. de voto.

Duodecima est, si exoriatur inter sponsos capitalis inimicitia, Nauar. cum aliis pluribus.

Decima tertia est, si notabilis morum asperitas, vel sæuitia alterius post modum cognita fuerit, loco cit.

Decima quarta, si conditio honesta, & possibilis apposita non impleatur, cap. de illis extrau. de conditionibus appositis.

Vltima est, si omnino impedimentum aliquod inter partes oriatur propter quod ab ipsis non potest validè contrahi Matrimonium, cap. cum in tua extra. de sponsalibus.

Quæres an sit opus iudicis authoritate ad dissoluenda sponsalia? *Resp.* Si altera pars ingredia-

tur religionem, vel contrahat Matrimonium cum alia, ipso facto sponsalia sunt dissoluta, in aliis autem casibus vbi non dissoluuntur ipso facto, si sponsalia sunt occulta, non est opus iudicis authoritate, si autem sunt publica, & causa quoque dissoluendi sit publica, non est necesse adhibere authoritatem iudicis, si vero sponsalia sint publica, & causa disoluendi sit occulta, nec possit probari apud iudicem, non est necesse recurrere ad authoritatem iudicis: in hoc tamen casu prudenter cauendum est scandalum, si vero causa probari potest, sed sequeretur scandalum, vel grauis infamia, vt in causa fornicationis, tunc ad illam vitandam si fieri potest non est interponenda iudicis Ecclesiastici authoritas, in aliis vero casibus opus est illius authoritate.

Quæres 2. vtrum vir qui ficta promissione extorsit copulam à fœmina, teneatur eam ducere, quando ipse vir est notabiliter impar diuitiis, nobilitate, aut potentia? *Resp.* 1. non teneri si mulier sciebat disparitatem, aut inæqualitatem, ex qua facilè aduertere poterat virum non habere animũ verè promittendi, sed decipiendi. Item etiamsi mulier nesciuerit inæqualitatem status, & crediderit virum verè promittere, & non fictè adhuc; dico virum non teneri eam ducere, sed sufficere si dotem augeat, qua possit æquè bene nubere ac si defiorata non fuisset Emmanuel Sa verbo promissio.n. 5 & alij: quando vero ex animo promisit, & non fictè, siue copulam extorserit, siue non, tenetur eam ducere tum ratione damni illati, tum ratione promissionis, nec satisfaciet dotando eam nisi ipsa liberè consentiat.

CAPVT IX.

Vtrum ad Matrimonium contrahendum sit necessarius consensus ipsarum partium, & qualis esse debet?

DIco primò ad Matrimonium contrahendum ita necessarius est consensus, vt secundùm legem Dei ordinariam nequeat sine illo Matrimonij vinculum verum esse, neque possit eiusmodi contrahentium consensus per vllam authoritatem humanam suppleri: ita Franc. Victoria in relect. de Matr. parte prima n. 4. & sequentibus. dixi (secūdum legem Dei ordinariam) quia non desunt auctores qui asserunt Deum per absolutam suam potentiam efficere posse vinculum Matrimonij sine consensu, supplendo vicem inferioris, & proximæ causæ, vel transferendo dominium corporis vnius in alterum ipso etiam inuito: sicut enim inuitis Ægyptiis, transtulit eorum bona in Hebræos, quia est Dominus omnium bonorum: ita & transferre potest corpus vnius hominis in fœminam, vel fœminæ in virum, etiam ipsis inuitis, quia non minus est Dominus corporum, quam bonorum temporalium: de qua re legendus de Valent. disp. de Matrim. q. 3. punct. 1. vbi addit quod licet à principio inuitos aliquos Matrimonio coniungeret, tamen posset postea illis eam mentem dare, vt facilè & libenter in Matrimonij iam constituti vinculum consentirent & efficere, vt mutua se benevolentia prosequerentur.

Dico

Dico 2. consensum in Matrimonium esse debere manifestum, vt iam supra dictum est c. 6.

Quæres 1. an ad essentiam Matrimonij requiratur, vt fiant proclamationes siue Banna in Ecclesia? *Resp.* Quod non, si tamen omittantur sine causa legitima, & superioris dispensatione, erit graue peccatum mortale.

Quæres 2. an consensus Matrimonialis debeat fieri coram Parocho & testibus. *Resp.* 1. In locis vbi Conc. Trid. non est promulgatum, valet Matrimonium, etiam si consensus non exprimatur coram prædictis personis; quamuis peccent mortaliter, qui sic contrahunt quoniam ante Conc. Trid. Matrimonia clandestina erant prohibita etiam si non essent irrita, vt colligitur ex Can. qui incipit aliter. 30. q. 5. qui quidem Canon est Euaristi Papæ. *Resp.* 2. in locis vbi Conc. Trid. est sufficienter promulgatum, & receptum, Matrimonium debet contrahi coram Parocho, & duobus saltem testibus, alioqui est nullum, ita definitum est in prædicto Concil. sess. 24. de Matrimonio: vnde sequitur quod si Matrimonium contrahatur per nuncium aut litteras, vbi decretum illud est promulgatum, necessarium erit vt de consensu vtrimque per litteras, aut nuncium præstito duo, vel tres testes & Parochus, vel alius Sacerdos de eius, vel ordinarij licentia testificentur.

Quæres 3. an contractus Matrimonialis in casu necessitatis factus absque Parocho, & duobus testibus valeat? *Resp.* Quod non, quia per decretum prædicti Concilij quælibet personæ redduntur inhabiles ad ineundum Matrimonium sine prædictis personis, vnde nec in eo casu dispensare potest Episcopus, quia non est inferioris dispensa-

Digitized by Google

re in lege Superioris, cuiusmodi est Summus Pontifex, vel vniuersale Concilium.

Quæres 4. quis veniat nomine Parochi? *Resp.* Comprehendi hoc nomine primo Summum Pontificem. 2. Episcopum seu Vicarios eius generales. 3. Parochum, itemque eos omnes à tribus prædictis delegatos: nec refert si Parochus nó habeat titulum verum, quia sufficit si habeat coloratum, vel præsumptum in foro exteriori, & licet sit nominatim excommunicatus, suspensus aut irregularis, dummodo retineat titulum Parochi, potest assistere validè contractui Matrimoniali, quia Concilium nihil aliud in eo requirit quam vt sit Parochus.

Resp. 2. non requiri vt Parochus sit in Sacerdotem consecratus, quia Parochus etsi nondum in Sacerdotem consecratus potest ea omnia præstare quæ sunt Parochi, iis exceptis quæ pendent ab ordine ex cap. suffraganeus de elect. extra. atqui præsentia Parochi in Matrimonio non est actus ordinis, vt intelligitur ex se. *Resp.* 3. Quando contrahentes sunt Parrochiarum diuersarum, non requiri necessario, vt ambo Parochi eorum interfint, sed sufficit vnus eorum. *Resp.* Quartò, Parochum ita debere interesse huic contractui, vt etiam animaduertat ipsos contrahentes tunc contrahere Matrimonium, licet ibi detineatur per violentiam, item ipsi contrahentes debent animaduertere se contrahere coram Parocho.

Quæres 5. quales debeant esse testes? *Resp.* Non referre qualis sint conditionis, aut sexus, siue infames, siue aliqua censura innodati, siue fœminæ, siue serui, siue parentes, vel non, siue ibi per

violentiam detineantur, siue non, dummodo adhibeant supra explicatam præsentiam, id est, animaduertant consensum fieri in Matrimonium, & sufficit si ad minimum sint duo cum Parocho, & simul interssint consensui non successiuè, quia decretum nullam requirit qualitatem in testibus, & hoc in bonum ipsius Matrimonij.

Quæres 6. vtrum consensus parentum requiratur ad Matrimonium? *Resp.* Quod non, peccant tamen filij qui sine eorum consensu expresso, vel tacito contrahunt, quando id faciunt sine peculiari aliqua iusta causa, vel quæ iusta eis videatur: ita Nauar. cap. 14. num. 15. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 4. & est de fide ex Concil. Trid. sess. 24. de reformatione contra Caluinum Luth. & alios sectarios: Dixi in responsione (sine iusta causa) quando enim filij habent excusationem legitimam, tunc non peccant, quia ibi agitur de statu totius vitæ, in quo deligendo si iniustè vrgeantur à parentibus non peccant dum detrectant eorum imperium, imo peccant ipsi parentes quando sine causa impediunt eorum Matrimonium, non tamen incurrunt aliquam excommunicationem.

Quæres 7. vtrum aliquando filius teneatur sibi accipere in vxorem eam quam exoptat eius pater? *Resp.* Quod sic, quando nimirum hoc medio possunt componi graues inimicitiæ inter proprium parentem & parentes puellæ, tenentur enim filij subuenire necessitati parentum.

Quæres vltimo, an filij qui inuitis parentibus contrahunt Matrimonium possint exhæredari? *Resp.* Quod sic, si contrahant iis inuitis

absque causa secus si adsit iusta causa, nam cum tunc nõ peccent contra reuerentiã patri debitam, sequitur quod non possint ab eo iustè priuari hæreditate illis debita.

Caput X.

An consensus vi, vel metu extortus sit sufficiens ad Matrimonium?

CErtum est apud omnes consensum Matrimonij debere esse liberum, seu à voluntate deliberata profectum, sed quia libertas potest aliquando reperiri cum metu, vel aliqua coactione, quando scilicet voluntas impellitur ad eligendum aliquid, quod extra metum, vel violentiam posita, & sibi relicta non eligeret: quæritur vtrum talis libertas sufficiat ad tale Matrimonium validè contrahendum. quod vt intelligatur sciendum est triplicem distingui timorem, primus est metus cadens in virum constantem, qui scilicet est alicuius mali, quod viro constanti est formidabile, vt metus mortis, exilij perpetui & aliarum huiusmodi rerum: vt autem dicatur talis pendet à duobus, scilicet à grauitate mali, quod quis minatur & à prudenti æstimatione illius cui tale malum imminet, si enim malum sit leue, vel esto sit graue credat tamen se posse illud euitare, non dicetur metus ille cadere in constantem virum, ex quo fit vt ad diiudicandum, an hic metus in particulari sit cadens in constantem virum, vel non sit, etiam attendenda est ætas, sexus & conditio illius cui me-

tus incutitur, nam mulier verbi gratia ad hoc, vt dicatur constanter agere, non requiritur in ea tanta fortitudo quanta in viro; secundus metus dicitur leuis, & is est quo vir constans non solet permoueri: tertius metus dicitur reuerentialis quo vir constans ob reuerentiam superioris aliquid facit.

Sciendum præterea metum grauem posse duobus modis inferri, primo ab intrinseco, vt si quæ mulier dum extremo morbo laborat acciperet sua sponte, & proprio suæ voluntatis motu medicum in maritum ad euitandum mortis periculum. secundo ab extrinseco, vt cum aliquis minatur mortem, nisi hoc vel illud agat, vt latro qui minatur mortem nisi detur ei pecunia, ad quod requiritur vt directè, & in eum finem metus incutiatur, vt puta ad eum finem, vel vt extorqueatur consensus in Matrimonium, vel ad pecuniam extorquendam. si enim incutitur metus ad alium finem quam ad Matrimonium contrahendum, tunc non dicitur incussus ad hunc finem, vt stuprator qui ad deuitandum supplicium duxit in vxorem puellam quam vitiauit.

Rursus est sciendum quod metus ab extrinseco, & directè in finem Matrimonij potest duobus modis inferri: primo iustè, vt si iudex cogat aliquem sub pœna mortis eam accipere in vxorem cui fidem dedit, & cum qua rem habuit. Secundo iniustè, vt si quis à non habente potestatem, vel iniusto modo cogatur eam ducere cui fidem non dedit: itaque vt tota hæc doctrina summatim, & vnico verbo intelligatur, sensus propositæ quæstionis est, vtrum metus cadens in constantem virum ab extrinseco vel intrinseco, iustè vel iniustè

incussus eo fine, vt ducat in vxorem talem vel talem, sit sufficiens ad Matrimonium. pro qua re bene explicanda,

Dico 1. consensum in Matrimonium elicitum per metum cadentem in constantem virum ab intrinseco incussum esse sufficientem ad validè contrahendum Matrimonium; patet in exemplo supra allato de muliere extremè laboranti, itemque de eo qui damnatus ad mortem ducit in vxorem meretricem aliquam, vt ei vita donetur: nec enim ipse metus infertur, vt extorqueatur consensus in Matrimonium, sed vt deuitet mortem Val. disp. 10. de matr. q. 3. p. 2.

Dico 2. consensum in Matrimonium elicitum per metum cadentem in constantem virum, iustè incussum ab extrinseco in finem Matrimonij, validum esse ad Matrimonium celebtandum, vt v. g. si pater reperiat iuuenem fornicantem cum filia, & minetur se eum delaturum ad iudicem, nisi ducat filiam suam, tunc si consentiat metus ille non irritabit Matrimonium, secus si minaretur mortem, quia tunc iniustè incuteret metum, cum ius non habeat eum occidendi. Ita Sanch. l. 4. de Matrim. disp. 13. num. 3. si tamen adolescens videns patrem filiæ ad se venientem vt mortem illi inferat, ipse metu mortis postularet veniam data promissione quod puellam ducet in vxorem, valeret consensus in Matrimonium, cum metus ille non incussus sit ab extrinseco, sed ab intrinseco.

Dico 3. consensum in Matrimonium elicitum per metum cadentem in constantem virum ab extrinseco, & in finem Matrimonij iniustè incussum, non esse sufficientem ad Matrimonium, ita Val. loc. cit. Henriq. l. 11. c. 9. n. 1. & alij apud Sanch.

loco cit.disp.14. quia talis metus tollit libertatem ad consensum præbendum.

Quæres quo iure metus grauis cadens in constantem virum, irritet Matrimonium. *Resp.* Iure tantum Ecclesiastico, ita Nau.c.22.n.5.Estque hic metus, vnum ex maioribus impedimentis impedientibus simul, & dirimentibus Matrimonium, vt dicetur infrà cum de impedimentis Matrimonij.

Dico 4. neque metum leuem, neque reuerentialem impedire consensum in Matrimonium, neque irritare illud: non metus leuis, quia nullo iure cauetur, nec reuerentialis, tum propter eamdem rationem, tum propter ea quæ diximus supra cum de sponsalibus, vbi diximus sponsalia contracta à parentibus, & aliis qui curam gerunt filiorum, esse valida, etiamsi hi filij taceant ex solo metu reuerentiali (dico ex solo metu,) quia si eiusmodi metui sint admixtæ minæ quædam graues parentum, vel probabiliter timeatur graue quoddam malum, tunc quia metus ille transit in metum grauem cadentem in constantem virum, consensus ille erit insufficiens ad contrahendum, ac propterea Matrimonium erit nullum.

CAPVT XI.

An Matrimonium sub conditione contractum sit validum?

AD explicandam propositam dubitationem sciendum est conditiones, quæ in contractu

Matrimonij apponi possunt alias esse necessarias, idque vel ex natura rei, vt contraho tecum si sol oriatur cras, vel ex suppositione, vt contraho tecum si Antichristus veniet: alias esse turpes, vt contraho tecum si patrem occideris, si victum ex furto quæsieris: alias esse impossibiles, idque vel ex natura rei, vt si dicatur contraho tecum si digito solem apprehenderis, vel ex iure quia scilicet ius statuit contrarium, vt si dicatur, contraho tecum, si sis mihi consanguinea in 2. vel 3. vel 4. gradu: vel ex statu contrahentis, vt si dicatur pauperi contraho tecum, si mille aureos dederis mihi: vel ex decursu temporis, vt si dicatur, contraho tecũ, si sis virgo, cum iam sit corrupta: alias esse indifferentes vt si dicatur, contraho tecum si sis pulchra diues &c. alias esse honestas, vt si dicatur contraho tecum si pater velit; alias denique esse de præsenti, alias de præterito, alias de futuro.

Sciendum est 2. ex Nauar. in Man. cap. 22. num. 62. in contractibus distingui inter se hæc quatuor, conditionem, causam, demonstrationem, & modum: conditio ea dicitur quæ differt obligationem quoad vsque conditio sit completa, vt cum dicitur, tecũ contraho si pater voluerit: causa est id quod mouet ad contrahendum, vt si dicatur contraho tecum quia virgo es, demonstratio ostendit tantum qualitatem in persona existentem, licet ista qualitas non assumatur tanquam causa, vt si dicatur, contraho tecum quæ virgo aut diues es: modus denique est ille qui contractui inito apponit obligationem, vt si dicatur, contraho tecum, vt patrem meum sustentes, vel hoc aut illud facias.

Sciendum est 3. ex conditionibus turpibus alias esse quæ pugnant contra substantiam matrimonij cuiusmodi sunt quæ repugnant bonis matrimonij id est (sacramento, seu indissolubilitati) fidei id est fidelitati, & proli hæc enim sunt bona matrimonij. illa conditio repugnat sacramento seu indissolubilitati matrimonij quæ ad eius dissolutionem apponitur, vt si dicatur contraho tecum donec aliam formosiorem inuenero. illa est contra fidelitatem quæ excludit redditionem debiti coniugalis vt si dicatur contraho tecum si ex adulterio viuere volueris. illa vero est contra bonum prolis quæ apponitur ad impediendam fœtus procreationem vt si dicatur contraho tecum si abortum procuraueris, vel semẽ receptum emiseris. His ita notatis ad propositam quæstionem per sequentes dubitationes respondebimus.

Dubitabis itaque 1. an demonstratio & causa cuiuscumque sint qualitatis, siue cõtra substantiam matrimonij vel eius bona siue honestæ siue turpes suspendant matrimonium? *Resp.* quod nunquam suspendunt, sed annullant omnino quando sunt contra substantiam aut bona matrimonij. Ita Nau. loc. cit. Sot. in 4. dist. 29. & Palud. ibidem. Idẽ dico de modo atque etiam de omnibus conditionibus quæ aduersantur substantiæ, bonis vel fini matrimonij cuiuscumque qualitatis illæ sint vnde nõ valet matrimoniũ hoc modo celebratum contraho tecũ si prius voto castitatis te astrinxeris vt nunquam petas à me debitum, nec teneat illud reddere tibi. Ita Sot. loc. cit. q. 2. art. 2. Couarr. & alij, est enim hæc conditio contraria substantiæ coniugij.

Dubitabis 2. quid sentiendum de matrimonio

Beatiſſ. Virginis cum ſancto Ioſeph, an fuerit validum, cum certum ſit ſanctiſſimã Virginem nunquam conſenſiſſe in copulam? *Reſp.* & dico eius matrimonium fuiſſe validum, quia dum conſenſit in matrimonium cõſenſit in ipſam ſui corporis traditionem quia hoc ad illam ordinatur in quo tamen minime peccauit cõtra votum caſtitatis quod emiſerat quia ex reuelatione diuina cognouerat ſe nunquam cognoſcendam à ſancto Ioſepho, itaque eſſentialia matrimonij cum in eo fuerint, puta cõſenſus in mutuam traditionem & acceptationem corporum ipſorum contrahentium ſequitur etiam concludendum fuiſſe verum inter eos matrimonium quamuis nunquam conſummatum ferit, conſummatio enim ſeu copula non ſpectat ad complementum eſſentiale matrimonij ſed tantum ad accidentalem eius integritatem ſicut actu ratiocinari non pertinet ad complementum hominis eſſentiale, ſed tantum ad accidentale eiuſdem.

Dub. 3. an conditiones neceſſariæ cuiuſuis ſint temporis annullent matrimonium? *Reſp.* quod non dummodo non ſint contra ſubſtãtiam vel alia bona matrimonij. idem dico de turpibus ac etiam de impoſſibilibus quæ ſunt tales ex natura rei, ſi non pugnent contra prædicta bona matrimonij vt ſi dicatur contraho tecum ſi patrem occideris vel ſi ſolem digito attigeris, hæ enim habentur pro non appoſitis, ſicut conditiones de futuro neceſſario venturæ habentur pro non præſentibus vt dum dicitur contraho tecum ſi Elias venerit circa finem mundi.

Dub. 4. quid ſentiendum de conditionibus honeſtis & poſſibilibus? *Reſp.* quod ſi ſint de futu-

ro ſuſpenduntmatrimonium, ita vt ſit nullum quā-diu conditio non eſt impleta, vt ſi dicatur contraho tecum ſi pater conſenſerit; ſi vero ſint de præſenti vel de præterito & dum contrahitur matrimonium ſint à parte rei tunc eſt validum vt ſi dicatur contraho tecum ſi pater vult aut voluit, vel ſi es diues aut virgo, tunc ſi res ita eſt à parte rei validum eſt matrimonium, inualidum vero ſi non ita eſt.

Dub. 5. an quando contrahitur matrimonium ſub conditione honeſta contingenti de futuro valeat matrimonium ipſa conditione adimpleta ſine nouo conſenſu contrahentium? *Reſp.* quod non, ſed opus eſt nouo conſenſu atque etiam vt innoteſcat Parocho & teſtibus adimpletam eſſe conditionem.

CAPVT XII.

De matrimonij indiſſolubilitate.

DVbitabis 1. an matrimonium ſit indiſſolubile? *Reſp.* quod ſic, idque iure naturali & diuino. iure quidem naturæ; vt colligitur ex verbis Chriſti in c. 19. Matth. vbi docens libellum repudij fuiſſe permiſſum Iudæis addit ab initio autem non fuit ſic, item etiam iure diuino patet ex Geneſ. 2. relinquet homo patrem & adhærebit vxori ex dicto cap. Matt. quod Deus coniunxit homo non ſeparet. 1. ad Corint. 7. his qui matrimonio iuncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere. legatur Sanch. l. 2. diſp. 13.

Dub. 2. vtrum matrimonium ratum & non consummatum possit omnino dissolui per professionem alterius coniugum in religione? *Resp.* quod sic. ita vt etiam matrimonij vinculum sit solutum & possit pars relicta in sæculo contrahere cum alio vel alia post alterius professionem & non ante, & hoc est de fide ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6. Quo autem iure id fiat an iure naturali vel diuino? *Resp.* cum communi Doctorum sententia fieri iure diuino, Palud. in 4. dist. 27. q. 3. Valentia, Sanchez & alij.

Dub. 3. vtrum idem dicendum de eo qui post matrimonium ratum assumit sacros ordines aut qui euehitur ad Episcopatum? *Resp.* quod non, quia status illi non repugnant essentiæ matrimonij sicut professio religiosa.

Dub. 4. vtrum ex causa legitima posset summus Pontifex per dispensationem dissoluere matrimonium ratum & non consummatum? *Resp.* quod sic, ita Sanchez lib. 2. disp. 14. num. 2. Rebell. l. 2. q. 15. n. 4. & alij apud Bonacinam q. 2. de matr. punct. 11. n. 4.

Dub. 5. vtrum matrimonium fidelium consummatum, possit dissolui per ingressum vnius coniugum in religionem approbatam secuta professione? *Resp.* 1. nullo modo dissolui posse quo ad vinculum, quia iam facti sunt vna caro, & aperte dicit D. Paulus, mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. 1. ad Corinth. 7. *Resp.* 2. illud idem matrimonium consummatum non dissolui quoad thorum & cohabitationem altero cõiugum professionem emittente sine consensu alterius. vt colligitur ex cap. ad Apostolicam sedem ex 1. ad Corinth. 7. nolite fraudare inuicem nisi forte

ad tempus. *Resp.* 3. matrimonium consummatum posse dissolui quoad thorum & cohabitationē per ingressum vtriusque coniugis in religionem: quod etiam licebat olim ante constitutionem iuris Canonici, tam per sacrorum ordinum susceptionem quam per ingressum vnius tantum contrahentis in religionem, accedente consensu alterius, modo vero hoc non licet nisi vterque contrahentium ingrediatur in religionem, vt habetur cap. Agatosa, cap. si quis & cap. sane.

Dub. 6. vtrum matrimonium infidelium non baptizatorum consummatum, vno tantum se conuertente ad fidem possit dissolui quoad vinculum? *Resp.* quod sic, quando is qui manet in infidelitate respuit habitationem fidelis, aut non vult cum eo habitare sine contumelia Creatoris, vel absque eo quod coniugem fidelem pertrahat in peccatum mortale, si vero infidelis consentiat habitare cum fideli nec vllum subsit tale periculum, tunc non potest dissolui matrimonium & hoc colligitur ex 1. ad Corinth, 7. si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam, & si quæ mulier fidelis habet virum infidelem & hic consentit habitare cum illa non dimittat virum, & paulo post, quod si infidelis discedit, discedat.

Vnde licet inferre matrimonium infidelium cōsummatum, non dissolui eo ipso quo alter contrahentium conuertitur ad fidem, sed tantum eo ipso quo fidelis cum alio fideli contrahit relicto infideli, vel quando profitetur in religione approbata quamuis per conuersionem ad fidem reddatur potens dissoluere tale matrimonium si alter nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, vel velit eum

allicere ad peccatum.

Infertur 2. quod si infidelis ille qui nolebat habitare cum fideli sine contumelia Creatoris, conuertatur ad fidem antequam altera pars fidelis nouum contraxerit matrimonium, tenetur hæc pars recipere legitimum suum coniugem alterum conuersum ad fidem, vt declarat Innocent. in cap. gaudemus.

Infertur 3. quod pars infidelis non potest contrahere matrimonium cum alio nisi pars fidelis prius contraxerit cum altero, alioqui matrimonium eius erit nullum, quia pars fidelis non habet iustam causam dissoluendi matrimonium, cum potestas, seu ius dissoluendi sit introducta in fauorē fidei susceptæ & non in fauorem infidelis cum possit imo teneatur infidelis susscipere fidem Christianam, vel si nolit eam susscipere possit tamen retinere vxorem modo velit habitare cum illa sine iniuria Creatoris, vbi tamen pars fidelis de facto contraxerit cum alio poterit etiam infidelis aliud contrahere matrimonium. Ita Doctor quidam modernus

An autem idem sit de matrimonio hæreticorum diximus supra, c. 4. quod non, quia eorum matrimonium cum sit verum sacramentum initum inter Christianos, habet omnimodam indissolubilitatem, ideoque non potest dissolui per conuersionem vnius coniugum ad fidem Catholicam, & hoc apertè deffinitur cap. quanto extra de diuortiis.

CAPVT XIII.

De diuortio & cauſis eius.

DIuortium ſignificat legitimam ſeparationem viri & vxoris quod poteſt fieri tripliciter. 1. quoad torum id eſt, quoad carnalem copulam. 2. quoad thorum & cohabitationem ſeu ſocietatem, & conuictum ſub diuerſis tectis manentes. 3. quoad vinculum ſeu diſſolubilitatem ita vt omnino ſoluatur. hoc poſito.

Quæritur quænam ſint cauſæ ob quas poſſit fieri ſeparatio non quidem quoad vinculum nam de hoc ſatis egimus cap. præcedenti ſed quoad thorum & cohabitationem ſeu conuictum? *Reſp.* plures aſſignari quarum prima eſt adulterium vnius coniugum propter quod poteſt fieri ſeparatio & quidem propria auctoritate quoad thorum, & per ſententiam iudicis etiam quoad habitationem, patet hoc ex Matth. 19. & hoc ius faciendi diuortij eſt æquale in vtroque coniuge, amittitur autem, ſi altera pars etiam fornicetur, vt patet 35. q. 2. ſicut ſi etiam vir dederit proximam cauſam adulterandi, vxorem v. g. proſtituendo, vt habetur cap. diſcretione de eo qui cognouit conſanguineam. 3. ius illud faciendi diuortij deperditur in illis omnibus caſibus in quibus altera pars quæ commiſit adulteriũ nõ conſentit in illud, vt quãdo vi opprimitur, vel commiſit adulterium cum eo quem inuincibiliter ignorabat non eſſe proprium coniugem: vel proprium virum eſſe mortuum credebat.

Secunda causa est sæuitia alterius coniugis, nisi sufficiens cautio detur de non nocendo illi, & ob hanc causam potest peti separatio quoad habitationem coram iudice, & à fortiori si alter tentasset occidere alterum veneno vel alio modo, in quibus sane casibus si periculum esset in mora etiam propria auctoritate liceret fugere à marito seruandæ propriæ vitæ causa, huc etiam referri potest furor alterius coniugis ex quo simile periculum immineret alias non, quantumuis molesta esset habitatio cũ tali, vt notat Nau. c. 22. n. 22. & Couarr. c. 7. §. 5. n. 3. & Valent. disp. 10. de matrim. q. 4. puncto 2.

Tertia causa est hæresis alterius vel Apostasia à fide, quando maximè imminet periculum animæ, & pars hæretica inducit aliam ad hæresim, vel in apostasiam & si ob hanc causam fuerit facta separatio iudicis auctoritate, non tenebitur pars innocens redire cum alia etiamsi resipiscat, aliàs autem tenebitur si propria auctoritate se separauerit. huc etiam referri potest periculum peccandi mortaliter quod incurrit alter coniugum ex alterius instigatione, vt si vir esset tam vecors vt homines domum adduceret qui vxorem ad peccandum impellerent & vir admonitus ab vxore nollet desistere nec se emendare.

Quarta causa est crimen Sodomiæ alterius coniugis, siue cum viro siue cum fœmina commissum, Couar. loc. cit. §. 5. n. 6. Item delictum vnius coniugis quod potest alteri esse causa damni vt quando vxor est venefica interficiens filios aut quando timetur ne virum occidat. Bonac. tract. de matr. q. punct. 5.

Quæres 2. vtrum coniux innocens possit manere cum

cum adultero? *Resp.* posse si velit, dummodo nullum inde sequatur scandalum, neque ex separatione speratur emendatio coniugis adulteri. vt docet Nauarr. c. 22. n. 21. addo etiam vxorem raro teneri denegare debitum viro adultero vt ipsum corrigat nam denegatio debiti vt plurimum erit causa maioris mali. ita Emma. Sà verbo diuortium.

Quæres 3. vtrum pars innocens possit ingredi religionem vel suscipere sacros ordines? *Resp.* quod sic. dummodo diuortum sit factum iudicis auctoritate, vel causa diuortij sit ita publica & omnibus nota vt nulla possit tergiuersatione celari. vt patet ex cap. Agatosa 27. q. 2. & c. constitutus.

Quæres 4. an idem sit dicendum de parte adultera, & possit sine licentia innocentis ingredi religionem vel suscipere sacros ordines? *Resp.* quod non, si tamen pars nocens sæpius petierit reconciliationem ab innocente & noluerit eam concedere poterit intrare religionem vel sacros suscipere ordines cũ in eo casu censeatur tacitedare licentiam pars innoxia vnde consequenter non poterit postea reuocare adulterum Reg. lib. 31. n. 326.

Quinta causa faciendi diuortij est lepra vel similis morbus contagiosus & horribilis, cuiusmodi est morbus gallicus, tunc enim non teneretur cohabitare quamuis omnino deberet reddere debitum petenti, authore D. Thom. in supplemento. q. 64. art. 1. ad 4. quem sequitur Valent. loc. cit. imo etiam teneretur ei ministrare & illum sequi quatenus fieri possit sine periculo euidenti contagionis.

CAPVT XIV.

De coniugali debito.

QVæres 1. vtrum coniuges teneantur æquali iure reddere sibi debitum coniugale ? *Resp.* quod sic patet ex 1. ad Corinth.7. vir vxori debitum reddat & similiter vxor viro.

Quæres 2. vtrum sola delectatio quam alter contrahentium accipit ex copula coniugali excuset alterum à reddendo debito? *Resp.* quod non.

Quæres 3. vtrum sanctitas diei impediat à debito coniugali soluendo? *Resp.* quod non, nisi de consilio tantum.

Quæres 4. vtrum paupertas vel multitudo liberorum excuset à debito reddendo ? *Resp.* quod non. Nau. in Man. c. 16. n. 24.

Quæres 5. vtrum peccet fœmina negando debitũ, quande experta est se non posse filios viuos in lucẽ edere? *Resp.* quod non, idemque asserendum de ea quæ moreretur in partu, si reddendo debitum conciperet. vide Bonac. loc. cit. q. 4. punct. 1. nec etiã tenetur vxor reddere debitum marito petenti tempore furoris vel ebrietatis, nisi forte expleturus esset suam libidinem modo illicito, at vero si vir sanæ mentis redderet debitum vxori amenti peccaret propter periculum abortus. Ita Sanch. lib. 9. disp. 23. & alij.

Quæres 6. vtrum peccet mortaliter vir petendo debitum à coniuge lactante sobolem ? *Resp.* quod non, excusabitur tamen vxor lactans à redden-

do debito suo viro, si sint ita pauperes vt non possint aliis tradere prolem lactandam, si aduertat lac futurum valde pernicioſum proli vel vbera exsiccari. Ita Ledesma q. 64. a. 1. dub. 4. non tenetur præterea coniux febri laborans reddere debitum coniugale, neque etiam cum suo graui detrimẽto corporis ad vitandum graue periculum incontinentiæ in coniuge petente. Ledes. q. 64. art. 1. & alij. | Item soluitur ab obligatione soluendi debitum coniugi petenti in loco sacro, nisi adsit necessitas vt cum diu coniuges in loco sacro detinentur; Syl. verbo debitum. n. 5. Richard in 4. dist. 32. art. 3. q. 1. præterea omnes communiter affirmant, adulterium vnius coniugis esse causam sufficientem denegandi ei debitum coniugale.

Quæres 7. an quando coniux certo nouit esse impedimentum dirimens inter se & alium coniugem, etiamsi alter illud ignoret possit reddere debitum, cum pars impedimenti nescia illud petit? *Resp.* quod non etiamsi ad id compellatur per sententiam iudicis, vel sub pœna excommunicationis ita Sanch. lib. 2. disp. 44. & alii.

Quæres 8. an quando dubitans habet rationes probabiles ex quibus prudenter opinatur matrimonium fuisse valide contractum & præmisit diligentem inquisitionem de illius valore, nihilque reperit quod illum, cogat existimare esse nullum possit petere & reddere debitum? *Resp.* quod sic, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Quæres 9. quid faciendum quando post diligentem inquisitionem de illius valore, nihil certi inuenit, sed manet æque dubius ac antea an possit reddere & petere? *Resp.*? quod sic, dummodo contraxerit bona fide, quia nemo priuatur iure suo sine

culpa. Ita Sot. l. 4. de iust. q. 5. a. 4. si vero mala fide contraxerit poterit quidem reddere nō autem petere. Ita D. Thom. in additionibus q. 55. art. 9. ad vltimum, Nau. in Man. c. 22. n. 54. & probatur ex cap. Dominus vbi id habetur expresse.

Quæres 10. an talis non peccet mortaliter cum facit aliquid quod dubitat esse mortale? *Resp.* peccare quidē mortaliter si dubitet practice nō autē si speculatiue ideoque vt nō peccet debet deponere dubium & credere nullum esse peccatum in reddendo debitum petenti, quamuis maneat dubium quoad debitum petendi.

Quæres 11. an qui ante tale matrimonium contractum emisit votum simplex cōtinentiæ possit reddere debitū? *Resp.* quod sic, sed nō potest petere, idē dicendum de eo qui post matrimoniū contractum emisit votum continentiæ sine consensu alterius coniugis vt habetur cap. quidá & cap. placet extra de conuersatione coniugatorum (dixi sine consensu alterius cōiugis) quia si vouit de consensu sui cōiugis non potest etiá reddere, cum annuendo suo priuilegio renunciauerit vnde consequenter dicēdum quod si vterque vouerit continentiam tunc neutrum posse petere & reddere debitum. & hoc est contra Bonac. & alios quos ipse citat q. 4. de matrim. punct. 3. propositione secunda.

Vbi tamen aduerte votum continentiæ post cōtractum matrimonium ab vxore sine consensu mariti factum posse irritari ab ipso marito, quia potest ille irritare omnia vota vxoris quæ sūt in eius preiudicium vt de nō debito reddendo, de longinquis peregrinationibus & aliis eiusmodi, quod idem dicendum est de vxore respectu votorum quæ maritus emisit in eius preiudicium vt notat Less. l. 2.

capit.40.de voto dub. 15.

Quæres 12.an qui voto castitatis obstrictus matrimonium contraxit teneatur ante consummationē ingredi religionē,vt ibi votum seruet?*Resp.* quod non. Ita Less.loc.cit.c.41.dub.6. addens posse matrimonium consummare reddendo debitū si coniugi castitatem persuadere nequit,&præterea subdit idem dicendum esse de voto continentiæ facto post ratum matrimoniū,sed nódum cōsummatum.

Quæres13.vtrū qui vouit religionē ante matrimoniū cōtractū possit petere & reddere debitū? *Resp.* ante consummationē teneri ingredi religionē vt voto suo satisfaciat,nec posse illud cōsummare siue reddendo siue petendo.si tamēneglecto voto matrimonium consummet potest petere & reddere debitū.ita Less.loc.cit.n. 94. & c. 41.de statu religionis dub.5.n. 47. mortuo tamen coniuge tenebitur voto satisfacere quia non fuit extinctum sed suspēsa executio , idem dico si maritus adulterium cōmittat aut velit pariter cōuerti probabiliter etiā putant quidam Doctores hoc votum in vxore matrimonio consummato posse irritari à marito quo casu non tenebitur marito mortuo ingredi religionem.Sot de iust.q.3.a.1.Sanch.l.9. disp.39.

Quæres vtrū coniuges qui cōsummato matrimonio pari cōsen su & ex pacto vouerunt ingressū religionis possint petere & reddere debitū & an valeat tale votum?*Resp.*eorū votū valere,posse quoque & petere & reddere debitū quia vsus coniugij nullo modo repugnat voto religionis nec impedit eius executionē.si tamē alter resiliat peccabit quidem mortifere , alius vero non tenebitur intrare, per ipsum enim non stat quominus fiat executio-

Caput XV.

De impedimentis matrimonij & 1. de impedientibus non dirimentibus.

IMpedimenta matrimonij sunt in duplici differentia, quædã sunt prohibentia tantũ, alia vero prohibentia & dirimentia simul, prohibentia solũ sunt ea quæ impediũt ne cõtrahatur matrimoniũ nõ tamen reddunt illud inualidũ. dirimentia vero sunt quæ non tantũ prohibent matrimoniũ cõtrahi, sed etiã reddunt illud nullũ si cõtrahatur, de impedimẽtis prioris generis hoc cap. nobis agẽdũ est de cæteris posterioris generis postea dicemus.

Quæritur itaque 1. quot sint impedimenta prohibentia matrimoniũ contrahi? *Resp.* esse duodecim, quorũ quinque nullum supponũt peccatũ, alia vero septẽ præsupponunt aliquã culpã mortalẽ, quæ nullũ supponunt crimen sunt sequẽtia. 1. prohibitio superioris Ecclesiastici interdicentis alicui ne matrimoniũ cum aliqua persona ineat donec constiterit vtrum nullum obstet impedimentum dirimens, quo casu peccabunt si non obstante hac prohibitione contrahant, non tamen erit irritus contractus matrimonialis si vere nullum subsit impedimentum dirimens. Syl. verb. matr. 7. q. 1.

Secundum, est certum anni tempus, quo non licet solemniter contrahere matrimonium, accipiendo in Ecclesia benedictionẽ nuptiarum sponsam traducendo solemniter in domum sponsi, cõuiuia parãdo & alia huiusmodi præstando quæ spectant ad põpas nuptiales, hoc autem tẽpus per Conc. Trid. est restrictum ab Aduentu ad Epiphaniam inclusiue & à feria. 4. Cinerum vsque ad Dominicã in Albis;

quibus tamen temporibus absque vlla dispensatione licebit contrahere & consummare matrimoniũ vt docet Caiet. in Summa verbo matrimonium & Nau. in Man. c. 22. n. 71. quia concilium tãtum prohibet solemnitatem nuptiarum qua secluſa potest fieri contractus matrimonij inter virum & mulierem præsente Parocho duobus & testibus.

Tertium impedimentum est, si quis cum alia persona contraxit sponsalia & non ei suppetit iusta causa ea rescindendi, secundum ea quæ diximus supra cum de sponsalibus c. 7.

Quartum est cognatio quædam spiritualis nata ex catechisatione baptizati ante susceptionẽ baptismi sed hoc impedimentũ videtur sublatum per Conc. Trid. ex sentẽtia quorumdã quia Concil. sess. 24. c. 2. numerans personas inter quas spiritualis cognatio contrahitur nullam facit mentionem tenentis in Catechismo Sanch. l. 7. disp. 10. n. 12.

Quintum est votum simplex castitatis, religionis, suscipiendi sacros ordines & non nubendi. Ita Sanch. loc. cit. n. 4. & qui cum his votis contrahunt mortaliter peccant, licet nõ habeant voluntatẽ cõsummandi matrimonium, quia se exponunt periculo violandi votum.

Quæres vtrum coniux quæ vouit castitatem ante matrimoniũ teneatur gratiã reconciliationis denegare viro adulteranti, vt ea denegata possit seruare votũ nõ reddendo debitũ? *Resp.* quod nõ, quãuis cõtrariũ cẽseat Reb. li. 3. de iust. q. 12. sect. 2. n. 8.

Alia vero impediméta prohibẽtia quæ oriuntur ex crimine assignantur mox dicenda, 1 incestus cõmissus durante matrimonio à viro cum consanguinea vel, affinibus vxoris vel ab vxore cum consanguineis sui viri: ita habetur cap. transmissæ de eo

qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

Secundum est raptus sponsæ alienæ can. statutum 27. q. 2. quanquam post Conc. Trid. hoc impedimentum dirimat matrimonium, si eo tempore quo contrahitur, rapta sit in potestate raptoris de quo infra cum de impedimento metus & volentiæ.

Tertiũ est vxoricidiũ, si quis ex odio vel mala alia intentione vxorẽ interficiat modo id nõ faciat ex animo cõtrahẽdi cũ alia determinata quã polluit per adulteriũ, aut cum qua conuenit de occidenda vxore ad illũ finẽ quia tunc est impedimẽtũ dirimẽs ratione illius determinatæ vt dicetur infra ita habetur cap. interfectores, quidam hoc impedimentum extendunt etiam ad vxorem quæ ex odio interfecit maritum, sed hoc non probo cum leges penales sint restrigendæ, iuxta regulam iuris odia restringẽda vide San. l. 7. disp. 16. n. 6. Tol. l. 7. c. 15.

Quartum est occisio sacerdotis modo homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio cap. qui presb. extra de pœnit. & remissionibus.

Quintum est baptisatio vel susceptio proprij filij de sacro fonte ea intẽtione facta, ne teneretur alteri coniugi reddere debitum cap. de eo. 31. q. 1. in quo tamen casu teneretur reddere debitum etsi non possit petere, sed mortua coniuge non potest contrahere cum alia.

Sextum crimen est cõiugium cum moniali sciẽter contractum in hoc enim casu contrahens non solũ inualidè cõtrahit cũ Moniali professa verũ etiã impeditur ne possit cũ alia cõtraherecan. siquis 27. q.

Septimum & vltimum est solemnis pœnitentia can. de his 33. q. 2. quod debet intelligi quandiu durat ista pœnitentia.

Quæres 1. quã culpã cõmittat contrahens matri-

monium cum illis impedimentis? *Resp.* peccare tãtum venialiter, exceptis iis qui contrahunt, cum sunt obstricti spõsalibus, votis castitatis, religionis, suscipiendi sacros Ordines, non nubendi, & qui prohibiti sunt contrahere donec constiterit vtrum inter eos nullum sit impedimentum dirimens.

Quæres 2. quis possit dispensare in istis impedimentis? *Resp.* Posse Episcopum præterquam in sponsalibus cum alio contractis, & in votis religionis, ac castitatis quæ reseruantur Summo Pontifici, imo tenet Nau. in Manu. cap. 22. n. 85. non tantum Episcopum in istis impedimentis dispensare, sed etiam consuetudine factum esse, vt sine dispensatione ab istis impedimentis noua ineantur Matrimonia.

CAPVT XVI.

De impedimentis dirimentibus, quænam sint? & de impedimento erroris personæ, & conditionis.

IMpedimenta dirimentia continentur his Versibus,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Duo prima impedimenta sunt error personæ & conditionis, pro quorum explicatione, sciendum est quadruplicem esse errorem, primus est circa personam, vt quando Iacob accepit Lyam loco Rachelis: Secundus est circa conditionem seruilem,

vt si putes personam esse liberam quæ tamen est serua, idest: (esclaue) Tertius est circa qualitatem, vt si putes, esse nobilem aut virginem quæ tamen non est.

Quartus est circa fortunas, vt si putes esse diuitem, quæ tamen est pauper: sciendum præterea duplicem adhuc distingui errorem, vnum antecedentem qui est causa cur actus fiat, alterum concomitantem, qui non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, vt eo non existente, actus nõ desineret fieri, vt si quis verbi gratia contraheret cum Ioanna, quam putat esse Magdalenam, sed tamen est, ita affectus & dispositus in voluntate, vt si sciret illam esse Ioannam nihilominus illam libenter imo libentius duceret, quam Magdalenam, quo ita notato,

Dico 1. errorem personæ siue præcedentem, siue concomitantem, irritum reddere Matrimoniũ iure naturæ, ex defectu consensus liberi: vnde etiã fit, vt hoc impedimentum non solum dirimat Matrimonium inter fideles contractum, sed etiam inter infideles, quia consensus qui deest, est de intrinseca ratione Matrimonij.

Dico 2. errorem circa conditionem seruilem, siue antecedentem, siue concomitantem dirimere Matrimonium iure tantum Ecclesiastico, quando is qui contrahit est liberæ conditionis vt constat in decret. 29. q. 2. cano. si quis ingenuus & sequentibus. dixi (quando qui contrahit cum serua, vel è contra est liberæ conditionis) quia cum ambo sunt serui nulli fit iniuria, ideoque tunc seruitus non irritat Matrimonium, sicut nec quando probe fuit cognita, quia tunc nullus error antecedit.

Quæres 1. vtrum serui possint inuitis dominis

contrahere? *Resp.* Posse cap. 1. de coniugio seruorum, quia Matrimonium est iuris naturæ, seruitus vero iuris gentium.

Quæres 2. quid si seruus contraxerit cum voluntate domini scientis, fitne liber, & an valeat Matrimonium? *Resp.* Quod sic. Sanch. l. 7. de Sacr. Matr. disp. 20. n. 1.

Dico 3. quando error qualitatis, vel fortunæ redundat in errorem personæ, vel illum inuoluit, tunc dirimit Matrimonium: aliàs non, v. g. Catharina vult, & intendit Matrimonium contrahere cum filio talis hominis in particulari, & inito contractu non inuenitur esse filius talis hominis v. g. Regis Hispaniarum, vel Ducis Mediolanensis, non valet Matrimonium, quia error circa hanc qualitatem non esse filium Regis Hispaniarum, aut Ducis Mediolanensis inuoluit errorem circa personam, quia Caharina consentit in eam personam quam sibi proposuit in mente, sed in mente sibi proposuit filium talis hominis, & non alterius, ergo &c.

Caput XVII.

De impedimentis Ordinis & voti.

Dico 1. maiores Ordines, id est, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum dirimere Matrimonium ex Conc. Trid. sess. 24 can. 9. Dixi maiores Ordines, id est, sacros, quia Minores Ordines, nec dirimunt, nec impediunt contrahendum: vnde potest Clericus Minoribus ordinibus, initiatus conuolare ad nuptias absque peccato.

Quæres 1. vtrum qui susceptit Ordines ex graui metu sit inhabilis ad Matrimonium contrahendũ? *Resp.* Quod non, si metus fuit incussus à causa libera, ideſt, ab extrinseco & iniustè, vt diximus supra cum de consensu in Matrimonium egimus: vnde inferre licet talem, nec teneri ad castitatem seruandam, nec ad officium recitandum, dummodo non ratificauerit sponte ordinationem verbis, aut facto semel vel pluries vtendo ordine susceptо, ita Sanch. disp. 29. n. 5. l. 7.

Quæres 2. quo iure sit institutum hoc impedimentum? *Resp.* Iure Ecclesiastico duntaxat, vnde posset Summus Pontifex ex graui causa dispensare vt initiatus sacris ordinibus cõtrahat, ita Coninch. de Sacramento Ordinis disp. 20. dub. 11. numero 114.

Quæres 3. an sacri ordines dirimant matrimonium iam contractum si fortè suscipiantur post illius celebrationem? *Resp.* Minime dirimere, quãuis nondum sit consummatum, nam tantum dirimunt & impediunt Matrimonium, quod contrahitur post susceptionem sacrorum Ordinum.

Quæres 4. quam pœnam incurrant initiati Ordinibus sacris si contrahant Matrimonium? *Resp.* Incurrere excommunicationem & irregularitatem etiam ante consummationem. Sanch. lib. 7. disp. 48. coniugati quoque qui Ordines suscipiunt absque consensu vxoris, incurrunt irregularitatem, nec possunt petere debitum, possunt tamen reddere, si autem ordinentur de consensu vxoris, nec petere, nec reddere possunt. Sanch. lib. 7. disp. 39.

Quæres 5. an coniugatus qui post contractum Matrimonium, sed nondum consummatum rece-

pit ſacros Ordines, teneatur ingredi religionem ante quam conſummet? *Reſp.* Quod non. Henriq. l. 12. c. 5. n. 10.

Dico 2. votum ſolemne emiſſum in religione per ſedem Apoſtolicam approbata dirimit Matrimonium iure Eccleſiaſtico tantum: quod dirimat Matrimonium patet ex Decretalibus titulo, qui clerici vel vouentes Clement. de conſanguinitate & affinitate, item ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. quod tantum dirimat iure Eccleſiaſtico, ita tenet Palud. in 4. diſt. 38. Idem dicendum de voto ſimplici quod emittunt Patres ſocietatis IESV peracto bienno, vt patet ex motu Gregorij XIII. qui incipit Aſcendente Domino. de quo videri poteſt Val. tom. 4. diſp. 10. q. 5. punct. 3.

Quæres vtrum poſſit vnus coniugum ingredi religionem, & profiteri altero manente in ſæculo? *Reſp.* quod ſic, modo adſint ſequentes conditiones; prima, vt qui manet in ſæculo ſit prouectæ ætatis, vt v. g. ſexagenarius, ſecus ſi ſit iuuenis; ſecunda, vt manens in ſæculo voueat caſtitatem; tertia, vt accedat conſenſus Epiſcopi non quidem de neceſſitate ad validitatem profeſſionis, ſed de neceſſitate præcepti obligantis ſub mortali. ita Gutiere cap. 95. num. 4.

CAPVT XVIII.

De impedimento cognationis, & primò de cognatione ſpirituali.

TRiplex diſtinguitur cognatio, ſpiritualis vna, carnalis altera, & tertia legalis: hic agendum

nobis est de spirituali: postea de reliquis duabus dicemus. de cognatione ergo spirituali.

Dubitatur 1. quid sit? *Resp.* Esse propinquitatem seu attinentiam duarum personarum, quæ ortum habet ex collatione & receptione duorum Sacramentorum nouæ legis, Baptismi scilicet & Confirmationis.

Dubit. 2. an hoc impedimentum dirimat Matrimonium si contrahatur cum eo? *Resp.* Quod sic, idque iure Ecclesiastico, vt habetur 30. q. 1. 3. & 4. & cap. fin. de cognatione spirituali in sexto.

Dubit. 3. inter quos contrahatur hæc cognatio spiritualis? *Resp.* contrahi, 1. inter baptizantem & baptizatum, 2. inter patrinos seu susceptores ac baptizatum, 3. inter baptizantem & parentes naturales baptizati, 4. inter susceptores & parentes eiusdem baptizati, nec ad alias personas extenditur, hoc impedimentum post Conc. Trid. sess. 24. c. 2. vnde constat non posse iniri validū Matrimonium inter baptizatum & baptizantem, nec eiusdem susceptores, quia ille est eorum filius spiritualis, & illi eius parentes spirituales, nec inter parentes baptizati & baptizantem ac susceptores illius: subsistet vero Matrimonium inter ipsos suceptores ad inuicem, quia nullam contrahunt cognationem spiritualem inter se atque adeo maritus, & vxor possunt simul suscipere infantem proximi absque eo quod priuentur iure petendi debitum coniugale, aut illud reddendi: ita communiter Doctores omnes.

Dubit. 4. quænam conditiones requirantur ad contrahendum hanc cognationem spiritualem? *Resp.* Plures requiri; 1. vt teneatur infans dū actu baptizatur, ac propterea si fuerit domi baptizatus

non contrahunt hanc cognationem qui eum tenent dum supplentur solemnitates in Ecclesia, Nau. in Enchir. c.22. n. 40. dixi (requiri contactum dum baptizatur, vel vngitur infans) alioqui si susceptores destinati non teneant dum baptizatur, aut vngitur infans, aut saltem recipiant de manu baptizantis, statim ac perfecta sunt omnia in quibus eorumdem Sacramentorum substantia cõsistit, non contrahitur hæc cognatio: ex quo inferre licet eum qui procuratorem mittit, qui leuet infantem nomine suo de baptismo, non contrahere hanc cognationem spiritualem, quia nõ tenet nec tangit puerum, imo nec procurator ipse qui suscepit infantem contrahit hanc cognationem, quia non est designatus in patrinum, neque à parentibus, neque à Parocho quod tamen est necessarium ex Conc. Trid. sess. 24. can. 2.

Secundo requiritur, vt qui suscipiunt suscipiant infantem de manu baptizantis, dum baptismus solemniter administratur; quare non contrahit, qui tenet dum puer baptizatur priuatim, 3. requiritur vsus rationis in susceptoribus tam in Baptismo quam in Confirmatione, eo quod requiratur intentio tacita, vel expressa suscipiendi baptizatum de sacro Fonte. Ita Regin. l. 31. de Matr. n. 155. 4. requiritur, vt non sit error personæ quæ suscipitur, nam si quis susciperet filium Petri credens esse filium Ioannis nõ contraheret cognationem, ita Syl. verb. Matr. 8. q. 7. 5. requiritur, vt susceptores & baptizans, aut confirmans sint baptizati, & cõfirmati. alioqui non contrahent cognationẽ, ex quo sequitur infideles baptizantes, aut suscipientes puerũ non contrahere hoc impedimẽtum, sequitur 2. hæreticos si suscipiant, aut baptizent contrahe-

in definitione (ex propinquo ſtipite) quia ex remotiſſimo non conſurgit conſanguinitas, aliàs enim cum omnes ſimul ab Adamo, vt communi ſtipite oriamur, eſſemus omnes cognati, quod eſt contra communem vſum loquendi: dixi etiam in definitione (vna ex altera, aut ambæ ex eadem) ad diſtinguendas lineas cognationis.

Dub. 2. quot ſint lineæ? *Reſp.* duas tantum aſſignari, prima vocatur recta quæ eſt vel deſcendentium, vel aſcendentium, linea recta deſcendentium eſt, qua progredimur à genitorib. ad genitos, aſcendentiũ vero eſt qua progredimur à genitis ad genitores, exemplum prioris habes Matt. 1. vbi recenſetur Chriſti genealogia. exemplum poſterioris habes Luc. 3. vbi narratur Ioſephi ſponſi B. Virginis genealogia eos numerando à quibus ortum duxit vſque ad Adam. Secunda linea vocatur tranſuerſa, aliàs collateralis, quæ eſt coordinatio & ſeries perſonarum, quæ ab vno & eodem ſtipite mediatè vel immediatè procedunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe inuicem non oriuntur, vt duo fratres & eorum filij, porro hæc coordinatio vocatur linea, quia ſicut Mathematici ex fluxu puncti imaginantur fieri lineam, ita ex fluxu principij in poſteros, concipimus fieri lineam conſanguinitatis. Stipitis vero nomine intelligitur perſona à qua parentela ſuum duxit exordium, & gradus in præſenti materia, nihil aliud ſignificat quam diſtantiã perſonarum quæ conficiunt lineam, ita vt tot ſint gradus quot perſonæ numerantur dempto ſtipite, id eſt patre. Dub. 3. quo vſq; ſe extendat hoc cõſanguinitatis impedimentũ? *Reſp.* Se extendere vſq; ad quartum gradum incluſiuè tam in linea recta quam in tranſuerſa, ita habetur cap. penultimo de

pium: deinde ſubiiciantur ab eo deſcendentes, & ponatur 1. loco Iſaac, 2. Iacob, 3. Iudas, 4. Phares, 5. Eſron, ſi vis itaque cognoſcere in quo gradu ſint Eſron, & Abraham, numera perſonas, quæ ſunt ſub Abraham & inuenies eſſe quinque, ex quo concludes Eſron eſſe in quinto gradu cum Abraham, & ſi Eſron genitus à Iuda fuiſſet fœmina, potuiſſet Abraham cum ea inire Matrimonium.

Secunda regula, ſpectat ad lineam collateralem, eſtque eiuſmodi, in linea collaterali perſonæ, quæ æqualiter diſtant à ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe v. g. duo Fratres æqualiter diſtant à Patre, & quia collati cũ patre ſunt in primo gradu, ideo etiã comparati ad inuicem ſunt in primo gradu conſanguinitatis, eorum vero filij ſunt inter ſe in ſecundo gradu, quia collati cum ſtipite qui eſt auus, ſunt cum eo in ſecundo gradu, & ſic deinceps.

Tertia regula ſpectat ad eamdem lineam collateralem, ſicque traditur in linea collaterali quãdo perſonæ diſtant inæqualiter à communi ſtipite, tunc illæ perſonæ eodem gradu inter ſe diſtant quo illarum remotior diſtat à communi ſtipite, v. g. ſtipes communis ſit Abraham vna linea collateralis ſit Iſaac, Iacob, & Iudas: altera collateralis ſit Iſmael, & qui ab eo deſcendunt, Iudas & Iſmael erunt in tertio gradu, quia Iudas qui eſt eorum remotior diſtat tribus gradibus ab Abraham, qui eſt communis ſtipes illorum.

Dub. 5. quo iure conſanguinitas irritet Matrimonium in linea recta? *Reſp.* Iure naturæ irritare in primo gradu, vt inter patrem & filiam, quia ſolo naturæ lumine gentes omnes illud improbãt, deinde ſi hoc ita fieret non relinqueret homo patrem & matrem, nec fierent vna caro,, cùm iam

sint tales ratione generationis: non desunt tamen qui dicant in casu extremæ necessitatis Deum dispensaturum, vt Matrimonium contrahatur inter eos qui sunt in primo gradu, vt accidere potuisset si Eua primum suscepisset filiam, deinde fuisset mortua, tunc pro conseruatione vniuersi potuisset Adam accipere in vxorem propriam filiam, sicuti quidam Patrum nituntur excusare filias Loth ab incestu quem commiserunt cum suo Patre. legendus Reginal. loc.cit.l.31.n.116.

Dub.6. quo iure sit prohibitum Matrimonium in 2. gradu consanguinitatis lineæ rectæ? *Resp.* Iure naturæ quamuis in eo gradu dari posset dispensatio ad contrahendum ob grauem aliquam causam publicam, vt colligitur ex Conc. Trid. sess 24.c.5. vbi præcipit vt nunquam in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam, in aliis vero gradibus eiusdem lineæ, tertio scilicet & quarto prohibetur Matrimonium iure duntaxat humano. Regin. loc.cit.n.114.

Dub.7. quo iure prohibeantur nuptiæ in linea collaterali? *Resp.* Iure naturali prohiberi in primo gradu, idest, inter fratrem & sororem, & hoc probatur ex Leuit.20. vbi constituitur pœna mortis in eos qui cum sorore contrahunt, quamuis in primordio mundi ex dispensatione diuina frater acceperit sororem, erat enim casus extremæ necessitatis, alioqui periisset humanum genus, cum via naturali non posset aliter fieri multiplicatio.

CAPVT XX.

De cognatione legali.

COgnatio legalis definitur ex D. Tho. in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. personæ extraneæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio seu electio. per (extraneam personam) intelligitur omnis ille qui non est naturalis filius vel hæres, siue sit adoptantis consanguineus, vt Hester Mardochæi à quo adoptata est (fuit enim ipsius neptis) siue non sit, vt Moyses filiæ Pharaonis à qua adoptatus est. Exod 2.

Dub. 1. quo iure hoc impedimentum dirimat Matrimonium? *Resp.* Iure tantum Ecclesiastico. probatur ex cap. vnico de cognat. legali, & cap. per adoptionem 30. q. 3.

Dub. 2. quousque se extendat hæc cognatio legalis? *Resp.* In linea recta tam descendentium quã ascendentium extendi vsque ad quartum gradum, idque in perpetuum, in linea vero transuersa tantum in primo gradu, & quamdiu durat adoptio. hoc patet ex cap. ita diligere. 30. q. 3. & ex citato cap. vnico de cognatione legali.

Vnde infertur primo adoptantem non posse nubere cum adoptato, nec cum eius filiis vsque ad quartum gradum.

Secundo colligitur filios naturales, & legitimos adoptantis post emancipationem, vel mortuo adoptante posse nubere cum adoptato vel adoptata, quia tunc cessant adoptio, patria potestas, & cognatio illa legalis. dixi (filios legitimos) quia inter

filios illegitimos adoptantis, & adoptatum, nõ intercedit legalis cognatio, neque hoc impedimentum. vt notat Nau. in Man. c. 22. n. 45.

Tertiò colligitur non posse intercedere validum Matrimonium inter vxorem adoptãtis & adoptatum, neque inter vxorem adoptati & adoptantẽ, & hæc confirmãtur ex praxi Ecclesiæ, vt notat Sotus in 4. dist. 42. art. 2. Sanch. l. 7. disp. 63. n. 17. & 24.

Dub. 3. quam pœnam incurrant cognati cognatione legali si Matrimonium contrahant? *Resp.* Incurrere peccatum mortale, & pœnam nullitatis matrimonij. idem dico de cognatis cognatione spirituali.

CAPVT XXI.

De impedimento criminis.

DVbit. 1. Quot sint crimina quæ hoc impedimentum inducant? *Resp.* Esse duo, scilicet homicidium & adulterium.

Dub. 2. quandonam crimen homicidij inducat impedimentum dirimens Matrimoniũ? *Resp.* Tunc inducere quando Matrimonium est inter illos, qui in mortem alterius coniugis conspirarunt, eo fine vt illo mortuo inter se contraherent modo reuera sequuta sit mors: ex quo infero

Primo ad hoc quatuor requiri conditiones, quarum prima est, vt occisio non sit cuiusuis hominis, sed coniugis, hoc est vt maritus vxorem, vel vxor maritum occidat per se vel per alium, consulendo, mandando, auxiliãdo, vel alio modo consentiẽdo.

Digitized by Google

Secunda conditio est, vt personæ quæ peracta cæde cõtrahunt, in eam simul conspirauerint, quia machinatio & occisio debent fieri ex conspiratione vtriusque, & non vnius tantum, & non sufficit ratihabitio post factam cædem, quia illa non influit in opus.

Tertia conditio', vt machinatio & occisio fiant eo fine, vt postea personæ occisionem procurantes inter se contrahant, quia si ex odio vel vt rem postea liberius simul habeant, non cõtrahunt, hoc impedimentum. collgitur ex cap. Si quis viuente. 31.q.1.

Quarta conditio est, vt de facto mors sequatur ex tali machinatione, vnde si moriatur aliunde, etiam dum ipsi cogitant de illo interficiendo, & parant illi insidias, non incurritur hoc impedimentum.

Dub.3. quandonam adulterium inducit hoc impedimentum? *Resp.* Tunc inducere quando habet adiunctum vnum ex his tribus peccatis: quorum Primum est quando persona adultera interficit coniugem v.g. vxor virum, vel vir vxorem, vt postea ducat eam cum qua adulterium commisit, vnde hîc duæ conditiones requiruntur. 1. vt persona adultera ducat eam quam per adulterium cognouit.

Secunda vt interficiat coniugem eo fine, vt postea contrahat, non tamen requiritur, vt persona cum qua intenditur contrahere sit particeps seu conscia homicidij, sed sufficit si vna tantum persona cooperetur morti illius. cap. Significasti.

Secundum est, quando persona adultera viuente huc legitima coniuge celebrat Matrimonium per verba de præsenti cum persona quam adulte-

rio polluit: colligitur ex cap. haberet. & ad hoc requiritur, vt vterque contrahens sciat copulam quam habet esse adulterium, si enim vir adulteram decipiat, affirmans coniugem suam esse mortuam: vel contra, si mulier adulterum decipiat, affirmans virum suum esse mortuum, tunc non erit irritum Matrimonium, si simul contrahant, cap. propositum, de eo qui, &c. nec refert vtrum adulterium præcesserit matrimonij celebrationem an sequutum sit, ex cap. finali titulo de eo qui duxit in matrimonium.

Tertium peccatum est quando adulteræ promittit, viuente adhuc coniuge se eadem coniuge mortua illam ducturum. ex cap. relatum, 31. q.1. ad quod præter cognitionem mox explicatam cõiugis nondum demortui, sed adhuc superstitis seu viuentis, requiritur etiam vt promissio data sit acceptata, quia requiritur consensus vtriusque partis vt incurratur hoc impedimentum, nec sufficit taciturnitas, sed requiritur expressus consensus signo aut verbis significatus, in quibus tribus casibus adulter prohibetur contrahere cum adultera, vel è contra adultera cum adultero, non autem cum aliis iuxta cap: ex litterarum titulo cit. & hoc impedimentum est iuris Ecclesiastici. Patet ex cap. 11. Si quis viuente 31. q.1. & cap. 1. 2 3. 4. 5. & 6. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

De disparitate cultus.

DIsparitas cultus vocatur hoc loco quando fidelis contrahit cum infideli, vel baptizatus cum non baptizata, inter quos validum non potest contrahi matrimonium ex iure duntaxat Ecclesiastico tradito non autem scripto: nam sic est receptum ex vsu,& Ecclesiæ praxi. Ita Reginal. de matrim.n.167.

Quæres 1.an hoc impedimentum locum habeat in matrimonio baptizati cum catechumeno? *Resp.* quod sic, vt patet ex cap.caue. 28.q.1.vbi dicitur oportere vtrumque contrahentem esse baptismatis sacramento initiatum.

Quæres 2. vtrum idem dicendum sit de eo qui simulate tantum est baptizatus? *Resp.* quod non, sed valere eius matrimonium quia Ecclesia non iudicat de occultis, sed tantum de his quæ foris patent & ratione istius baptismatis ficte susceptí, infidelis iste subiacet legibus Ecclesiasticis, ac propterea incurrit hoc impedimentum, quoad matrimonium hæreticorum, inter se vel hæretici cũ Catholico, nihil est hic dicẽdum cum supra ostenderimus esse validum, sed notabimus cum Azor. lib.8. c. 11. q.5. Catholicum non peccare mortaliter si nubat cum hæretica in locis in quibus hæretici qui non sunt denunciati, nec publici clericorum percussores catholicis mixti manent, vt in Germania, Gallia, Polonia, nam in talibus locis, ex consuetudine recepta ob leges amiçitiæ retinendas & communẽ

reipub. tranquillitatem tuendam, licita possunt esse hæc matrimonia, dummodo Catholica persona, cum hæretica contrahere permittatur liberè, & absque peruersionis periculo in fide permanere. Damnat vero pactum impium quod nonnunquam additur tali coniugio vt ex filiis nascituris quidam fidei Catholicæ, & quidam hæresi adhæreant, quia est contra ius diuinum & canonicum. Azor. vbi supra, q. 6.

CAPVT XXIII.

De impedimentis vis & metus, vbi etiam de raptu.

HÆc duo impedimenta vis & metus satis patent ex his, quæ supra diximus cap. 10. de consensu in matrimonium vi vel metu extorto vbi ostendimus metum grauem cadentem in constantem virum ab extrinseco in finem matrimonia nō habente potestatem iniuste incussum nullum efficere matrimonij contractum, nunc restat in præsenti agendum de raptu, qui aliquam habet cum violentia proximitatem quique post Concil. Trid. sess. 24. c. 6. est impedimentum annullans omnino matrimonium contrahendum, quod vt intelligatur sciendum est raptum esse quando mulier aliqua inuita per vim abducitur ad contrahendum matrimonium, ex qua definitione constat quasdam circunstantias debere concurrere vt hoc incurratur impedimentum. Prima est vt sit mulier eaque vel virgo, vel corrupta, vel vidua, vel meretrix, vel honesta nihil enim refert ad proposi-

Digitized by Google

tum qualis sit, ex quo sequitur raptum viri à muliere factum, non inducere hoc impedimentum.

Secunda circunstantia est vt mulier abducatur inuita per vim, quia si consentiat vel precibus importunis, promissis aut dolo abducatur nō est proprie raptus, quia non interuenit vis.

Tertia circunstantia est vt abducatur ad contrahendum matrimonium quia si ob alium finem vt libidinis explendæ causa, vel vt redigatur in seruitutem, non est propriè raptus qui inducit hoc impedimentum, nec refert quod abducatur puella parentibus inuitis, quia decretum concilij eo tātum spectat vt seruetur libertas matrimonij ne fœmina renitens illud inire cogatur ad quod nullo modo requiritur, parentum consensus. Reginal. loc.cit.n.165.Less.l.4.c.3.dub.9.n.70.

Quarta circunstantia est vt mulier rapiatur ab eo qui vult eam ducere in matrimonium vnde poterit alius qui non rapuit eam ducere.

Ex his omnibus inferre licet quod si mulier opprimatur vi in aliquo domus paternæ loco non esse raptum etiam si deducatur de cubiculo in cubiculum aliud vt commodius violetur quod idem dicendum si quis mulierem repertam in agro vel horto, inde trahat per aliquot passus, secus si inde deducat cum violentia in domum aliquam extra illum agrum aut in alium locum, de qua re legendus Molina dist. 105.n.3.

Dub. 1. quas pœnas incurrat raptor? *Resp.* 1. secundum ius ciuile multari pœna mortis. *Resp.* 2. iure nouo Concil. Trid. raptorem puellæ vel mulieris & omnes illos qui consilium fauorem & auxilium præbuerunt ipso iure excommunicatos esse, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum

incapaces. Concil. Trident. sess. 24. c. 6. & præterea inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in eius potestate manserit, nullum potest consistere matrimonium, etiam si ipsa libere consenserit, & pro eo tempore est impedimentum dirimens, vbi tamen à raptore fuerit separata, & in loco tuto, & libero constituta potest illi nubere si velit. Ita Conc. vbi supra.

Dub. 2. vtrum dicendus sit raptor qui puellam cum qua contraxit, matrimonium ratum, non consummatum, abducit per vim quando ipsa vult vti spatio duorum mensium sibi concesso à iure ante consummationem matrimonij? *Resp.* quod sic. Ita Azor. 3. part. l. 3. c. 14.

CAPVT XXIV.

De impedimento ligaminis.

PEr ligamen intelligitur hoc loco vinculum prioris matrimonij validè contracti.

Dub. 1. quo iure prius matrimonium dirimat secundum quod contrahitur priori durante? *Resp.* iure naturali, hoc satis patet ex his quæ diximus supra de polygamia cap. 3. & c. 12. de matrimonij indissolubilitate & ex 1. ad Corinth. 7. mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.

Dub. 2. an quando vnus coniugum diu abest & nulla est certitudo de eius morte, possit iniri matrimonium cum alio? *Resp.* quod non. Ita habetur ex cap. in præsentia de sponsalibus, quia ex longa

abſentia coniugis non reſultat certitudo de illius obitu.

Dub.3.an qui adhibita diligentia morali per multos annos nihil tamen intellexit de morte coniugis abſentis poſſit cum alia contrahere matrimonium? *Reſp.* quod non, ſed debet expectare donec ſufficienter probata fuerit mors coniugis.

Dub. 4.an vnus teſtis ſufficiat ad probandum certo mortuum eſſe coniugem? *Reſp* quod non, niſi forte ob loci diſtantiam, non poſſit haberi alia probatio, & qualitas perſonæ, & veriſimilitudo eorũ quæ dicit faciant prudenter iudicare fidem ei eſſe habendam, ex quo etiam ſequitur ſolam famam non ſufficere ad probationem mortis coniugis, niſi aliis adminiculis fulciatur vt quod ea ſit longi temporis, & conſtans in loco vbi maritus mortuus eſt, & adſit cũ ea certus nuntius: vel quod cum ſenex eſſet, prælium eſt ingreſſus nec amplius apparuit, & fama eſt illum periiſſe, aut quando per litteras eorum qui prælio interfuerunt, acceptum eſt ipſum mortuum eſſe, in quibus omnibus caſibus totius rei ſeries ad iudicem Eccleſiaſticum, deferenda eſt, vt eius authoritate matrimonium ſequens permittatur, & tunc ſi nulla interceſſerit malitia coniugis poſtulantis conuolare ad ſecundas nuptias, & iudex Eccleſiaſticus iudicauerit ſufficienter probari mortem coniugis, poterit tutâ conſcientiâ contrahere cum alio, ſi tamen poſtea accipiat certum nuncium de vita prioris coniugis abſentis, fueritque ille certis ſignis recognitus, tenetur à poſteriori coniuge recedere, & ad priorem redire eſto fortè fuerit abſens per quadraginta annos, quia in matrimonio nulla temporis diuturnitas vim habet præſcribendi can. ſi Virgo 34.q.2.

quod si certo non nouit priorem maritum mortuum esse sed tantum dubitat, non potest existente dubio petere debitum, cap. inquisit. de sententia excommunicationis, tenetur tamen alteri petenti reddere, quamdiu non certò constat priorem coniugem superstitemesse, nam alter ius habet petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum esse matrimonium, nisi dubitans ita probet vt alter propter motiua, & eius probationes teneatur credere vel ita dubitare vt nequeat deponere dubium. Henriq. l. 11. capit. 15. num. 13. & c. 6. n. 7. & 8.

Dub. 5. an qui dubius existit de morte coniugis qui tamen reuera obiit, contrahit matrimonium, cum alio durante dubio, validè nubat? *Resp.* quod sic, dummodo contrahat cum intentione verè cõtrahendi quantum est in se credens validè posse se contrahere, secus si non contrahat cum intentione verè contrahendi quantum potest. sic Nauarr. cap. 22. numero 56. cum aliis multis recentioribus.

CAPVT XXV.

De *impedimento publicæ honestatis.*

QVoniam honestas publica postulat vt sponsus vel vir non cõiungatur matrimonio cum sorore sponsæ vel suæ vxoris, ideo Theologi illam propinquitatem quæ oritur inter illas personas, & similes ex sponsalibus aut matrimonio tantum rato, vocant impedimentum publicæ honestatis, quod quidem distinguitur ab impedimen-

Digitized by Google

to affinitatis, quod affinitas fundetur in copula carnali illud vero minimè.de quo.

Quæritur 1. ex quibus ſponſalibus oriatur hoc impedimentum? *Reſp.* ex ſponſalibus tantum validis & certis, & extendi ſolummodo vſque ad primum gradum, vt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 3. vnde ſi quis poſt ſponſalia celebrata cum Ioanna, contraheret poſtea cum illius ſorore, vel matre, vel filia, inualidè contraheret, dixi (ex ſponſalibus validis) quia ex inualidis non oritur hoc impedimentum, ſicut nec ex incertis, id eſt, cum incerta perſona contractis.

Dub. 2. an hoc impedimentum extendatur ad affines, & conſanguineos ſponſi, & ſponſæ? *Reſp.* ſolummodo extendi ad conſanguineos primi gradus non autem ad vllos affines cuiuſcumque ſint gradus.

Dub. 3. an iſtud impedimentum reſultet etiam ex matrimonio rato ſed nondum conſummato? *Reſp.* quod ſic, ſiue ſit validum ſiue inualidum, modo inualiditas non proueniat ex defectu conſenſus, vt patet ex cap. ſpõſa, de ſponſalibus & matrimoniis. ex quo ſequitur hoc impedimentum non oriri ex matrimonio celebrato per vim vel metum, vel per errorem perſonæ, nec cum aliquis fictè conſenſit, nec ex matrimonio impuberum, amentium, vel puerorum: quia in his omnibus non eſt conſenſus liber ad eſſentiam matrimonij requiſitus: ſequitur prætea oriri hoc impedimentum ex matrimonio celebrato ſine parocho, & teſtibus atque etiam cum aliis impedimentis dirimentibus dummodo verus fuerit conſenſus in matrimonium. Sanch. l. 7. diſp. 70. n. 5.

Dub. 4. ad quem gradum extendatur hoc impe-

Digitized by Google

dimentum proueniens ex matrimonio rato dumtaxat siue valido, siue inualido? *Resp.* extendi vsque ad 4. gradum. ita declarauit Pius. 5. in motu proprio, qui incipit, ad Romanum spectat, &c.

CAPVT XXVI.

De *impedimento affinitatis.*

DVb. 1. quid sit affinitas? *Resp.* esse propinquitatem quandam personarum prouenientem ex copula carnali, licita vel illicita ad generandum idonea, ratione cuius copulæ consanguinei ipsius viri sunt in eodem gradu affinitatis cum muliere cognita ac sunt cum ipso viro in consanguinitate. vnde sequitur. 1. affinitatem procreari non solum ex copula coniugali, sed etiam ex illicita, siue habeatur per stuprum, metũ, vim, adulterium, vel per fornicationem simplicem, siue mulier ignoret, siue non, siue sit amens vel ebria, nihil enim refert in proposito quomodo extorqueatur copula, dummodo sit ad generationem idonea, quia semen à viro emissum recipitur intra vas mulieris ex quo patet, non oriri affinitatem ex copula Sodomitica, vel quacumque alia contra naturam. vt patet ex cap. lex. 27. q. 2. & ex cap. extraordinaria, 35. q. 5.

Est tamen differentia quædam inter affinitatem quæ oritur ex copula carnali licita, & quæ prouenit ex illicita, quod ea quæ oritur ex copula coniugali & licita impedit & dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum tam in linea recta ascendentium, & descendentium, quam in collaterali vt

patet

patet ex cap.non debet, de consanguinitate & affinitate, at vero affinitas quæ prouenit ex copula fornicaria vel alia illicita quamuis ad generationem idonea, solummodo extenditur vsque ad 2. gradum vt patet ex Concil. Trid. sess. 24.c.4. nec extenditur vltra vt patet ex declar. Pij quinti in extrau.quæ incipit ad Romanum spectat.hinc est quod vir qui cognouit consanguineam vxoris in 3. vel 4.gradu non impediatur à petitione debiti cõiugalis, & si moreretur vxor posset cum illa contrahere matrimonium absque vllo peccato quia inter eos non est positũ impedimentum dirimens ex hac parte,si vero vir cognoscat consanguineam vxoris vel è contrario vxor consanguineum, mariti in,1.aut 2.gradu priuãtur iure exigendi vel petendi debitum, licet teneantur reddere innocenti petenti, & si criminis conscius sit, superstes, prohibetur alteri nubere quod notare debent Confessarij, vt meminerint huiusce rei admonere incestuosos.an autem Confessarij regulares possint dispensare cum incestuosis ad petendum debitum, dictum est alibi.

Dub.2.quo iure affinitas dirimat matrimonium? *Resp.* iure tantum Ecclesiastico, siue proueniat ex copula licita siue illicita, siue sit in recta linea, siue transuersa seu collaterali.Ita Caiet.2.2. q.154.art. 9.Henriq.l.12.c.9.n.5.& c.10.n.1.vnde poterit gener cum nouerca contrahere matrimonium ex dispensatione Pontificis, poterit etiam cum sorore vxoris suæ, mortua vxore cum eadem dispensatione:de hac difficultate legendus Bonacina, tract.de matrim.q.3.puncto 12.

Caput XXVII.

De *impedimento impotentiæ.*

Dvbit. 1. quid sit impotentia? *Resp.* esse inhabilitatem quandam consummandi matrimonium, siue illa se teneat ex parte viri siue se teneat ex parte mulieris.

Dub. 2. vnde proueniat hæc inhabilitas? *Resp.* aliquando prouenire ex corporis compositione, & nimia eius frigiditate, & tunc vocatur frigiditas vt constat ex cap. fraternitatis extra de frigidis, aliquando arte dæmonis, & tunc vocatur maleficium.

Dub. 3. quando nam vir atque mulier censeantur impotentes ad copulam? *Resp.* tunc virum esse impotentem ad copulam quando est ineptus ad emittendum verum, & debitum semen intra vas mulieris. mulierem vero tunc esse impotentem quando non potest illud excipere vt cum est nimis arcta, & hoc colligitur ex cap. laudabilem vbi vir, & mulier dicuntur impotentes quãdo non possunt fieri vna caro, at fiunt vna caro per seminationem emissam & receptam in vase debito, ergo defectus illius inducit impotentiam vnde inferre licet, 1. steriles non esse impotentes neque item senes decrepitos, nec leprosos, quia isti possunt emittere semen verum, & prolificum ex se quamuis ex causa aliqua impediatur generatio prolis. Ita Reginal. post Sanch. Valent. Henrich. & alios.

Infertur 2. Eunuchos qui carent vtroque testicula esse impotentes quia carent semine vero, &

Digitized by Google

quamuis videantur aliquod emittere non est tamen prolificum, sed est materia quædam aquosa tantum,& consequenter eorum matrimonium est nullum & si attentent cõtrahere sunt seprandi, & hoc colligitur ex const.Sixti quinti edita anno Domini 1587. qua generaliter declaratur quod Eunuchus priuatus vtroque testiculo,sit,& semper fuerit omnino matrimonio inhabilis etiamsi sciente & consentiente fœmina contrahat ita vt contractum ab eo matrimonium, sit nullum irritum, & inualidum, quod idem asserendum de eo qui testiculos ita habet obtusos vt sint inepti ad verum semen emittendum secus est de eo qui caret vno tantum testiculo quia vnicus testiculus potest ministerium generationi necessarium exercere perfectè, de hoc legendus Sanch. l. 7. disp. 92. num. 17. & post eum Reginal. de matrim. num. 102.

Dub.4.quotuplex sit impotentia? *Resp.* duplex, vna est perpetua, & altera temporalis.

Dub. 5. quandonam censeatur perpetua? *Resp.* tunc censeri talem quando non potest tolli arte humana licita vel absque euidenti aut probabili periculo mortis, hoc modo impotentia censetur perpetua quando non potest remoueri nisi per miraculum, vel per artem dæmonum, vel per incisionem, corporalem, ex qua probabiliter sequatur periculum mortis, vel tandem nisi committatur peccatum aliquod mortale.

Dub. 6. quæ impotentia dicatur temporalis? *Resp.* eam dici temporalem quæ medio aliquo humano licito vel sine notabili periculo animæ vel corporis remoueri potest, sic quãdo mulier est impotens ex eo quod sit nimium arcta, si prudẽti me-

dicorum iudicio possit reddi potens ad perfectam copulã per leuem aliquã incisionẽ etiam cũ dolore aliquo, sed tamen sine periculo vitæ, impedimẽtum hoc censetur tantum temporale, & si iam matrimonium contraxerit tenetur pati illam incisionem quia per matrimonium sese obligauit marito ad reddendum illi postulanti debitum, quod non potest soluere sine hac incisione.

Hic etiam aduertes vtramque impotentiam esse adhuc duplicem, vnam absolutam, & alteram respectiuam; absoluta impotentia est ea, qua quis redditur inhabilis, ad copulam quoad omnes personas, vir quidem quoad omnes mulieres, & fœmina quoad omnes viros, respectiua tantum est qua quis redditur impotens respectu quarumdam personarum tantum, vt si mulier respectu vnius viri sit nimium arcta, & respectu alterius sufficientem habeat dilatationem.

Dub. 7. an impotentia superueniens matrimonio contracto dirimat matrimoniũ? *Resp.* quod nõ, sed oportet vt antecesserit matrimoniũ, nam sola impotentia perpetua antecedens matrimoniũ, irritat matrimoniũ, siue illa impotẽtia fuerit cognita siue non, at vero illa quæ subsequitur matrimoniũ siue ratũ, siue cõsummatũ, nõ irritat matrimoniũ, quãuis nõ desint authores qui existiment talẽ impotẽtiam perpetuam superuenientem rato tantum matrimonio esse sufficientẽ causã vt Sũmus Pontifex illud dissoluat. sic San. li. 2. disp. 16. & li. 7. dis. 102.

Dub. 8. quid faciendum sit quando dubitatur vtrũ impotentia præcesserit matrimonium nec ne? *Resp.* præsumendum esse impotentiam præcessisse matrimonium ideoque soluí debet adhibito prudentum iudicio, & Episcopi auctoritate. Ita Gab. in 4. dist

34.q.vnica.a.1.littera g. & Henriq lib.12.c.8.n.3.

Dub.9.quid censendum de impotentia perpetua respectiua vtrum dirimat matrimonium? *Resp.* quod sic, vt patet ex cap. fraternitatis quia non possunt, qui sunt eiusmodi, fieri vna caro.

Dub.10.quo iure impotentia perpetua siue absoluta siue respectiua reddat matrimoniũ nullũ? *Resp.* iure naturali. quia iure naturæ ordinatur matrimonium ad hoc vt coniuges fiant vna caro, at hoc fieri non potest inter eos quorum vnus laborat impotentia perpetua siue absoluta, siue respectiua. ita communiter omnes Doctores.

Dub.11. quid censendum de impotẽtia temporali an reddat matrimoniũ nullũ? *Resp.* quod non, quãtũ est ex se patet ex dicto cap. fraternitatis, addidi particulam (ex se) quia aliunde fieri potest vt matrimonium sit nullum v. g. ex defectu ætatis, quã requirit Ecclesia in contrahẽtibus, hinc cũ quis post ætatem à iure requisitam contrahit nec tamen est adhuc sufficienter potens ad vsum matrimonij sed speratur successu temporis reddendus potens, matrimoniũ eius ex hac parte non desinit esse validũ.

Dub.12. quando dubitatur vtrum impotentia hæc sit temporalis, vel perpetua, respectiua an absoluta quid faciendum est? *Resp.* Ecclesiam concedere triennium vt coniuges dantes operam rei vxoriæ experiantur nũ talis impotentia sit perpetua, quod si putetur impedimentũ esse ex maleficio debẽt vti remediis ab Ecclesia contra eiusmodi impedimentum approbatis, & institutis, qualia sunt eleemosinæ, ieumia, orationes, sacramentorũ vsus, & hoc elapso triennio si adhuc perseuerat impotentia potest qui iudicatur potens inire aliud matrimonium, præstito prius iuramento coram iudice se in illo

triennio dediſſe operam rei vxoriæ, nec tamen potuiſſe habere copulam patet ex cap. laudabilem.

Dub. 13. quid ſi pars illa quæ putabatur impotens in perpetuum iudicetur poſtea eſſe ſufficienter potens ad copulam maritalem cum ea parte à qua ſeparata eſt an debet illi reſtitui? *Reſp.* quod ſic, ſi nō eſt legitimè lata ſeparationis ſententia puta lapſo triennio experientiæ, & adhibitis legitimis probationibus quas ius ad dicti matrimonii diſſolutionē petit, aut ſi deceptus fuit iudex & deinde error cōperitur, his enim caſibus inſtaurādū eſt prius matrimoniū quāuis per sētētiā iudicis fuiſſet facta ſeparatio, & pars potēs iniiſſet matrimoniū cum alio quia prius matrimonium erat validū poſterius verò minimè. Sanch. l. 7. d. 99. n. 23. & 37.

Dub. 14. an illa pars quæ aliud matrimoniū inierat cum alio viro non peccarit mortaliter cū prius matrimonium fuit validum. *Reſp.* quod nō quia ex quo facta fuit ſeparatio authoritate iudicis Eccleſiaſtici ignorabat ignorantia inuincibili prius matrimonium eſſe validum, ideoque bona fide contraxerat cum alio. Ita Gab. loc. cit. art. 2. litt. f. ſecus autem eſt ſi cognita ſua, & primi coniugis potentia adhuc ſtetiſſet cum ſecundo tunc enim dolo ageret & eſſet in culpa.

Dub. 15. quid agendum, ſit quando mulier reddita ſuo priori viro iudicatur adhuc eſſe impotens reſpectu illius eſto ſit potens reſpectu ſecundi? *Reſp.* debere reddi poſteriori viro, & ſeparari à priori quia poſterius matrimonium fuit validum prius vero fuit nullum ratione impotentiæ reſpectiuæ.

Dub. 16. quid ſentiēdū de hermaphrodito, an poſſit valide contrahere matrimonium? *Reſp.* 1. hermaphroditū, in quo prævalet vnus ſexus poſſe nubere iuxta ſexum qui in ipſo prævalet nō autē iuxta in-

ferioré alioquin nullum eſſet matrimonium? *Reſp.* 2. quod ſi ſexus ſit æqualis, & neuter prævalet poteſt eligere quẽ ſexum ipſe voluerit, & ſecundũ ipſum contrahere matrimoniũ Parochus tamen non poteſt intereſſe huic matrimonio inçõſulto iudice Eccleſiaſtico, coráquo ſtare debet hermaphroditus cum iuramento proteſtaturus quẽ ſexum ſequi velit factaque ſexus electione non poteſt variare electionem, ſi tamẽ variaret, & iniret matrimonium, ſecundum illum ſexum teneret matrimonium. Ita Henr. l. 14. c. 8. n. 6. San. l. 7. de matr. diſ. 106. & alii.

CAPVT XXVIII.

Quis poſſit diſpenſare in impedimẽtis maioribus atq; etiam in impedimentis votorũ caſtitatis & religionis?

DIco 1. Summum Pontificem non poſſe diſpẽſare in impedimentis matrimonij quæ ſunt iuris naturalis hoc patet ex cap. litt. paragrapho, ſane in fine de reſtitutione ſpoliatorum; poterit tamen, interpretando ius naturale.

Dico 2. Summum Pontificem ex cauſa diſpenſare poſſe in impedimentis dirimentibus, ſolo iure Eccleſiaſtico, inſtitutis. dixi (ex cauſa) quia ſi ſine cauſa diſpenſet valebit quidem diſpẽſatio ſed peccabit peccatũ tamẽ nõ erit mortale, ſecluſo ſcãdalo, & graui damno, & qui ea vtetur diſpenſatione non peccabit etiã plus quam venialiter ſecluſo tamen ſcãdalo, & graui alterius dãno Reg. de matr. n. 193.

Dico 3. nullũ inferioré Papa poſſe in maioribus impedimentis, nec in ſimplicibus votis caſtitatis, & religionis diſpenſare abſque cauſa rationali, & ſi iuſta cauſa deſit, & vrgens neceſſitas irrita, & nulla eſt diſpenſatio, & qui ea vtitur peccat mortaliter itemque qui dedit diſpenſationem quia nullus inferior poteſt ſine cauſa, & neceſſitate vrgente diſ-

pensare in lege superioris.

Dico 4. causas iustas, dispensandi in impedimẽtis matrimonij numerari sequẽtes 1. ob bonũ cõmune siue publicũ vt ob firmitatẽ pacis, aut trãquillitatẽ reip. vel regni, 2. defectus dotis cõpetentis seu sufficientis ad nubendũ æquali, præsertim si adiunctã habet pietatem, & respicit bonum eius spirituale prout contingit quando mulier est aut futura est pauper, & nisi dispensetur innupta remanebit cum animæ suæ periculo, 3. causa iusta est extinctio magnæ litis, ad quã reuocari debet euitatio scandalorum ac inimicitiarũ inter consanguineos, & remedium ad obuiandum alicui magno crimini alioqui perpettãdo, 4. causa est, quod maior pars sibi pariũ suæ ciuitatis vel loci insignis, quem inhabitat sint sibi cõsanguinei vel affines intra quartũ gradũ vel si est alius locus minor ipsa nõ habet sufficientẽ dotẽ ad nubendum pari extra illum; nec enim tenetur muier extra locum vel oppidum proprium, cum hoc sit nimis durũ, 5. causa esse potest conseruatio diuitiarum in eadem cognatione, itẽque illustris familiæ in eodem sãguine quæ causæ nõ parum conferunt ad bonũ publicum, 6. denique causa est eius à quo aut cui petitur dispensatio excellentia meritorum in Ecclesiam, argumento capitis tali coniugio 1. q. 7. Reg. loc. cit. n. 194. 196. & 197.

Dubitabis 1. an Episcopus, possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium quæ sunt iuris Ecclesiastici? *Resp.* posse dummodo necessitas vrgeat cum v.g. expositi sunt coniuges graui periculo incontinentiæ, vel cum matrimonium est publicum, impedimentum vero occultum, nec constat esse, nec constare facile potest publicè ita vt periculum non sit quod in foro externo

Digitized by

detegatur, vel cum non possunt separari sine scándalo, vel cum vnus coniugum tantum nouit impedimentum quod probare, vel sine graui famæ iactura detegere non potest, & quamuis vterque illorum sciat, illud tamen probare nequeunt, ideoque non permittentur alia matrimonia contrahere, vel cum est proles quæ parentibus destituta commode educari non potest, nec ad Papam, aut ad eius nuncium est facilis recursus, vel propter paupertatem, vel propter locorum distantiam: itaque concurrentibus omnibus, vel quibusdam ex his circunstantiis licitè potest dispensare Episcopus, siue sint multa impedimenta, siue vnum tantũ, siue sit ante matrimonium contractum, siue post: imo non solum potest Episcopus in his casibus per seipsum dispensare, sed etiam per delegatos, quia hæc potestas est ordinaria, & annexa dignitati Episcopali ac perpetua, ideoque delegabilis in prædictis casibus & circunstantiis: ita Sanch. l. 2. disp. 40. q. 1.

Notabis tamen ad hoc vt valida sit dispensatio ab Episcopo data requiri in contrahentibus, vel saltem eorum vno bonam fidem, quia illos qui mala fide contraxerunt Ecclesia vult separari absque vlla spe dispensationis, vt patet ex Conc. Trid. sess. 24. c. 5. proderitque hæc dispensatio pro foro interiori tantum, non autem pro externo; quod si diues aliquis peteret ab Episcopo dispensationem posset quoque illi indulgere concurrentibus prædictis circunstantiis, & vrgenti necessitate, vt quando Roma distat longissimè magnumque est incontinentiæ periculum, si tandiu expectetur dispensatio. Sanch. loco cit. numero 5.

Quod idem dicendum de votis religionis & castitatis, nam quamuis horum votorum dispensatio reseruata sit Summo Pontifici, nec qui sunt huiusmodi votis astricti possint ad nuptias conuolare absque eius dispensatione, tamen in prædictis casibus nunc explicatis, & concurrentibus iisdem circunstantiis poterit Episcopus dispensare, sicque licitè poterunt nubere, non vna tantum vice, sed etiam pluribus, nisi pro solo primo matrimonio limitata fuerit dispensatio. legendus Sanch. lib. 8. disp. 31.

Dub. 2. an quando sunt plura simul impedimẽta dirimentia debeant omnia, & singula explicari in petitione dispensationis? *Resp.* Quod sic, alioqui esset subreptitia & nulla, idemque dicendum si aliquid falsi exponeret in supplici libello, & præterea explicandum quoto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, vel publicæ honestatis coniuncti sunt, quo enim gradus est stipiti vicinior, eò difficilior est dispensatio vrgentioremque causam requirit, si tamen sint consanguinei in gradu inæquali, vt v. g. si vnus illorum sit in quarto, & alius in secundo, sufficiet explicare remotiorem, nisi gradus propinquior esset primus, vel nisi fœmina esset vicinior stipiti. de quibus omnibus legendus Sanch. l. 8. disp. 24. n. 32. & n. 12. & 13.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Quonam pacto Matrimonium inualide contractum, ob aliquod impedimentum possit reualidari?

DIco 1. quando impedimentum dirimens obstitit Matrimonio, primo impetranda est dispensatio circa illud impedimentum: deinde necessarium est vt accedat nouus vtriusque partis consensus, tam externus quam internus, sine quo consensu non potest conualescere Matrimonium, etiam si sit sublatũ impedimentum, ita Sanch. l. 2. disp. 35. Tertio, si vnus coniugum tantum nouit impedimentum, debet alterum ignarum monere de nullitate prioris matrimonij, modò fieri possit absque periculo scandali, quale esset, si quantumcumque proles suscepta sit, & immineat infamia, vir tamen nullitatis conscius nollet denuo contrahere: ita vt fœmina quæ non potest probare impedimentum, manet remedio destituta, nam si probabiliter timetur scandalum, aut grauis infamia in detegendo impedimento tunc ad eliciendum consensum partis impedimenti ignaræ poterit quę illud cognouit hoc modo se gerere dicendo alteri his aut similibus verbis: credo quod me ita diligis, vt si Matrimonium non esset inter nos, denuo contraheres, ac ex nunc (quod est necessario addendum, vt habeatur consensus de præsenti) vis me in coniugem, ac si non fuisset validum inter nos Matrimonium contractum; alteroque respõ-

Digitized by Google

dente(volo)ipsa etiam interrogans debet dicere se illum quoque velle in maritum. Sanch. loco cit. disp.36.n.7.

Dico 2. quod si modo isto non possit impetrari consensus partis ignorantis impedimentū, absque periculo infamiæ aut scandali, tunc tecta omnis prioris Matrimonij nullitate, cautè curandum est vt impedimenti nescius renouet consensum, quod hoc modo fieri potest, si nempe impedimenti conscius dicat ei qui nescit: Te rogo vt pro mea consolatione habeas me in coniugem, eoque respondente habeo interrogans dicat, & ego te quoque habeo in coniugem, qui modus sufficiens videtur ad Matrimonij validitatem dum vrget necessitas ob periculum, quod sequeretur ex eius opposito. Sanch. loc.cit. n.8.

Dico 3. quod si nec quidem hac ratione possit impetrari consensus, quia non vult alter respõdere, ex aliaque parte petit debitum ab vxore, quod denegare non potest, neque subterfugere absque scandalo, reddendoque peccaret, tunc sublato impedimento sufficiet, si vxor affectu maritali debitū reddat, cum nullum sit dubium maritum eodem affectu illud petere ab vxore, quandoquidem existimat matrimonium esse validum.

An autem sit necesse consensum renouare corã Parocho, & testibus dicendum, quod non quando seruatæ sunt omnes solemnitates à Concilio præscriptæ, & coram eis primo celebratum fuit matrimonium, ipsique non cognoscunt impedimentum, nec probabiliter timetur quod vnquam veniat in eorum cognitionem.

Quod si petas vtrum liceat coniugi impedimẽtum dirimens cognoscenti reddere debitum alteri

Digitized by Google

ignaro quando petit? *Resp.* Quod non, siue impedimentum sit iuris naturalis, aut Diuini, siue sit tantum humani, & quantumuis ad id cogeretur per sententiam excommunicationis, aut periculũ vitæ subiret, vel grauissima sequerentur scandala, non tamen posset coniugi petenti debitum reddere, quia cum matrimonium sit nullum, non potest commiscerì cum illõ sine peccato mortali, neque enim licet accedere ad non suam scienter: dico (scienter) quia si ignorantia esset inuincibilis ex vtraque, parte tunc nullum esset peccatum, quia quamdiu nituntur bona fide possunt vti matrimonio.

CAPVT XXX.

De peccatis coniugum circa vsum Matrimonij.

CIrca vsum matrimonij variis modis peccare possunt coniuges, & primò peccat mortaliter vir, vel vxor quando ea mente reddit debitum, vel habet copulam, vt etiam si non interueniret coniugium, redderet tamen debitum haberetque copulam, vel æquè vellet habere cum alio, vel cum alia quam cum coniuge, Nauar. c. 16. n. 23.

Secundò, qui ex sola delectatione petit debitum peccat venialiter. Emman. Sa verbo debitum.

Tertiò, non peccat coniux qui alteri ob delectationem reddit debitum.

Quartò peccat mortaliter qui accedit ad vxorem cum periculo abortus, vel si ex congressu impediatur conceptio fœtus. Valent. de Matrim. q. 6. puncto 2.

Quintò peccat venialiter, qui accedit ad vxorem, tempore menstrui naturalis, secus si fluxus sit continuus vel extraordinarius, quia tunc non peccat, sicut nec quando vir patitur fluxum seminis peccat petendo. Sanch.l.9.disp.21.n.8.

Sextò peccat mortaliter mulier quæ suscepto semine se erigit vel mingit, vt illud emittat, & sic impediat conceptionem. Sanch. loc.cit.n.3.

Septimò peccat mortaliter maritus qui copula incepta desistit à seminando quando vxor iam seminauit, sic Sanch.loc.cit.n.4.& si vxor non seminarit poterit de eius consensu se retrahere, modo non sit periculum pollutionis extra copulam.

Octauò non peccant saltem mortaliter coniuges rem habentes in die festo quantumuis solemni, nec in die qua sumenda est Eucharistia, modo non adsit contemptus.

Nonò peccat mortaliter, qui vel quæ coniux impudicis tactibus se polluit, vel exercet tactum huiusmodi intendens habere pollutionem, aut cum periculo probabili habendi. Nau.c.16.n.42.

Decimò non peccant saltem mortaliter coniuges mutuo se tangentes, osculantes & aspicientes, vel etiam inter se obscœna verba proferêtes, dummodo absit periculum pollutionis extra vas naturale.

Vndecimò peccant mortaliter coniuges ad pollutionem se mutuo prouocantes, estque species adulterij, & circunstantia in confessione aperienda, quia hoc est contra fidem in matrimonio datam, nam per hanc turpitudinem diuiditur eorum caro.

Duodecimò peccant mortaliter coniuges, qui dimisso vase naturali abutuntur, aut abuti volunt

non naturali, quia hoc est ſpecies ſodomiæ. Decimo tertiò peccant ſaltem venialiter quãdo ſeruato quidem vaſe naturali, variãt ſitum, modumque: vt ſi vir ſuccumbat mulieri, & mulier incubat viro, vel ſi vir accedat ad mulierem præpoſtero modo, modo ſeminet intra vas, nec ſit periculum effundendi ſemen, quia tunc eſſet peccatum mortale. excuſabuntur autem ab omni peccato, ſi adſit aliqua neceſſitas, vt quando vir propter pinguedinem non poteſt congredi cum fœmina niſi retro accedat, aut quando fœmina eſt grauida, & non poteſt cognoſci carnaliter niſi ea ratione, ita Leſſ. lib. 4. de iuſt. & iure c. 3. dubit. 13. num. 89. & alij multi.

CAPVT XXXI.

Quis poſsit ſtatuere impedimenta Matrimonium annullantia?

HÆc quæſtio debuit paulò ſuperiùs explicari, ſed quia omiſſa fuit ex inaduertentia, in hunc locum tranſlata eſt, pro cuius elucidatione,

Dico 1. ſi matrimonium ſpectetur pro vt eſt contractus, Eccleſia vel Pontifex, poteſt ex iuſta cauſa ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia. ita vt matrimonium ſit nullum, ſi cum tali impedimento contrahatur. ita Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 3. & 4. ſi verò ſpectetur provt eſt Sacramentum, id non poteſt Eccleſia, vel Pontifex, quia non poteſt mutare materiam, vel formam matrimonij. quatenus eſt Sacramentum. Becanus de

Sacram. in specie, cap. 49. q. 1.

Dico 2. principes fideles, si præcisè eorum potestas spectetur, possunt ex iusta causa statuere impedimenta matrimonium irritantia, respectu suorum subditorum, tam fidelium, quam infidelium, in terris suis degentium. Ita D. Tho. in 4. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4. Becanus loco cit. q. 3. vbi tamen rectè notat hanc potestatem impediri posse à Pontifice, & reipsa impeditam esse, respectu subditorũ fidelium, non autem respectu infidelium, quia Pontifex reseruauit sibi causas matrimoniales. vt patet ex gloss. final. cap. si quis ingenuus, 29. q. 2. quia verò statutum hoc est positiuum humanũ, & potuit à primæua sui publicatione non recipi in aliquibus Prouinciis & Regnis, vel si receptum fuit, potuit per non vsum abrogari. Hinc fit vt si in aliquo Regno vel Prouincia edicto cautum esset, ne quis contraheret matrimonium, parentibus renitentibns vel etiam ipsomet Principe, sub pœnâ nullitatis matrimonij, edictum huiusmodi seruandum esset. Et si quis contra formam, in illo contentam, celebraret matrimonialem contractũ, irritus, cassus, & nullus omnino foret, prædicti statuti virtute. modo tamen sit longo vsu confirmatum, & ab immemorabili tempore, ad abrogandã legem aliquam Ecclesiasticam requisito, ac sufficienti receptum.

Dico 3. Princeps infidelis potest ex causa iusta, statuere in suo regno huiusmodi impedimẽta, tam respectu subditorum infidelium, quam fidelium, in eodem regno habitantium, adeo vt censendum sit irritum matrimonium, cum tali impedimento contractum: quia sicut potest ex causâ iustâ, irritare alios contractus ciuiles, ita etiam contra-

contractum matrimonialem, quo sensu dixit D. Tho. loc. cit. Matrimonium subiacere ciuili potestati. Legendus Becan. vbi sup. q. 2.

CAPVT XXXII.

Quinam filij dicantur legitimi, & quinam illegitimi?

DIco primo filij legitimi sunt varij in iure, 1. qui nati sunt ex legitimo matrimonio. 2. qui ex matrimonio bona fide in facie Ecclesiæ contracto nati sunt, licet reuera ob aliquod impedimentum, non fuerit legitimum illud matrimonium, quia potest ignorari. Dixi, in facie Ecclesiæ, quia si clandestinè contractum fuerit, filij sunt illegitimi. cap. cum inhibito. de clandest. desponſ.

Aduerte quod vt filij dicantur legitimi, sufficit quod alter coniugum bonâ fide, coram facie Ecclesiæ contraxerit, si enim vterque malâ fide contraxerit, filij erunt illegitimi. ex cap. cit.

Tertiò, illi dicuntur legitimi, qui nati sunt ex parentibus infidelibus, & post ad fidem conuersis, etiam si fuerint coniuncti in gradu, canonica lege prohibito. cap. gaudemus, de clandest. desp.

Vbi notabis eos filios non esse legitimos, qui nati sunt ex secunda vxore, alicuius Iudæi, v. g. qui primam vxorem repudiauit · etiamsi Iudæus conuertatur cum vxore, quia secundum illud matrimonium non fuit verum & legitimum

quia illis, sicut & Christianis, interdicta est pluralitas vxorum, simul & eodem tempore.

Quartò, qui ex concubina patris, ante legitimum matrimonium nati fuerunt, patre concubinam postea in vxorem ducente: modo illam in vxorem postea ducere potuerit tempore conceptionis, vel natiuitatis filiorum, sunt legitimi. cap. tanta vis. ibid.

Quintò, si mulier, iudicio Ecclesiæ, separata à primo viro, viuente illo, contrahat cum alio, legitimi sunt filij, ex viro illo secundo suscepti. cap. Perlatum, etiamsi contingat illud secundum matrimonium esse nullum aliquam ob causam.

Sextò, si fuerit lis de iustitia matrimonij, filij qui lite pendente nascuntur, censentur legitimi. idem dico post latam sententiam, facta tamen legitima appellatione. Ratio est, quia Ecclesia permittit in tali casu coniuges simul habitare. æquum ergo est vt filij censeantur legitimi.

Septimò, legitimi sunt qui tales esse probantur, legitimo aliorum testimonio, licet fama viciniæ, & tractatus parentum clament contrarium cap. per tuas litteras.

Dico secundò, filij illegitimi sunt triplices, nempe naturales, nothi, & spurij, siue manseres. difficile autem est assignare, quomodo hæc differant inter se; in Iure quidem ciuili dicuntur naturales, qui ex concubina domi habita nati sunt; nothi qui ex scorto, spurij qui ex parentibus, inter quos matrimonium esse non poterat. In Iure autem canonico naturales non

distinguuntur à nothis, & sunt omnes illi, qui non sunt nati ex coitu legibus damnato; spurij verò qui nati sunt ex parentibus, inter quos non poterat esse matrimoninm, vt sunt qui nascuntur ex incestu, vel adulterio, vel sacrilegio, & hæc de matrimonio satis.

TRACTATVS TERTIVS,

DE CENSVRIS,

DEGRADATIONE, DEPOsitione, & ceſſatione à diuinis.

CAPVT I.

De Excommunicatione, quid Excommunicatio, & quotuplex?

DOCENT cõmuniter omnes Doctores tam Theologi quã Summiſtæ, tres tantùm eſſe cenſuras, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, ex quibus prima eſt omnium grauiſſima, & maximè timenda, de qua ſicut & de aliis in præſenti nobis agendum eſt breuiter, remittendo Lectorem ad Auctores, qui de hac materia fuſiſſimè diſputarũt, quales ſunt Nau. in Man. c. 27. Syl. verb. excommunicatio. Caiet.

Digitized by Google

eod.verbo. Sotus in 4.diſt.22 q.1.& 2. Suar. to.5. in 3.par.D. Th.Bonac.to.3. ſuæ SummæFil.to.1.& alij plures ex quorum doctrina quæ dicturi ſumus depromemus.

Dico igitur 1. quod excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica,à canone,vel à iudice Eccleſiaſtico prolata,qua homo Chriſtianus bonis fidelium cõmunibus priuatur; Quæ definitio vt intelligatur, ſciendum eſt exTolet.& aliis tria eſſe fidelium bona communia,quibus per Eccleſiæ poteſtatem homo Chriſtianus priuari poteſt, 1. eſt Sacramentorum participatio, 2.orationes &ſuffragiaEccleſiæ, 3. eſt ipſa exterior conuerſatio quæ in mutuo colloquio,& conuictu conſiſtit. his igitur tribus bonis priuantur fideles Catholici, ad eorum correctionem, quando gladio excommunicationis feriuntur, idque vel in totũ, vt cum ligantur maiori excommunicatione,vel ex parte,vt cum incurrunt minorem, vti mox declarabitur: per excommunicationem vero nemo priuatur gratia, vel charitate,aut aliis bonis internis, quibus efficimur viua membra corporis Chriſti myſtici, naṁ per ſolum peccatum mortale illis ſpoliamur, vt colligitur ex cap.qui natus.& ſeq. de pœnit. diſt.2. quare ſi excommunicatus per actum contritionis recuperet gratiam,fit particeps omnium bonorum operum, quæ iuſti inter ſe participant. & ſi pro viribus abſolutionem procurauerit, etiam ſi illam non obtineat,non ſolùm,ait Tolet. l.1. c.4. prædictis bonis iuſtorum, ſed etiam communibus Eccleſiæ bonis, ae ſuffragiis fruitur, & quamuis excommunicatus priuetur Eccleſiæ bonis cõmunibus,hoc tamẽ non impedit quin pro eo poſſint,particulares perſonæ preces apud Deũ fundere, ad eius conuerſionem.

Dico 2. excommunicatio eſt multiplex, 1. diuiditur in maiorem, & minorem: maior excommunicatio eſt ea quæ priuat prædictis tribus bonis ſuperiori pronunciato explicatis: appellatur hæc excommunicatio maior (anathema) quo verbo ſignificatur aliquem tanquam ſeparatum ab aliorum communicatione expoſitum eſſe abominationi hominum & deteſtationi. Minor excommunicatio eſt, quæ ſolummodo priuat paſſiua receptione Sacramentorum, & impedit ne quis eligatur ad beneficium, vel officium aliquod Eccleſiaſticum, quod ſi eligatur ſcienter, electio non eſt ipſo iure nulla, ſed annullanda, ſeu irritanda per ſententiá, vt habetur cap. ſi celebrat. de Cleric. excomm. miniſt. ſi vero ignoranter eligatur, valet electio. hæc excommunicatio incurritur per communicationẽ cum excommunicato notorio ſpecialiter, & nominatim denunciato, vel cum percuſſore clerici ita notorio, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, nec aliquo ſuffragio excuſari. aduerte tamen affectum minori excommunicatione non peccare mortaliter, conferendo Sacramenta; quia ex ſe, hæc excommunicatio ſolum priuat receptione Sacramẽtorum, per accidens tamen obſtare poteſt, quominus aliquis adminiſtret aliquod Sacramentum, quia nimirum non poteſt adminiſtrare niſi ſimul recipiendo, vt Epiſcopus qui non valet adminiſtrare ſacros Ordines, niſi etiam ipſe Sacramentũ Euchariſtiæ percipiat. Præterea taliter excommunicatus poteſt liberè exercere quæcumque ſunt iuriſdictionis actiuæ, vt eligere, excommunicare, conferre beneficia, &c. vt habetur cap. prædicto, ſi celeb. & tenent communiter Doctores.

Notand. 2. eum qui affectus minori excommu-

Digitized by Google

nicatione, scienter recipit Sacramenta, licet peccet mortaliter, validè tamen recipere, excepto pœnitentiæ Sacramento, quod est omnino nullum si conferatur excommunicato minori excommunicatione, qui sciens, vel scire negligens, se non posse accedere, nihilominus accedit, & non confitetur istud peccatum. ita tenet Valent. to. 4. disp. 7. q. 17 p. 2. non tamen efficitur irregularis percipiens Sacramenta, potestque taliter excommunicatus absolui à quocumque Sacerdote, qui habet iurisdictionem in peccata mortalia, imo vt ait Nau. c. 27. n. 39. à quocumque Sacerdote, si pœnitens solum esset irretitus venialibus; incurritur aliquando minor excommunicatio ob solum peccatum veniale, vt ex participatione in rebus politicis cum excommunicato maiori excommunicatione, aliquãdo verò incurritur ob peccatum mortale, vt cum participat aliquis in diuinis cum excommunicato nominatim maiori excommunicatione. hæc omnia docent cõmuniter omnes Doctores, Tol. l. 1. c. 17. Val. loc. cit. & alij multi.

2. Diuiditur excommunicatio in eam quæ est lata à iure, & in eam quæ est lata ab homine, lata à iure est ea quæ per aliquem canonem vel statutũ, vel constitutionem fulminatur, qualis est contra percussores clericorum, contra exhumantes cadauera, &c. ab homine verò ea est quæ per aliquem iudicem fertur, & vtraque rursus est duplex, aut ipso iure, seu ipso facto, aut comminatoria. illa dicitur ipso facto, seu ipso iure, seu à canone, quæ statim contrauenientes ligat, absque vllius sententiæ iudicis expectatione: illa verò est comminatoria quæ non statim ligat, sed expectatur iudicis sententia per quam fulminanda est excommunica-

tio. Cognoscitur autem excommunicatio esse à iure, vel ipso facto, quando fertur hoc modo, qui tale vel tale fecerit sit ipso facto, vel à iure, vel lata sententia, excommunicatus, vel habeatur pro excommunicato, vel sit excommunicatus. quando vero fertur sub pœna excommunicationis, vel per verbum futuri temporis, (excommunicetur,) tunc est comminatoria tantum, & tunc licet contraueniens peccet mortaliter, non tamen statim est excommunicatus, sed venit excommunicandus per sententiam iudicis. Si vero esset ipso iure, absque vllo alio, statim esset excommunicatione ligatus cap. Pastorib. in fine. de appell. excommunicatio lata à iure durat etiam illo defuncto, qui illam tulit, nisi reuocetur ab alio habente authoritatem æqualem; lata vero ab homine cessat, mortuo iudice qui eam tulit, vel si ob officio remouetur, quod sic intelligendum est, vt eo defuncto non liget de nouo contrauenientes, quamuis qui iam ligati erant non ob id desinant esse excommunicati. ita Panorm. c. à nobis 1. n. 12, de sent. excommunicationis.

3. Diuiditur excommunicatio in generalem, & particularem, generalis est quæ fertur in communi contra eos qui commiserint tale delictum, non nominando eos, vt contra percutientes clericum: particularis est quando fertur in personas in particulari, vt contra Petrum, Ioannem, &c.

4. Diuiditur in iustam, & in iniustam, iusta est in qua nulla debita circunstantia desiderantur, iniusta est quando aliqua, vel aliquæ circunstantiæ, desunt in ipsa excommunicationis sententia; rursus iniusta sententia, est duplex, alia

est inualida, & alia valida, iniusta sententia inualida est, quæ vim, & effectum non habet iniusta sententia valida est quæ licet sit iniusta, tamen vim habet, vt si iudex procederet ex odio, aut alio prauo affectu, vel si causa non fuisset reuera sufficiens, quamuis ipsi iudici sufficiens probabiliter videretur, & quidem in priori casu, quamdo videlicet iudex procedit ex affectu inordinato, semper excommunicatio inducit omnes effectus tam in foro interiori, quam exteriori, in posteriori vero casu, quando nimirum iudex existimat causam esse sufficientem, quamuis reuera non sit, nullum inducit effectum in foro conscientiæ, licet iudex proferat sententiam secundum allegata, & probata, tenebitur tamen talis excommunicatus se in publico gerere, tanquam excommunicatum, neque poterit publicè se ingerere diuinis ratione scandali quodinde emergeret, si tamen id attentaret sciens certò se esse innocentem, non propterea esset irregularis in foro interiori, nec acta per illum essent nulla, in eodem foro; secus quoad forum exterius. de hac re legendus Auila de censuris. 2. part. c. 6. dub. 2. & 3.

Quæres quibus in casibus sententia excommunicationis est inualida? *Resp.* in quinque præcipuè, 1. est quando fertur à non habente auctoritatem cap. nullus de parochiis, vt si est excommunicatus, suspensus interdictus nominatim, & denunciatus, vel non est superior, excommunicandi, 2. casus est, quando fertur contra priuilegia alicuius, putà regis, mendicantiũ, &c. 3. est si continet manifestũ, & intolerabilẽ erroré in causa, vt si propter bonũ opus inferatur, vel pro minima re, 4. si feratur post legitimã appellationẽ, 5. si feratur prætermisso iu-

ris ordine, vt si iudex excommunicet participantes cum excommunicato à se, & tamen eos non excommunicet nominatim, præuia trina monitione, cum aliquot interuallis, & ad hunc casum reducitur alius, qui est, si feratur excommunicatio nulla præuia monitione; quamuis enim ad incurrendam excommunicationem à iure, vel per sententiam generalem latam, nulla requiratur monitio, cũius seu statutum, satis interpellet, & pro se sufficienter loquatur, vt aiunt communiter Doctores, attamen ad ferendam sententiam particularem, requiritur trina monitio, vt decernitur cap. contingit can. omnes decimæ, 16. q. 7. nihilominus si ex causa rationabili vna tantum fieret quæ tribus æquiualeret, satis esset vt si diceret iudex, admonemus te vt intra nouem dies, vel sex, vel tres horas, quas tibi pro tribus canonicis monitionibus distinctis assignamus, satisfacias vel compareas, alioquin scias te incursurum excommunicationem ipso facto, & si sine causa iudex præmitteret vnam tantum monitionem, esset quidem valida excommunicationis sententia, sed iniusta, quod si omnes omnino prætermitteret esset nulla, & nullius effectus. Auila loc. cit. p. 2. c. 5. dub. 7. 9. & 10. & alij multi apud illum Tol. l. 1. c. 10.

Quæres 2. quomodo debeat ferri, sententia excommunicationis? *Resp.* debere ferri in scriptis, alioquin est nulla, 2. debet expresse continere causam propter quam fertur excommunicatio. 3. debet tradi copia sententiæ ipsi excommunicato, si petierit id colligitur ex can. 1. de sent. excom. in 6. & refert Bauny tract. de cens. c. 28. Notat tamen Auila, & posteum multi Doctores, superiores regularium non teneri proferre sententiam ex-

Digitized by Google

communicationis in aliquem per scriptum, sed sufficere si ore tenus. & hoc ex priuilegio illis à Summis Pontificibus concesso , non tamen debent omittere trinam monitionem.

Quæres 3. an cum fertur sententia ab homine debeat fieri citatio partis? *Resp.* quod sic dando ei terminum ad allegandum pro se. Ita Soto dist. 22. q. 2. art. 2. in 2. concl. quod adeo verum est vt quando lex excommunicat ipso facto, non possit iudex declarare excommunicatum transgressorem, sine citatione, & hoc docet. Nauarr. c. 27. n. 10. & lib. 5. cõs. titul. de sent. excõmunicationis cõsilio 20. n. 4. Cou. in c. Alma mater. 1. p. §. 9. n. 5. quod adeo necessariũ est, & verũ vt si aliter fiat declaratio sit nulla vt tradunt iidem Doctores, & nos infra dicemus adhuc, cum de percussione clericorum agemus.

Quæres vltimo vtrum monitio debeat esse personalis? *Resp.* quod sic. vnde si fieret in domo illius nõ sufficeret. Ita cõmuniter omnes Doctores colligunt ex canone, quoniam frequenter vt lite non contestata, & ex Clement. 2. vt lite pendente, nisi forte malitiosè latitaret, & subterfugeret, vel cum iam semel citatus est legitimè ad causam, personali citatione, vel cum citatio facta domi peruenit ad illius notitiam, vel cum fuit malè absolutus, & agitur de illo ducendo in pristinam excommunicationem, nam in his casibus sufficeret quod citatio, & monitio fieret in eius domo. Tol. lib. 1. c. 10. n. 6. & alij multi.

CAPVT II.

Quinam possint excommunicare, quinam excommunicari, & quas ob causas?

DIco 1. illos omnes & solos posse excommunicare, qui legitimam iurisdictionem ordinariam? vel delegatam, habent in foro externo Ecclesiastico, ¦etiamsi sint inferiores Episcopis. Ita Couar. in cap. alma mater. part. 1. §. 11. n. 1. & seq. Nauar. in Man. c. 27, n. 5. hinc colligitur Summum Pontificē in primis posse ferre sententiā excōmunicationis, deinde Patriarchas, Legatos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Episcopos capitulum sede vacante, Vicarios Generales, Officiales, Abbates, Priores conuentuales, Decanos quosdam, Archidiaconos, Archipresbyteros, Generales ordinum Prouinciales, Guardianos, Priores claustrales, Rectores Collegiorum alios denique omnes superiores, exceptis communiter curatis, illi enim nullam habet iurisdictionem in foro externo, nullū forum, vnde nec possunt facere informationes cōtra aliquē, quod omnino est necessarium ad excommunicationem ferendam. ita communiter omnes Doctores, & præsertim Sylvest. verbo excomm. 1. n. 5. Sot. dist. 22. q. 2. art. 1. Nauarr. c. 27. n. 5. & alij. Prælatæ item monialium non possunt excommunicare, nec laici, ex defectu potestatis spiritualis.

Notare tamen oportet iurisdictionem ad excommunicandum, non debere esse impeditam per ali-

Digitized by Google

quam cenſuram Eccleſiaſticam, ſicut eſt in excommunicato notorio, & denunciato nominatim, occultè autem excommunicatus validè excommunicat, quando habet titulum officij, ſiue verum, ſiue coloratum & etiam licitè quando id facit in fauoré ſubditi qui iure poſtulat vt aliquis alius excommunicetur. Nau. l. cit. n. 7. Couar. loc. etiam cit. n. 4.

Dico 2. ſolus homo viuus baptiſatus, determinatus, & inferior poteſt excommunicari vnde colliges quod nec Angeli, nec irrationabilia aut inſenſibilia, poſſunt excommunicari, nec vita functi, nec infideles, aut catechumeni, nec tota ciuitas, aut collegium, niſi in particulari perſonæ delinquentes diſtinguantur, dicendo, qui hoc vel illud commiſerint, excommunicentur, denique non ſubditi non poſſunt excommunicari, hinc fit vt nemo poſſit ſeipſum excommunicare, nec vllus Epiſcopus ipſum Papam.

Quæres 1. vtrum peregrini obligentur cenſuris locorum, Generali ſententia, aut ſtatuto, decretis? *Reſp.* negatiuè vt colligitur ex cap. à nobis 1. de ſent. exco. ex quo inferre licet, excommunicationem latam contra eos qui ſciunt aliquod furtum, ſeu delictum eſſe commiſſum, non ligare tranſeuntes. Ita Diana tract. 5 Miſcell. reſol. 73.

Quæres 2. vtrum ſubditi incurrant excommunicationem latam per ſtatutum in diœceſi, ſi contra illud agant extra diœceſim? *Reſp.* quod non, quod idem dico de eo qui delinquit in loco exempto à iuriſdictione Epiſcopi, eſto ſit in eadem diœceſi. Armill. verbo excomm. n. 30. Syl. verbo excom. 2. n. 12. & alij. quod eſt intelligendum, quando ſubditus peccat extra diœceſim, ſi enim delinquit intra diœceſim, & poſtea egrediatur, poterit Epiſco-

pus illum excommunicare, etiamsi extra diœcesim commoretur, quod item dicendum de subdito qui delinquit in alieno territorio, & postea reuertitur ad proprium, & ibi conuenitur poterit enim talis excommunicari sic Auil. de cens. 2. p. cap. 3. dub. 2. concl. 6. & Pontius apud Dianam loc. cit. resol. 74. & hoc à fortiori habet locũ in religiosis exemptis, qui vbicumque existant, possunt à suis superioribus excommunicari etiam si longissimè distent, quia totus mundus est eis pro territorio Syl. verbo exc. 2. n. 15. Auil. loc. cit. dub. 4.

Dico 3. causa excommunicationis maioris est solum peccatum mortale contumaciæ, & inobedientiæ. colligitur excan. quisquis, 2. q. 6. est autem contumacia, inobedientia quædam erga Ecclesiam sub excommunicationis comminatione præcipiẽtem, vt aliquid fiat, vel non fiat, ex quo colligitur excommunicationem maiorem nunquam ferri pro peccato, à quo iudex Ecclesiasticus iam legitimè absoluit neque pro peccato veniali, quare qui est certus se non peccasse mortaliter, vel ob leuitatem materiæ, vel ob imperfectionem actus, vel ob alias circunstantias, sed solum venialiter, in eo genere delicti propter quod lata est sententia excommunicationis, non incurrit, excommunicationem ita communiter omnes Doctores, Colligitur 2. legem sub maiori excommunicatione latam obligare sub peccato mortali vt tradit Couart. in c. Alma mater. p. 1. §. 9. & multi alij.

Digitized by Google

CAPVT III.

De effectibus maioris excommunicationis.

EXcommunicationis maioris effectus sunt decem, præcipui, quorum primus est quod priuat excommunicatum communibus suffragiis Ecclesiæ.

Secundus priuat communicatione passiua sacramentorum, quamuis per se, & vi sui, non efficiat illa nulla, vt iam sup. ostendimus.

Tertius priuat actiua administratione sacramentorum, quamuis non annullet nisi illud tantum quod requirit iurisdictionem ad suum valorem, quale solum est sacramentum pœnitentiæ.

Quartus priuat vsu ordinum ex officio vt prius.

Quintus Ecclesiastica sepultura.

Sextus reddit personam incapacem, & ineligibilem ad beneficium Ecclesiasticum.

Septimus impedit acquisitionem dominij fructuum Ecclesiasticorum; eorumque administrationem.

Octauus priuat vsu iurisdictionis, tollendo iurisdictionem actualem, tam in foro pœnitentiæ, quam contentioso, tam Ecclesiastico quam sæculari.

Nonus excludit ab omnibus actibus forensibus, sola sui defensione excepta, vnde nec Actor, nec Testis, nec Procurator, aut Aduocatus esse potest, tenetur enim abstinere ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet, si sit vitandus, id est, si sit nominatim excommunicatus & denunciatus,

quod si non repellatur, acta eius irrita non sunt.

Decimo prohibetur excommunicato communicatio ciuilis, vnde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec vti publico officio, aut ministerio potest, licet non sint inualida omnia, quæ ab eo aguntur, nisi iurisdictionem requirant, & excommunicatus sit vitandus, ad hanc etiam reducitur priuatio omnis communicationis politicæ, & humanæ, cum aliis fidelibus colloquendi, salutandi, conuiuandi, &c. qui quidem omnes effectus, hoc versiculo comprehenduntur, os, orare, vale communio, mensa, negatur, nã per (os), intelliguntur colloquia cum excommunicato, per (orare) intelliguntur conuentus in sacro audiendo, diuina officia recitando, administratio & receptio sacramentorum &c. per (vale) salutationes, donaria, honoris exhibitiones, per (communionem) significantur humani, & ciuiles contractus, & per, (mensam) intelligitur simul in vna mensa conuesci, in vno & eodem lecto dormire, quanquam in eodem loco liceret manere. Ita Tolet. c. 11. qui etiam notat eod. cap. n. 8. excommunicationem trahere secum executionem, & inhabilitare quoad omnes eius partes illum qui in eam incidit, absque vlla alia declaratione, ideoque excommunicatus, quantumuis occultus, debet abstinere quãtum potest à communicatione cum fidelibus, tam in diuinis quam in humanis actibus, & si se ingerat communicationi fidelium absque necessitate in diuinis, peccabit mortaliter, in ciuilibus, & humanis tantum venialiter, quod idem dicendum de iis qui communicant scienter cum notoriis percussoribus clericorum, itemque cum iis qui sunt nominatim excommunicati, & denunciati, nam cum

isti

iſti ſint vitandi ab omnibus fidelibus quiſquis communicat cum illis in diuinis peccat mortaliter imo ſi clericus communicaret cum excommunicato nominatim à Papa, in diuinis ſponte & ſcienter, Papalem incurreret excommunicationem iuxta cap. ſignificauit de ſententia excommunicationis, in cæteris vero venialiter peccat, & præterea incurrit minorem excommunicationem, de qua diſſeruimus c. 1. huius tractatus legendus D. Thom. in 4. ſent. diſt. 18. art. 4. quæſtiunc. 3. addo amplius ex communiori ſententia Doctorum, quod qui ſcienter participat cum excommunicato non tolerato, in crimine criminoſo, id eſt, in crimine propter quod incidit in excommunicationem, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem maiorem, & hoc colligitur ex cap. nuper, & cap. ſi concubinæ. de ſentent excommunicationis.

Quamuis autem hæc omnia ſint vera, dantur nihilominus quinque caſus, in quibus licita eſt communicatio, & participatio cum excommunicatis vitandis, abſque vllo periculo peccati, vel pœnæ Eccleſiaſticæ, & hi caſus comprehenduntur hoc verſu, vtile, lex humile, res ignorata. neceſſe, per particulam (vtile) ſignificatur poſſe agi cum excommunicato, de rebus quæ vel animo illius, vel corpori ſeu fortunis proſint, vnde licet illius debitoribus illi ſoluere debita; per dictionem (lex) oſtenditur vxorem poſſe agere cum marito, in iis quæ ſpectant ad matrimonium, vel rem familiarem (per humile) intelligitur quod famuli poſſunt illi famulari, ſicut & filij ignorantia ſimul excuſat à peccato eum qui neſcit excommunicationem eſſe latam in aliquem, itemque neceſſitas propria, vel aliena, poſſet enim aliquis

in graui & vrgenti necessitate, consilium petere ab excommunicato vitando, si alius desit à quo possit petere, item qui est excommunicatus, potest ab aliis consilium, vel auxilium, exquirere. vbi aduertes apud varios authores fieri mentionem cuiusdam priuilegij Regibus Francorum, & eorum officialibus concessi à Summis Pontificibus, vt à nullo Episcopo excommunicari possint in his quæ spectant ad exercitium suorum officiorum, & si excommunicarentur ab aliquo Episcopo, subditi tamen absque peccato vel censura Ecclesiastica illis obedire tenerentur in his quæ administrationem suorum officiorum respiciunt ita tenet Bouchellus in Bibliotheca iuris Gall. at in diuinis participare cum illis non possent, quia diuinis interesse cum excommunicato non tolerato, semper est peccatum mortale, ita vt nec liceat vxori filiis, seruis, aut familiaribus, orare publicè cum illo; dico (publice) quia priuatim orare cum excommunicato vitando, quidam existimãt non esse peccatum mortale, quamuis contrarium sit verius. Auila de cens. c. 6. disp. 9. dub. 7. Tolet. c. 11. n. 6.

CAPVT IV.

Proponuntur quædam documenta circa excommunicatum non toleratum.

DOcumentum primum est, quod post Concilium Constantiense nullus nominatim excommunicatus est vitandus, nisi sit denunciatus, potest enim fieri vt aliquis sit excommunicatus nominatim, nec tamen sit denunciatus, v. g. si iu-

Digitized by Google

dex præcipiat alicui, vt sub pœna excommunicationis latæ sententiæ compareat in iudicio, si is contumax sit, nec compareat, statim est excommunicatus nominatim, nec tamen est denuntiatus. vnde nec dum est vitandus. Tolet. loc. cit. c. 12. & Auil. loc. cit. disp. 12. dub. 3.

Documentum 2. denunciatio excommunicati debet fieri à iudice competente, qui habeat iurisdictionem in illum, itaque vel debet esse ordinarius iudex, vel aliquis alius ab eo delegatus. Ita Doct. cit. quibus addo Nauarr. l. 5. conf. de sent. excom. conf. 3 & præterea ista denuntiatio non solum debet fieri in consistorio iudicis coram litigantibus, sed etiam necessarium est vt fiat in loco publico, vt tempore Missæ maioris, vel concionis, vel quod charta affigatur in publico loco, vel denique quod publicetur secundum consuetudinem regionis, sic Guttierres cap. 1. numero 32.

Documentum 3. quamuis aliquis transgrediatur legem continentem excommunicationem ipso facto, vel iure, non tamen est denunciandus vel declarandus pro excommunicato, nisi prius citetur, vt alleget pro se, & audiatur, nisi excessus esset ita notorius, & certus, vt nulla posset tergiuersatione celari, aut nullo suffragio, id est, nulla ratione excusari, quod quia rarissime euenit, fit etiam vt rarissimè sit omittenda citatio, præsertim in nostra Gallia, in cuius fauorem extat priuilegium, quo permittitur fidelibus omnibus cum percussoribus etiam notoriis clericorum communicare, donec denuncientur; Ratio est, quia quandiu non sunt denunciati, semper possunt allegare rationes excusãtes, dicẽdo vel nescisse homi-

nempercuſſum eſſe clericum, vel percuſiſſe quidem clericum, ſed vi vim repellendo, vel ignoraſſe excommunicationem eſſe latam in percuſſores clericorum, &c. huiuſmodi, & hoc priuilegium habetur in concord. rubr. de excommunicatis non vitandis, ita Bauny de cenſ. c. 29.

Documentum 4. vt aliquis excommunicatus cenſeatur nominatim denunciatus, ſufficit quod in ſpeciali publicè declaretur incurriſſe crimen, habens annexam excommunicationem ipſo facto, quamuis fuerit excommunicatus, tantum generaliter per excommunicationem generaliter impoſitam. verbi gratia, eo ipſo quod aliquis declaratur hæreticus, teneor illum vitare tanquam denunciatum, quamuis iudex non declaret expreſſe illum eſſe excommunicatum, quia eo ipſo quod iuridice declarat eum hæreticum, declaratum manet eſſe excommunicatum. ſic Auil. cap. 6. diſp. 2. dub. 3.

Documentum vltimum quando quis nominatim excommunicatur, debet explicari nomine proprio, vel aliquibus ſignis, quæ ita ſufficienter declarent perſonam, vt non liceat de illa dubitare, vnde ſi ſint duo eiuſdem nominis, vel officij, vt duo iudices verbi gratia debent explicari particulares notæ, & ſigna, ita vt nullum maneat dubium. Ita communiter Doctores Theologi, & Canoniſtæ.

Digitized by Google

CAPVT V.

Vtrum ignorantia excuset ab excommunicatione incurrenda?

NOtandum est 1. pro explicatione huius quæstionis, ignorantiam esse duplicem, vnam iuris, & alteram facti, ignorantia iuris est quando nescitur ius, aut sententia, quibus excommunicatio fulminatur, vt qui nescit excommunicationem latam in percussores clericorum, dicitur laborare ignorantia iuris: ignorantia facti est, quãdo aliquis nescit factum ipsum quod sub excommunicatione prohibetur, vt qui percussit clericum nesciens esse clericum.

Notand. 2. ignorãtiã iuris, & facti, esse adhuc duplicẽ, vna est inuincibilis quę etiã appellatur probabilis, & alia vincibilis inuincibilis est, quãdo quis ignorat aut quæ scire non tenetur, aut si tenetur ea scire, nõ potuit, nec per ipsũ stetit quominus sciret, vincibilis est, qua quis ignorat quod scire tenetur propter negligẽtiã, quæ si sit notabilis, est peccatũ mortale, si sit leuis est peccatum veniale, rursus ignorantia culpabilis mortaliter, vel est crassa, vel supina, aut affectata, ignorãtia crassa vel supina, est qua quis nescit quæ tenetur scire, quodque omnes eiusdem artis, & conditionis sciunt: affectata vero est, qua quis non vult scire quod tenetur, sed placet ipsum nescire vt liberius peccet, conscientia non repugnante, ita Syl. verbo ignorantia versu si vero, his ita positis.

Dico 1. ignorantia inuincibilis, siue iuris commu-

nis, siue particularis, atque etiam facti excusat ab omni excommunicatione. Ita Val. to. 4. dis. 7. q. 17. p. 7. & alij, & hoc habet locum non solum in excómunicatione, sed etiam in suspensione, & interdicto, quamuis factum sit iure naturali, aut diuino, damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Summo Pontifice. ita docet Naur. c. 23. n. 47. & multi alij apud Dianam tract. 6. Miscell. resol. 41.

Dico 2. ignorantiam vincibilem, culpabilem mortaliter, siue sit iuris siue facti, modo non sit crassa excusare ab excommunicatione, ita Portell. in addit. ad dubia regul. verbo ignorantia n. 27. & alij, & hoc habet locum siue excommunicatio sit lata ab Episcopo, siue à Papa.

Dico 3. ignorantiam crassam supinam, vel affectatam, non excusare ab incurrenda excommunicatione. Ita Tol. l. 1. c. 8. n. 8.

Dico 4. quando lex imponit excommunicationé contra eos qui scienter aliquid faciunt, vel facere præsumunt, non incurrunt qui ex ignorantia crassa, supina, vel affectata eam transgrediuntur, quia ignorans non vere dicitur præsumens, præsumptio enim importat dolum, & temeritatem, quod procedit & verum est in quacumque alia censura lata contra facientes aliquid scienter, aut facere præsumentes, non enim ligantur illa cẽsura qui ex ignorantia crassa, siue supina, vel affectata, siue sit iuris, siue facti, violant legem. Ita docet Bonac t. 3. disp. 1. q. 2. p. 4. n. 9. Diana tract. 5. Miscell. resol. 13. & tract. 6. Miscell. resol. 7.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Quis teneatur vi excommunicationis ad reuelandum seu denunciandum quando crimen est occultum?

PRo solutione huius quæstionis, valde difficilis & intricatæ. Dico 1. quoties fertur excommunicatio ad manifestandam aliquam veritatem, vel ad reuelandam scripturàm, talis excommunicatio obligat eo tantùm modo, quo ante latam excommunicationem obligabatur quis vel iure naturæ, vel alio quocumque modo ad reuelandum, vel denunciandum. ita Doctor quidam modernus.

Dico 2. quoties excommunicatio ab homine lata non supponit grauem culpam in tacenda veritate, vel occultanda scriptura cõmissam, nec etiam supponit priorem obligationem ad reuelandum, nec illam potest inducere, tunc etiam si quis non respondeat, vel obediat tali sententiæ excommunicationis, non ligabitur eiusmodi censura quia excommunicatio nulla est, ex defectu causæ. ita prædictus Doctor modernus.

Dico 3. quando præceptum iniustum est, vel excedit humanam facultatem, tunc non obligatur quis vi excommunicationis ad reuelandum, censetur autem tale præceptum esse, quando Episcopus vel iudex præcipit reuelari rem omnino occultam, quæ cedit in grauem infamiã, vel graue detrimentum alicuius, contra quem probatio semiplena, vel

publicus rumor, aut infamia, aut indicia ſufficientia, non præceſſerunt. ita communiter Doctores omnes.

Dico 4. neque obligatur quis reuelare, quando præceptum Epiſcopi vel iudicis, iuſtum eſt quidem, ſed non poteſt adimpleri, ſine graui detrimẽto in fama, honore, vita, & bonis. ſic Nauar. c. 25. n. 50. & alij. ſimili modo excuſatur ab excommunicatione qui intra certum terminum præcipitur comparere ſub excommunicatione, quando habet legitimum impedimentum non comparendi. Syl. verb. excomm. 2. n. 23. Nau. cap. 27. num. 38.

Dico 5. quando fertur excommunicatio ad reuelandum furta, ſcripturas, vel alia delicta, excuſantur à denuntiando cognati intra quartum gradum. ita Nau. cap. inter verba. concl. 6. n. 312. per cognatos intelligũtur parentes, & alij aſcendẽtes, filij, & alij deſcendentes, & etiam vir, & vxor, ſocer & gener, vitricus, priuignus, fratres, & horum filij intra quartum gradum. idem dico de ſeruis domeſticis, ac familiaribus, ac de illis, qui rem aliquam ita cognoſcunt, vt non poſſint illam licitè detegere, aut reuelare, cuiuſcemodi ſunt Sacerdotes, qui aliquid norunt ex ſola confeſſione, item qui rem aliquam ſciunt per conſultationem, cuiuſmodi ſunt Procuratores, Aduocati, Theologi, Medici, Obſtetrices. ita multi Doctores apud Auilam de cenſuris. 2. p. c. 5. diſp. 5. dub. 2. quod tamen intelligendum eſt quando iſtæ perſonæ neſcirent alia via, nam ſi alia via id ſcirent, tenerentur reuelare ſi probare poſſent: item quando talis denunciatio eſſet neceſſaria ad euitandum damnum

reip. vel magnum incommodum alicuius tertij, si alia via non possit impediri damnum, obligarentur reuelare, secundum Nauar. loc. cit n. 305. quod idem dicendum de filiis, parentibus, & cognatis in crimine hæresis, & læsæ maiestatis humanæ, & etiam blasphemiæ in Deum, & Sanctos, Bonac. to. 1. de onere denunciandi disp. 6 §. 3. n. 6.

Dico 6. non obligatur etiam ad denunciandum qui non comprehenditur sub verbis edicti, seu excommunicationis propriè sumptis, vnde si per edictum præcipiatur, vt qui habet aliquam scripturam alienam, illam manifestet, non tenebitur ad reuelationem is qui habebit apud se tantum illius transsumptum, seu copiam: item si præcipiatur vt reueletur qui rem detinet alienam, non tenebitur qui scit eum qui habet, accepisse in compensationem, aut ad redimendam iniustam vexationem, vel quando scit reum esse paratum ad satisfaciendum pro viribus parti læsæ, vel scit non esse soluendo; præterea idem extendendum est ad eum qui scit certissimè se solum esse conscium criminis, vel debiti, nec moraliter loquendo quempiam posse deuenire in illius cognitionem, item ad eum qui nouit ex sua reuelatione ob malitiam, iram, vel aliter, maius malum nasciturum quam sit nocumentum quod pertulit qui læsus est, ita Doctores omnes. legendus etiam Auila loco cit. disp. 5.

Dico 7. quando in edictis præcipitur, vt qui audiuit delictum denunciet, ille qui audiuit à personis leuibus, & fide non dignis, non tenetur denuntiare. ita Graph. in Sum. l. 4 c. 8. n. 30. Idem dicendum quando audiuit per vicos & plateas, a personis incognitis, vel fide non dignis. ita Nau. c. 25. n. 46. pariter non obligatur denunciare qui

Digitized by Google

audiuit à fide dignis, ſed non meminit à quo audierit, vel quando audiuit à perſona, nihil certum ſciente. Bonac. loc. cit. § 4. n. 1. amplia hoc etiam quando delictum eſt tale, quod ad illud denunciandum requiritur infamia, nam quamuis audierit delictum à perſona fide digna, non tenetur tamen reuelare, niſi etiam audierit eſſe infamiam de tali perſona: item quando non ſcit delictum ex viſu, ſed ex auditu alterius fide digni, ſi hic denunciet non tenetur qui audiuit, denuntiare, ſic Nau. cap. inter verb. concl. 9 n. 192.

Denique ad monitorias generales non tenetur delinquens ſeipſum reuelare iudici, quantumuis eſſet diffamatus, niſi quando ipſe ſpecialiter interrogaretur iuridicè, ſcilicet præcedentibus indiciis, vel ſemiplena probatione. ita Cordub. 1. quæſtionarij q. 53. dub. 2. tenetur tamen eſſe paratus ad ſatisfaciendum læſæ parti, alioqui incurreret excommunicationem.

Dico 8. edictum monitorium ſolùm obligat ad denunciandum eos quos iudex, & pars ad cuius inſtantiam profertur, intendunt comprehendere, vnde ſequitur in edicto non comprehendi vxorē, filios, & etiam eos qui ſunt valde amici illius qui impetrauit monitorium, niſi adſit aliqua clauſula hoc exprimens, vt ſi dicatur nullo excepto, ita Vaſq. in opuſc. c. 5. §. 1. dub. 7. numero 37. & alij.

Dico 9. vi monitorij non tenentur impuberes reuelare, quia illi excuſantur à cenſuris, & præceptis, ante pubertatis annos, idque eſt intelligendum tam de cenſuris à iure latis quam ab homine. ita Emm. Sà. verbo. cenſ. n. 2. item quando non poteſt probari delictum ſaltem per vnum teſtem

omni exceptione maiorem, aut quando furtum commissum esse auditum est, aut visum committi ab ipso fure, nemine alio præsente tunc quis non tenetur reuelare, secus si possit probari per vnum testem omni exceptione maiorem, quia tunc tenetur reuelare, si iudex iuridicè procedat, & interroget, etiam si delinquens sit emendatus. ita Nau. c. 25. n. 33. Auil. de Censuris. 2. p. c. 5. disp. 4. dub 3. concl. 10. & 11.

Dico 10. non est obligatio denuntiandi quando certo scitur, vel probabiliter creditur, nullum remedium adhibendum esse à Prælato facta denunciatione. ita communiter omnes Doctores.

Dico 11. qui tenetur reuelare, non eximitur ab hac obligatione, etiam si promiserit cum iuramento non reuelare. quia iuramentum de re illicita non obligat. Bonac. loc. cit. §. 5. n. 3.

Dico vltimo, qui non denuntiat intra tempus præscriptum in edicto, tenetur elapso eo tempore denuntiare quamprimum commodè potest, & tandiu ligatus manet excommunicatione, quamdiu non denunciat. ita Bonac. loc. cit. §. 9. n 1.

Caput VII.

De Absolutione ab Excommunicatione.

Dico 1. in articulo, vel periculo mortis potest quilibet Sacerdos absoluere à quacumque excommunicatione reseruata Pontifici maximo, vel aliis Episcopis, siue à iure, siue ab homine, per sententiam generalem aut specialem lata, modo promittat pœnitens satisfacere parti læsæ, & com-

parere coram ſuperiore, quamprimùm poterit elapſo periculo, vel articulo mortis.

Dico 2. exiſtenti in articulo mortis, poteſt quilibet Sacerdos abſolutionem earum cenſurarum impẽdere quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorũ, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, qualis eſt excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à Sacramentorum ſuſceptione, & ab Eccleſiaſtica ſepultura: quod ſi infirmus aliqua cenſura innodatus nõ potuit abſolutionem petere à peccatis, poterit nihilominus impendi abſolutio cenſurarum, vt recipiat aliqua Sacramenta, & non priuetur Eccleſiaſtica ſepultura, Bonac. de cenſ. in com. diſp. 1. q. 3. p. 3. n. 8. & 10. non poterit tamen abſolui à ſuſpenſione ab officio, ordine vel beneficio, nec ab irregularitate, quia hæc omnia non retardant à conſequutione gloriæ. Bonac. loc. cit.

Dico 3. ſi pœnitens abſolutus ab inferiori non ſe præſentet ſuperiori quamprimùm poterit, elapſo morbo, aut incommodo reincidet in eamdem ſpecie excommunicationem reſeruatam, ſicut erat prior. Ratio eſt, quia ex quo non ſe præſentat ſuperiori cum poſſit, eſt contumax, & inobediens, ratione cuius contumaciæ, reincidit in eamdem excommunicationem. Eſt tamen notandum quod qui in articulo mortis fuit abſolutus à cenſuris reſeruatis Papæ, aut Epiſcopis, vi alicuius Bullæ, Iubilæi, aut priuilegij, vel à delegatis prædictorum, non teneri ſe præſentare, imo etiam ſatisfaceret oneri comparendi, ſi coram Confeſſario facultatem habẽte ex priuilegio abſoluendi extra mortis articulum, ſe præſentaret. ita Bonac. loc. cit. n. 15. & cum pœnitens tenetur ſe præſentare, ſatisfacit ſi abſens pareat, nam ad parendum ſolum, & non

vt absoluatur, iubetur præsentari, ita Emm. Sa. verbo. absolutio ab excom. n. 6. Nau. c. 26. n. 26. Addo præterea ex eodem Sa loc. cit. n. 8. quod qui priusquam reincidat, concordat, vel conuenit cum aduersario, aut ei satisfacit, non tenetur se præsentare, quod etiam docet Mill. de Pœnit. c. 97. n. 10. vbi nihilominus notat probabilissimum videri, hoc onus se præsentandi coram superiore, non habere amplius locum, & cessasse post Concil. Trid. cum nec ante illud vigeret, nec obligaret eos qui in articulo mortis impetrarant absolutionem à suspensionibus, interdictis, aut casibus reseruatis, ad se præsentandum coram superiore, quam doctrinam puto posse tutâ conscientiâ approbari quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum externum, sed est omnino occulta, vel scitur tantùm à duobus, aut tribus.

Dico 4. Summus Pontifex potest absoluere à quacumque censura, à iure, aut ab homine lata, siue per sententiam generalem, siue per specialem. ita communiter omnes Doctores; & notat Bonac. loc. cit. p. 1. n. 4. mortuo Summo Pontifice, posse Summum Pœnitentiarum absoluere à casibus Pōtificis, iuxta facultatem quam habebat à Summo Pontifice viuente, collegium verò Cardinalium magna ex causa absoluit, quos Summus Pontifex potuit absoluere.

Dico 5. Episcopi possunt absoluere à censuris à se vel à suis prædecessoribus latis, atque etiam ab omnibus censuris occultis, reseruatis Summo Pontifici, tam per seipsos, quam per Vicarium generalem, aut per alium Vicarium, ad hoc specialiter deputatum. hoc patet ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. hæc eadem facultas facta est Capitulo sede vacan-

te, vt alt Sanch de Matrim. l. 8. disp.2. n.10. Bonac loc.cit.p. 2. num. 1. quod idem sentiendum de Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt Abbates quidam exempti. *Ita* Bonac. loco cit.

Dico 6. iidem Episcopi possunt absoluere virtute priuilegij illis per prædictum Concil. Trid. concessi, ab omnibus casibus in Bulla cœnæ contentis, quando sunt occulti, & non deducti ad forum contentiosum, etiam in locis vbi est recepta Bulla cœnæ, quia per publicationem talis Bullæ nõ reuocatur istud priuilegium in Concil. Trid. contentum. Hæc conclusio defenditur à viualdo in candelabro aureo, à Baunino c.31. & colligitur ex can.licet Romanus, 1. de const. in 6 item eam docent Bannes, 2. 2. q. 11. art. 4. & multi Doctores apud Az.p.1 inst.moral.l.8. c.10. q.10. quamuis ipse contrariam sequatur.

Dico 7. possunt iidem Domini Episcopi etiam in locis vbi viget Bulla cœnæ Domini, absoluere per se vel per alium in foro conscientiæ ab hæresi occulta, & non deducta ad forum contentiosum. hæc sententia defenditur à Mill. de pœnit.c.97. n.11. Baunino loc.cit. Putea. in 2. 2. q 11. art. 4. dub. 2. eorum tamen Vicarij non possunt delegare suas vices alteri. ita Mill. & Baun. locis cit. Viuald. in candel. aureo de Absol. n.12. & alij: si vero hæresis est notoria & manifesta, poterunt communiter diœcesani Episcopi absoluere suos in foro externo tantum, vt latius dicetur infra: quia verò Bullam cœnæ Domini non esse receptam, nec vnquam fuisse in regno Galliæ fusè probat Puteanus loc. cit. & idem disertis verbis docet Baun. c. 32. n 2. inde sequitur Episcopos eiusdem regni (quod idē

Digitized by Google

dicendum de Epiſcopis aliorum regnorum in quibus prædicta Bulla non eſt promulgata, nec vſu recepta) poſſe abſoluere hæreticos quoſcumque, ſiue occultos ſiue publicos, in vtroque foro: hoc habet prædictus Putean. loc. cit. item Mill. vbi ſupra. Ratio eſt quia iure communi antiquo, Epiſcoporum eſt cognoſcere de crimine hæreſis, hoc patet ex Leone 1. epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ. ex Concil. 2. Arelatenſi. can. 23. ex Concil. Later. ſub Innoc. 3. c 3. ex Concil. Mileuit. can. 24. & Concil. Tol. 2. can. 2. ergo cum hæc Concilia agnoſcant in Epiſcopis poteſtatem compeſcendi hæreticos, vt fermentum à pabulis ouium remoueant, ſignum eſt poſſe eos abſoluere, cum eiuſdem poteſtatis ſit ſoluere, cuius eſt ligare, at ex prædictis Conciliis poſſunt ligare hæreticos, ergo & ſoluere.

Dico 8. Epiſcopos Galliarum habere in hæretico eamdem poteſtatem quam habent in eoſdem Inquiſitores hæreticæ prauitatis, à Summo Pontifice delegati, quia nimirum Epiſcopi ſunt Inquiſitores nati, eorumque munus præſtare poſſunt, ex eodem iure communi, & ſi non exequantur hoc non procedit ex defectu poteſtatis, ſed quia non expedit quieti, & tranquillitati prædicti regni: quod idem aſſero de aliis Epiſcopis aliorum regnorum, in quibus nulli ſunt Inquiſitores à ſancta Sede creati, imo vbi locorum Inquiſitores Apoſtolicos Romani Pontificis auctoritas creauit, non in vniuerſum Epiſcoporum ordinaria iuriſdictio eſt abrogata, quia vtrique poſſunt ſimul, aut ſeorſim de hæreſi cognoſcere. ex Clem. 1. propter quod de hæreſi. Azo. inſtitut. moral. p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 2.

Dico 9. dominos Epiſcopos Galliarum poſſe

constituere Vicarios generales qui absoluant ab hæresi, imo etiam qui subdelegare possint, ratio est quia vt paulò ante diximus respectu huius criminis, sicut & respectu aliorum criminum à Summo Pontifice non reseruatorum, sunt iudices Ordinarij, ergo possunt generalem constituere Vicarium, qui non modo absoluat ab hæresi, sed qui alium substituere possit hic & nunc pro casibus occurrentibus: deinde sicut iidem Episcopi constituunt Vicarios generales, qui absoluant à casibus sibi reseruatis, & eamdem potestatem subdelegẽt, sic illis idem præstare licebit respectu hæreseos, ordinarius enim delegare potest, quæ sunt suæ iurisdictionis cum potestate subdelegandi suo delegato facta. Putean. loc.cit.

Dico 10. non modo possunt Episcopi in quantum Episcopi constituere Vicarios qui absoluant ab hæresi, sed etiam tanquam Inquisitores, nam hoc ius competere Inquisitoribus fusè probat Az. loc.cit. q. 10. vbi tamen notat Vicarios delegatos ab inquisitoribus non posse subdelegare: Ex his colligo 1. Episcopos Galliarum posse triplici iure absoluere ab hæresi, 1. iure communi antiquo, ratione cuius sunt iudices Ordinarij, 2. in quantum Inquisitores, 3. iure nouo Concil. Trid. sess. 24. c. 6. colligo 2. Episcopos (quod etiam extendendum est ad Abbates, & alios Prælatos, qui habent iurisdictionem Episcopalem in suos subditos) in quorum diœcesibus Bulla cœnæ non est promulgata, posse licentiam concedere tenendi, & legendi libros hæreticorum viris benè moratis, & de re literaria benè meritis, potest enim Episcopus illud omne quod Inquisitor à sede Apostolica constitutus, quia est Inquisitor natus iure communi respectu suæ

ctu suæ diœcesis, at Inquisitor hoc potest, vt constat ex praxi, ergo & Episcopus hoc poterit.

Colligo 3. posse Episcopos communiter, vel diuisim ab Inquisitore, procedere in processu formando contra hæreticos, ita vt quilibet possit citare, arrestare, capi facere, ac tutè custodire, mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit expedire, Clement. 1. §. propter quod, & Glossa in verbo, contrarios, de hæreticis, potest etiam ordinarius eodem modo quo Inquisitor publicare edicta contra hæreticos, & super libris prohibitis, catalogos etiam librorum ac libros prohibitos recipere potest, quia sacrum Conc. Trid. de Episcopis multum confidit, vt patet in Indice librorum prohibitorum, in regulis 4. 9. & 10. vide etiam Clement. 5. de hæreticis, & extrauag. Benedicti, 11. de hæreticis, in istis enim locis habetur Episcopum in hæreticos sententiam ferre posse, vel cum Inquisitore, vel sine illo.

Colligo vltimò hæreticos occultos & notorios liberè accedentes ad fidē Catholicā posse ab Episcopis propriis & ordinariis absolui in vtroque foro, modo tamen Bulla cœnæ in eorum diœcesibus non fuerit promulgata, neque vsu & consuetudine recepta, in illis vero locis in quibus est recepta hæretici occulti possunt absolui à proprio Episcopo, ex loco cit. Trid. Notorij verò tantùm in foro exteriori, ab Episcopis diœcesanis, colligitur hoc ex cap. Inquisitores, & ex cap. per hoc. de hæret. in sexto. & ex Clement. vnica, de hæreticis, §. propter quod. & ex extrau. Benedicti 11. de hæreticis, c. 1. vide etiam Ioan. Filesacum in libro de sacra Episcoporum authoritate, ad titulum de officio iudicis ordinarij, hæc omnia fusius tractaui quam

decreueram, sed parcet, Lector in cuius fauoré hæc scripsi & collegi non sine labore.

Dico 11. posse Episcopos absoluere ab omnibus & singulis casibus Papalibus, siue occultis, siue manifestis, & deductis ad forum contentiosum, eos omnes pœnitentes qui personaliter non possunt recurrere ad Summum Pontificem. dixi (personaliter) quia non tenentur ire per nuncium, vel per procuratores. sic Henriq. l. 6 c. 9. n. 7. huiusmodi autem pœnitentes qui habent legitimum impedimentum adeundi Summum Pōtificem, sunt, senes, impuberes vsque ad 14. annum, fœminæ, regulares vtriusque sexus, infirmi, debiles, pauperes, diuites delicati, qui non possunt commodè sustinere laborem itineris magni, alij denique qui laborant legitimo impedimento iuxta prudentis viri arbitriū. ita omnes Theologi ac Summistæ, Nau. c. 27. n. 90. Henriq. loc. cit. Vasq. de pœnit. q. 91. art. 3. dub 8. n. 1. & 2.

Dico 12. censuram latam ab homine per sententiam particularem contra particularem personam, auferendam esse ab eo qui eam tulit, vel ab eius successore, vel superiore, vel saltem ab habente facultatem delegatam, ne perturbetur ordo iudicandi. ita Val. to. 4. disp. 7. q. 17. punct. 8. & alij.

Dico vltimò à censuris non reseruatis, à Iure, vel ab homine, per sententiam generalem latis potest quilibet Sacerdos habens iurisdictionem in peccata mortalia absoluere. ita omnes Doctores.

Hîc notabis cum communi Doctorū sententia, quod qui habet potestatem absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis, non propterea potest relaxare casus contentos in Bulla cœnæ, & cui demandata est facultas remittendi excommunicatio-

Digitized by Google

nes Bullæ prædictæ, non eo ipso censetur sufficiens pro absolutione ab hæresi impendenda, quâuis contrarium probabiliter sentiant nonnulli, itẽ qui habet facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopis, non censetur habere pro censuris illis reseruatis: dico (Episcopis) quia habens facultatem in casus Papæ reseruatos, hoc intelligitur etiam de censuris illi reseruatis, & denique cũ per Iubilæum vel extra Iubilæum, conceditur potestas absoluendi à casibus & censuris reseruatis, non censetur eo ipso concessa facultas soluendi casus, & censuras Episcopis reseruatas, in locis præsertim illis in quibus viget Bulla Clement. 8. quæ incipit, sacra congregatio, qua expressè id prohibet: plura alia dicenda essent de absolutione ab excom. Sed ne metas mihi impositas prætergrediar, ea mittam, remittendo Lectorem ad Authores, qui de hac re fusius tractant. Auil. de cens. c. 7. Bonac. de cens. in com. disp. 3. q. 3. & alij multi.

Caput VIII.

De excommunicationibus in Gallia reseruatis Summo Pontifici.

Dico 1. in Gallia sunt tantum quindecim excommunicationes Summo Pontifici reseruatæ. eas refert Bauninus tom. 1. c. 32. & nos post illum eas breuiter recensebimus, remittendo Lectorem ad Authores sup. citatos pro illorum explicatione.

Prima excommunicatio est contra percussores

clericorum, & habetur in decreto Gratiani 17.q.4. can. si quis suadente diabolo, dummodo excessus sit enormis, qualis esset occisio vel mutilatio Clerici, percussio Sacerdotis vestibus induti, Cardinalis, Episcopi, de qua re legendus Tolet.l.1.c.32.& alij.

Secunda excommunicatio est, quando aliquis est excommunicatus à delegato Papæ, & per annum manet in tali excõmunicatione, habetur in decret. can. quærenti, de officio delegati.

Tertia est contra Clericos cõmunicantes scienter cum Excommunicatis nominatim à Papa, recipiendo eos in diuinis officiis, modo metu id non faciant, habetur in decret. can. significauit, de sent. excom.

Quarta est in incendiarios postquam excommunicati & denunciati fuerint, habetur ibidẽ can. tua nos. de sent. excom.

Quinta est in rapientes res Ecclesiæ cum ipsarũ Ecclesiarum effractione, habetur ibidem can. conquæsti. de sent. excom. qui ante denunciationem possunt absolui ab Episcopo, & post denunciationem à solo Papa, iuxta Tol.l.1.c.35.n.6.

6. Est contra eligentes in Senatorem Romanũ, vel in Rectorẽ vrbis prædictæ, Imperatorem, Regem, Ducem, aut quemcumque alium notabilis excellentiæ, nobilitatis, potestatis, dignitatis vitũ, aut vllum fratrem, filium, nepotem prædictorum. habetur ibidẽ can. fundamenta. §. proinde. de electione in 6. & comprehendit etiam illos qui se intruserint in dictum officium, sine consensu Papę.

7. Est contra grauantes iudices Ecclesiasticos, siue in personis, siue in bonis propriis, aut suorum, à quibus vel fuerunt excommunicati, vel aliqua alia

cẽsura innodati, habetur ibid. can. de sẽt. exco. in 6.

8. Est contra Religiosos, vel Clericos sæculares, qui inducunt aliquem ad iurandum, vel vouendũ, vel promittendum, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam non immutent. habetur in Clem. cupientes. §. Sanè, de pœnis.

9. Comprehendit percussores Episcoporum. habetur Clem. 1. de pœnis.

10. Est contra Religiosos qui Clericis vel Laicis Sacramentum extremę vnctionis, vel viaticum administrant, vel matrimoniis assistunt, vice Parochi sine illius licentia speciali, habetur Clem. de religiosis. 1. de priuileg.

11. Est contra Inquisitores malè procedentes contra hæreticos, aut alicui imponentes hæresis prauitatẽ. habetur Clem. multorũ. §, verũ, de hęret.

12. Est contra dominos temporales, & quoscũque alios qui quomodolibet cogunt aliquẽ in loco interdicto celebrare diuina, & similiter qui per præcones faciunt populum ad illa audienda conuocari, & qui prohibent ne publicè excommunicati, vel interdicti denunciati, super hoc per illos qui Missas celebrant moniti, ab Ecclesiis exeant. similiter ipsi nominatim moniti, cum sint excommunicati non exeuntes contrahunt excommunicationem Papalem, ex Clem. graue ad nos. de sent. excomm.

13. Est contra eos qui cadauera defunctorũ exenterant, incidunt in frusta, elixant, carnes ab ossibus separant, & excutiunt, vt prędicta ossa in sepulturã distantem transferant. ita habetur extr. 2. de sepul. ex Bonifacio 8. hanc tamen excommunicationem non esse receptam existimat. Baun. loc. cit. eo quod decreta prædicti Pontificis Bonifacij nunquam

fuerunt in Gallia approbata. nota tamen hac constitutione seu excõmunicatione non comprehendi eos qui corpora defunctorum exenterant ad vngendum, vel ratione anatomię, vel vt à terris infidelium asportent ad terras fidelium.

14. Est in eos qui reconciliant, & admittunt ad Sacramenta recipienda, nominatim excommunicatos à Papa, sine eius expressa licentia. habetur in extrau. Pauli secundi, quæ incipit, Et si dominici. 2. de pœnit. & remiss.

Vltima est eiusdem Papę Pauli 2. in extrau. cum detestabile, de Simonia, qui excommunicat omnes Simoniacos, in ordine, beneficio, & ingressu Monasterij. & fuit hęc extr. confirmata per bullas Pij 5. & Sixti 5. olim receptas in comitiis Aurelianensib. quo ad omnes pœnas cõtra prędictos simoniacos.

Sunt aliæ multæ censurę, & excommunicationes, quarum absolutio est reseruata Summo Pontifici, sed nunquam in regno Gallię promulgatę fuerũt, & licet aliquando receptę fuerint nunc tamen abrogatę sunt per nõ vsum, & ad terminos iuris cõmunis redactę, & consequenter earum reseruatio sublata est.

Nonnuli his quindecim addunt alias duas, quarũ prima est contra ingredientes Monasteria Monialium, & lata fuit à Pio 5. an. 1570. & à Gregorio 13. an. 1575. confirmata.

Quæres an in Gallia liceat fundatricib. Cõuentuũ ingredi intra sepia, & interiora Monasteriorũ ab ipsis fundatorũ quoties voluerint, siue illa Monasteria sint virorũ, siue mulierum? *Resp.* quod sic, & hoc cõfirmatur satis apertè ex vsu, & consuetudine apud omnes Religiosos cuiuscumq; ordinis ac Congregationis sint, receptissima. Imò non tantũ

huius consuetudinis virtute ingrediuntur Monasteria à se fundata, sed etiá omnes alios Conuentus eiusdē Ordinis ab illis minimè dotatos. Quā consuetudinē approbarunt multi Doctores Sorbonici cùm pietate, tum doctrina clari, illi enim hac de re consulti responderunt id esse licitum, non modo semel in vita, sed etiam quoties voluerint: neque tacendū est extare priuilegiū quoddá patribus Minimis concessum, quo hæc eadem facultas datur fundatricibus prædicti Ordinis. quod participatur ab aliis Religiosis aliorum Ordinum, per priuilegiorum cōmunicationē: rari tamē debēt esse huius modi ingressus: nec sunt inuitandę prędictę fundatrices ad intrandū, & multò minùs ad comedendū intra septa monasterij, ne inde religionis decor & nitor labefectetur, aut quies & pax Religiosorū interturbetur, vel exercitia regularia peruertantur. & quod dixi de fundatricib. est etiā intelligendū de earum honesto comitatu, qui tamen regulari debet iuxta earum qualitatē, ita vt si sint Principissæ plures secū ducere possint quā Ducissæ, & illę etiā plures quā Marchionissæ, vel Baronissæ, & sic de cæt.

2. Est Pij 4. an 1560. à Iul. 2. Leone 10. Clem. 7. & Conc. Trid. sess. 24. c. 19. corroborata, & renouata per Greg. 13. an. 1582. Clem. 8. an. 1592. contra prouocantes ad duellum, diffidantes, auxiliantes, animantes, &c.

Dico 2. quod licet omnes hæ excommunicationes dicantur reseruatę Summo Pontifici pro regno Gallię, non tamen impedit quin Episcopi prędicti regni possint ab illis omnibus absoluere, quando sint occultę, vel quoties pœnitens legit imè impeditus non potest recurrere ad Papā. etiam si casus fuerit manifestus, notorius vel ad forū contentiosum

deductus. vt ſuperiori capite diximus.

Dico 5. quilibet Sacerdos approbatus poteſt in Gallia abſoluere ab omnibus caſibus in Bulla cœnę contentis, quia Bulla iſta non eſt recepta nec promulgata in prædicto regno, ab hæreſi tamen nullo modo poteſt, ſicut nec ab illis excõmunicationibus quas modò diximus in Gallia eſſe reſeruatas Sũmo Pontifici excepto mortis articulo, vel ſine licentia expreſſa illius qui poteſt dare, ita communiter omnes Doctores.

Caput IX.

Soluuntur nonnullæ difficultates circa excommunicationem latam in percuſſores clericorum.

1. Difficultas eſt, vtrum qui percuſſit clericum in publica platea poſſit ab Epiſcopo abſolui? *Reſp.* quod non, ſi percuſſio ſit notabilis, & gignat magnum ſcandalum: ſi verò non gignat magnum ſcandalum, neq; ſit notabilis poteſt abſolui, tunc autẽ percuſſio clericorũ dicitur grauis, & enormis, quando concurrunt hæc duo ſimul, nempe quod ſit notabilis, & gignat magnum ſcandalum, ita Nau. c. 27. n. 92. Regin. in praxi. to. 1. l. 1. cap. 19. ſect. 1. n. 240. & alij.

2. Difficultas, quot teſtes requirantur vt percuſſio clerici dicatur notoria, & manifeſta? *Reſp.* varias eſſe circa hanc quæſtionẽ ſententias, alij enim dicunt non ſufficere notitiam quinq; aut ſex hominum niſi illi conſtituant maiorẽ partem illius congregationis, quidã aſſerũt neceſſarium eſſe vt percuſſio ſit cognita ſeptem hominibus ad minus, alij volunt decem, ſed illi optime qui totius difficultatis deciſionem relinquunt iudicio boni viri, & prudentis, vt ex variis circuſtantiis & qualitate

actus, loci, temporis, ac personæ, æstimetur, quod factum ita dicatur notorium, vt nulla possit tergiuersatione celari, communiter autem ex tribus causatur notorium, scilicet ex hominum scientia, & loci, & temporis qualitate. Ita Bonac. disp. 2. de cens. in communi, q. 2. p. 1. §. 1. n. 5. qui addit n. 6. percutientem clericum coram decem non esse notorium respectu magnæ ciuitatis, quamuis sit notorium respectu parui oppidi, Collegij, aut viciniæ, nam delictum commissum coram decem, videtur adhuc occultum habita ratione magnæ ciuitatis, secus ratione parui oppidi, Collegij, aut viciniæ.

Tertia difficultas est, vtrum qui percussit clericum publicè, & notoriè, sit statim vitandus ante sententiam iudicis? *Resp.* quod non, nam vt vitetur publicus percussor clerici tanquam excommunicatus, necesse est vt talis percussio nulla possit tergiuersatione celari, & nullo iuris remedio, vel suffragio excusari; cum igitur in hoc casu, & fere in omnibus similibus, possit percussor clerici notorius dicere se fuisse ebrium, aut in suam defensionē fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni esse annexam, & alia tergiuersatione celare crimen, allegando in iudicio rumoris falsitatem, ideo quamdiu non constat per iudicis sententiam, illum iuris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius clerici percussor, & ideo nō est vitandus ante sententiam iudicis qui eum debet citare, ad allegandum pro se. Ita Couar. in c. Alma mater. p. 1. §. 2. n. 7. & alij, quamobrem raro continget percussionem clerici ita notoriam esse facto, vt non possit aliquo iuris remedio, aut probabilitate aliqua, excusari. Fagund. præcep. 1. l. 2. c.

5.num,12. quidam etiam docent quosuis publicos percussores clericorum non esse vitandos in regno Galliæ ante declarationem nominatim factam, vt diximus supra cap. 4. huius tract.

Quarta difficultas est vtrum clericus voluntariè percutiens seipsum, incidat in excommunicationem contra percutientes clericos latam? *Resp.* cum communiori sententia quod sic. Ita Auil. de cens. p.2.c.5.disp.3.dub.12.versu 2.sequitur, &c. contrariam docet Turria.de cens. lib. 3. disp. 24. dub. 2. notat etiam Auila loc. cit. concl. 2. quod non incurrit hanc excommunicationem qui occidit clericum veneno, in cibo, vel potu, quia non infert vim personæ, sed naturæ, secus si per vim fecerit sumi venenum.aduerte etiam ex eodem Auila clericum suæ percussioni consentientem incurrere in eamdem excommunicationem, etiamsi sit Episcopus.ita habet loc. cit. dub.1.cõcl.1.&dub.12.concl. 2. benè tamen notat Bonac.tom.3.disp.1. q.12.p.3. n.3. Cardinalem seipsum percutientem, aut vulnerantem, non incurrere excommunicationem latam in Bulla cœnæ, contra percutientes Cardinales.

Quinta difficultas est vtrum percutiens clericum initiatum, non coniugatum, qui tamen non gestat tonsuram, nec habitum clericalem, incurrat excommunicationem? *Resp.* quod non. ita Suar. de cens.disp.22.sect.1. num.11.contrarium sentit Auila loc.cit. dub.11.concl.3.& alij multi quos ibidem citat.

Sexta difficultas est, vtrum qui consuluit homicidium clerici, & postea serio retractauit cõsilium, & retractatio peruenit ad eum cui factum est consilium, sequuto homicidio incurrerit in excom-

municationem', & irregularitatem, & an teneatur restituere damna ex tali homicidio emerta? *Resp.* quod non, si adhibuit omnem diligentiam vt prius consilium euerteret, vel ostenderet omnibus consideratis, esse iniquum, & non amplectendum, quia in eo casu, non videtur executor, ipsius consilio moueri, sed potius sua malitia. sic Auil. loc. cit. dub. 7. cõcl. 4. vnde sequitur quod huiusmodi consulens, nec incurrit excommunicationem, neque irregularitatem, neque obligationem ad restituenda damna, quod idem dicendum de mandante, qui ante factum homicidium reuocauit mandatum, & reuocatio peruenit ad notitiam mandatarij, quod si reuocatio non innotescat mandatario, incidit in excõmunicationem sequuto homicidio, & consequenter contraxit irregularitatem, & obligationem restituendi omnia damna, si vero mortuus fuerit priusquam mandatarius occideret, non contrahit excommunicationem, quæ solum ligat viuentes, non autem defunctos. hæc Auil. loc. cit. concl. 1. 2. & 3. cum aliis quos ibi citat.

CAPVT X.

De excommunicatione ob duellum in quibus casibus incurratur, & in quibus non?

DE hac materia multa scitu digna refert Diana vir doctiss. Tract. 2. Miscell. resol. 55. & tract. 6. Miscell. resol. 1. ex cuius doctrina quæ hic trademus sumus desumpturi.

Dico igitur 1. quod diffidans alium non animo pugnandi, ſed cauſa honoris proprij defendendi, non incurrit excommunicationem, etiamſi ad locum conuentum accedat, abſque animo verè pugnandi, ſed tantummodo aliquot ictus inferendi, cum morali ſecuritate, quod nullum damnum ſequuturum ſit, ſed pax potius inde concilianda. Fil. to. 2. tract. 15. c. 5. q. 5. n. 113.

Dico 2. qui prouocat ad duellum, ſeſe conferens poſtea ad præfixum locum, & præfixo tempore, expectato fruſtra inimico, diſcedit, non incurrit excommunicationem, at ſi quis diceret vade quæſitum gladium, hic te expecto, vel veni ad talem locum, te ibi expecto, vel ſi exiſtens in naui, vel alibi, dicat egrediamur ad terrã, vel foras te expecto, in tali vel tali loco, vel quiſque noſtrũ habeat quæſitum enſem, in tali loco mox pugnaturi, ille inquam contrahit excommunicationem, ſecus dicendum de eo qui offenſus dicit offendenti, diſtringe enſem, tecum enim pugnare volo. Ita Diana tract. 2: Miſcell. reſol. 55.

Dico 3. non incurrere excommunicationem, ſi quis ad inimicum accedat, arguendo illum mendacij, ſi ſuſtinere voluerit quod ſibi relatum fuerit, etiam ſi hoc dicendo manum enſi admoueat. Bonac. tom. 3. diſp. 2. q. 3 p. 48. n. 14. hoc enim non eſt prouocatio ad duellum facta ex condicto, ſtatuto loco, & tempore, ſed ſolum eſt iniuſta aggreſſio.

Dico 4. non affici excommunicatione, qui alium prouocat ad pugnandum, nullo ſtatuto loco, & tempore, quod eſt requiſitum ex Bull. Clement. 8. ad verum duellum.

Dico 5. cum quis ad locum duelli, causa inspiciendi accessit, non incurrit excommunicationem quomodo duellum, vel actus ad pugnam proximus, sequutus nō sit, imo tenet Less.lib.4.c.4.dub. 11.n.83.aspicientem ex occulto duellum non incidere in excommunicationem, quod etiam docet Riccius in praxi, tom. 3. resol.42.num.2.de transeunte obiter, & aspiciente duellum, cum non sit spectator ex industria, & ex proposito.

Dico 6. qui narrat aliquod factum, ex qua narratione præuidet aliquos qui rem illam intellexerunt accepturos occasionem, ad duellum se prouocandi, non incurrit excommunicationem, nisi id faciat vt illos ad duellum excitet. Bonac.loc.cit. n.32.& alij, quia hæc actio non exprimitur in Bulla Clem.8.

Dico 7. audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se prouocant ad duellum, non feriuntur vinculo excommunicationis, quod idem dicēdum de his qui ratam habent prouocationem, vel pugnam, vel aliam actionem, in Bullis Pontificiis expressam, suo nomine factam, quia hoc non exprimitur in illis Bullis Dian.tract.6. Miscell.resol.1.

Dico 8. qui inefficaciter consulit homicidium, non ligatur nexu excommunicationis. Diana loc. cit.

Dico 9. consulentes duellum, non incurrere excommunicationem, si conati sunt reuocare consilium, licet nihil profecerint.

Dico 10. quod si ex subito ac repentino motu, orta sit inter aliquos rixa, & vnus, iracundia mouente, alterum ad dimicandum prouocet, in certo loco, & incontinenti ibi dimicent, non incur-

runt excommunicationem quod idem affirmat Graphius de diffidantibus se ad pugnandum in aliquo loco, ad quem statim tendunt, & pugnant ibi, quia non est designatum tempus.

Hic notabis 1. quosdam docere in duobus casibus duellum damnari non posse primus est, si quis miles in exercitu, vel quis equestris in aula regia, officio, & dignitatate excidere debeat, ob ignauiæ, ac timiditatis notam, nisi prouocanti se sistat. secundus casus est cũ quis ab iniustis conuitiis, ac subeundo dedecore, aliter se liberare nequeat, nisi cum prouocante congrediatur. ita tenet Layman, apud Dianam loc. cit. quem tamen non sequitur, & rectè.

Notand. 2. posse principem in casu extraordinario, ad maiora vitanda mala duellum permittere. Ita Reginald. to. 2. l. 21. c. 7. n. 75.

Notand. 3. famulos, tantum scribentes chartas prouocantes ad duellum, & non deferentes eas, non incurrere excommunicationem, si id faciunt graui metu mortis, aut alterius notabilis detrimenti periculo perculsi, qui vero prædictas chartas deferunt sponte, sunt inexcusabiles, ideoque innodantur excommunicatione. Ita Merolla apud Dianam loc. cit.

CAPVT XI.

De suspensione.

DIco 1, suspensio est censura Ecclesiastica, qua clericus priuatur vsu ordinis, officij, vel be-

Digitized by Google

beficij Ecclesiastici. Ita Filiuc. tom.1.tract. 17. de cens.1.c.n.2.

Dico 2. solæ personæ Ecclesiasticæ hanc censuram possunt incurrere. Ita Sylvest. verb. susp. in initio.

Dico 3. illi soli possunt sententiam suspensionis ferre, qui possunt excommunicare, id est, qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. Ita Sylvest. vbi sup.num.2. Nauarr. c. 27.n. 159.

Dico 4. quando suspensio ferenda est à iudice ratione contumaciæ, nonnisi in scriptis, & præuiâ monitione, ferri debet, quoniam alioquin non posset reus esse contumax, quando autem fertur suspensio in pœnam præteriti delicti, non est necessaria monitio. Nauarr. num. 161. Syl. loc. cit. num.4.

Dico 5. suspensionem latam ab homine, nemo potest tollere præter illum ipsum qui eam tulit, vel superiorē ipsius, vel aliquē, aliū cum ipsius facultate. at suspensionem latam à iure in pœnam peccati præteriti, solus Pontifex tollit, quando delictum est notorium, quod si sit occultum, Episcopus tollere potest, ex Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de reform.

Dico 6. Confessarij qui possunt absoluere à mortalibus, possunt etiam absoluere à suspensione iuris nulli reseruata, huc enim videntur pertinere illa verba vsitata in formula absolutionis à peccatis, vbi dicitur etiam absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti. sunt tamen qui dicunt posse tolli à solo Episcopo, etiamsi non sit reseruata. Ita Tol. cap. 46. l. 1. cuius opinio videtur in praxi sequenda.

Dico 7. non ſunt aliqua verba certa abſoluendi à ſuſpenſione in iure præſcripta, ſed ſufficiunt quæcumque eiuſmodi abſolutionem ſignificantia, ita Sylueſt, loc.cit.n. 8. imo ſi ſuſpenſio fuit conditionalis, vel ad tempus (vt quamdiu quis non ſatisfecerit, vel ad annum) ceſſante conditione, vel elapſo tempore, ceſſat per ſe ſuſpenſio, neque vlla præterea verbalis abſolutio requiritur, vt notat Couar. in cap. Alma Mater. p. 1. §. 11. n. 5. & ſequentibus.

Dico 8. ſuſpenſionem non contrahi propter peccatum veniale, ſed ſolum propter peccatum mortale, quare quoties ignorantia iuris, vel facti, excuſat tranſgreſſorem à peccato mortali, excuſat etiam non ſolum ab excommunicatione ſed etiam ab aliis cenſuris, & pœnis, ob delictum impoſitis, vt irregularitate ob delictum, ſuſpenſione, & interdicto, quia cum hæ pœnæ ſint grauiſſimæ, non eſt credendum piam matrem Eccleſiam velle eas infligi ob ſolum peccatum veniale. Ita Diana tract. 6. Miſcell. reſol. 51.

Dico 9. ſuſpenſionem eſſe præcipuè duplicem, vnam ab officio, & alteram à beneficio, per ſuſpenſionem ab officio ſimpliciter latam, intelligitur priuatio omnis vſus ſpiritualis poteſtatis, ad aliquem actum exercendum, ſiue ſit ordinis, ſiue iuriſdictionis, ſiue alicuius Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, quæ ſi ſit abſoluta, ad omnia loca ſe extendit, & durat, donec auferatur ab habente poteſtatem, ſi vero ſit ad certum terminum, eo tranſacto, ipſa quoque ſuſpenſio ceſſat, abſque alia abſolutione. Ita Fil. tract. 17. de cenſ. in partic. cap. 2. de ſuſp. ſi vero ſuſpenſio non feratur

ſimpli

simplicitet, & absolutè sed cum addito, hoc modo, suspendo te ab ordine, intelligitur priuatio tantum vsus omnium ordinum, non autem iurisdictionis, nisi quoad actus qui cum ordine coniuncti sunt, vt est absolutio in foro pœnitentiali. Ita D. Thom. in addit. q. 22. a. 3. Caiet. verb. susp. Nauarr. c. 27. n. 160. Tol. l. 1. c. 43.

Dico 10. ad cognoscendos effectus suspensionis, tres esse regulas valde notandas, prima est, suspensio ab inferiori ordine, superioris exercitium qui cum eo necessario connexus fuerit, etiam prohibet, vt Episcopus suspensus ab altari, censetur etiam suspensus à collatione ordinum. 2. regula suspensio ab ordine superiori, inferiorem non repellit. v. g. suspensus à presbyteratu, non est suspensus à Diaconatu.

Tertia regula suspensus ab actu determinato, ab aliis non necessario connexis minimè suspenditur v. g. suspensus à prædicatione, & confessionibus excipiendis, non est suspensus à sacrificio, aut Diaconatu. ita Fil. loc. cit.

Dico 11. per suspensionem à beneficio intelligitur priuatio vsus iuris ad temporale emolumentum percipiendum, non tamen aufertur obligatio exercendi officium, nomine vero fructuum temporalium comprehenduntur omnes reditus, qui ratione beneficij percipiuntur, vnde etiam quotidianæ distributiones includuntur, nihilominus excipiuntur eleemosynæ, voluntariè oblatæ à fidelibus propter opera personalia, vt sunt anniuersaria, stipendia missarum, quia hæc non proueniunt ex titulo beneficij, nec illi ordinarie annexa sunt. Filiuc. loc. cit. c. 3.

Dico 12. suspensus à beneficio etiam priuatur iis

quæ ad percipiendos fructus, vel augendos, ordinantur, vt sunt beneficij locationes, venditiones fructuum, & administratio ipsa beneficij, & si huiusmodi contractus fiant à suspenso denunciato, inualidi sunt, à non denunciato, Valent. Filiu. loco citato.

Dico 13. quando suspensio lata est pro contumacia, suspensus non est alendus ex fructibus beneficij, si pro pœna tantum, potest ali quantum ad commodam sustentationem satis est, est communis sententia Doctorum in cap. pastoralis. §. verum, de appell. denique notandum est, suspensionem à beneficio simpliciter latam, impedire nouam beneficij collationem, quæ vero lata est cum limitatione, non prohibet consequutionem aliorum, & tantum suspendit ab iis, quæ quis habet. Ita Suar. disp. 27. sect. 2. & colligitur ex Clem. 2. de vita & honest.

Dico 14. suspensum ab ordine, incurrere irregularitatem, si ante absolutionem exerceat actum ordinis à quo est suspensus. Ita Doctores. Idem dico de Episcopo qui suspensus à Pontificalibus exercet proprios actus Episcopi, siue cum Episcopali apparatu celebret, siue non, sic Clauis Regia l. 4. c. 16. n. 24. idem dic de eo, qui suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in ea celebrat: patet ex cap. is cui de sent. excom. Ang. verb. susp. 3. n. 4. & 5.

Dico vltimo post constitutionem Martini V. editam in Concil. Constant. non esse obligationem vitandi suspensos, nec interdictos, nisi fuerint denunciati. Ita Auil. de cens. p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 5. concl. 1. vbi etiam concl. 2. docet hoc habere locum in irregularitate, quod si fuerint denunciati, tenemur eos euitare, quoad ea in quibus fuerint

suspensi, aut interdicti. Ita Nauarr. c. 27. n. 163. in fine. de suspensionibus in partic. Filiuc. Tol. & alij agunt quos consules.

CAPVT XII.

De *interdicto.*

DIco primo, interdictum est censura Ecclesiastica priuans vsu quarumdam rerum, quatenus fidelibus communis est, & quatenus est vsus talium rerum vt v. g. per interdictum priuantur fideles vsu spiritualis boni, consistentis in sacramentis, diuinis officiis, & quæ his annexa sunt, vt sepultura, ita colligitur ex cap. quod in te, extra de pœnit. & remiss. & cap. non est vobis, extra de sponsalibus, vbi nomine diuinorum officiorum, intelliguntur ea offiicia, quæ sunt annexa alicui ordini sacro, & nonnisi ab Ecclesiæ ministris ad id deputatis, exercentur, vt est missa solemnis cum apparatu diaconi, & subdiaconi, horæ canonicæ solemniter recitatæ, ianuis apertis pulsatis campanis, & aliis de more seruatis. Missæ vero priuatæ, & diuina officia permittuntur, dummodo recitentur ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis excluſis, campanis etiam non pulsatis, (cum dico excommunicatis, & interdictis excluſis) loquor de iis qui specialiter, & personaliter sunt interdicti, ac de iis qui causam dederunt interdicto, vel fauorem, aut consilium præbuerunt; tempore inter-

dicti permittitur Generalis confessio, absolutio, angelica salutatio, mensæ benedictio, crucis adoratio in die parasceues, sine precibus pro hac re institutis, officia recitari solita à confraternitatibus, animæ commẽdatio, prædicatio, mulierum purificatio post partũ, quia hæc omnia, & singula, non sunt deputata ordini clericali, possunt enim fieri à laicis, nec vlla est culpa, siue publice fiãt siue secretò. Nauarr. cap. 27. n. 171. & 176. nomine vero boni spiritualis, consistentis in sacramentis, intelligitur vsus illorum actiuus, & passiuus, iure tamen communi quædam excipiuntur, quæ non prohibentur per interdictum, vt baptismus, pœnitentia, Eucharistia in mortis articulo, & consequenter celebratio Missæ semel saltem, in septimana, ianuis clausis, vt iam dictum est dummodo ij quibus administranda sunt, sacramenta non sint specialiter interdicti, vel causam non dederint interdicto, Extrema Vnctio. nullo modo conferri potest, excepto mortis articulo, sicut nec Ordo. Confirmatio vero, & Matrimonium sine solemnitate, seu solemni benedictione conferri potest. Ita Sylvest. verbo interd. 5. quæst. 7. Nauarr. cap. 27. num. 174. & 178. Couarr. cap. Alma mater par. 2. §. 2. num 7. tandem tempore interdicti nemo potest sepeliri in Ecclesia, siue sit consecrata. siue non, siue in cœmeterio per Episcopum benedicto, aut consecrato, quod si non esset benedictum possent in eo sepeliri fideles, sub silentio. ex his colliges tres esse effectus interdicti, quorum primus est priuatio actiua, & passiua sacramentorum, 2. priuatio diuinorum officiorum. 3. priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ. sic omnes Doctores.

Digitized by Google

Dico 2. ille potest ordinarie interdicere, qui potest excommunicare, & suspendere, & illi interdici, qui possunt excommunicari, & suspendi. Sylvest. verbo interd. 3. num. 3. Nauarr. c. 27. num. 168.

Dico 3. interdictum est triplex, locale, personale, & mixtum. locale est cum locus ipse interdicitur, ne in eo exerceantur vsus sacramentorum, nec diuina officia, nec Ecclesiastica sepultura, sicut ante fiebat. personale est cum persona certa prohibetur à diuinis, sacramentis, & sepultura. mixtum est quod ex vtroque componitur, vt cum persona interdicitur, & locus, vbi illa persona fuerit, quocumque perrexerit, secum enim fert interdictum loci, & ob id vocatur à Canonistis interdictum deambulatorium, ita communiter omnes Doctores. rursus interdictum locale, est duplex, generale, & speciale, interdictum locale generale, est cum interdicitur tota prouincia, vel totum regnum, vel tota ciuitas. speciale, cum alicuius ciuitatis, vna, vel plures Ecclesiæ interdicto subiacent, non omnes; per ciuitatem intelliguntur etiam suburbia, quamuis sint alterius diœcesis, interuenire tamen deberet consensus Episcopi diœcesani suburbiorum, & per Ecclesiam, comprehenduntur Capellæ continuatæ, & cœmeterium contiguum: tandem personale est etiam duplex, generale, & speciale, personale generale, est cum omnes habitatores alicuius ciuitatis, prouinciæ, vel regni interdicuntur, speciale vero seu particulare, est cum vna, vel aliquæ personæ, interdicto feriuntur. Filiuc. to. 1. tract. 18. de interd. c. 1.

Dico 4. quando interdictum ponitur, duo prohiberi, vnum primario, & per se, ne videlicet illi quorum est administrare diuina officia, administrent illa. alterum secundario, & consequenter, ne videlicet alij possint iis officiis interesse, aut illa participare, vnde apparet censuram hanc proprie; & primario, ad clericos pertinere, secundario autem etiam ad laicos. ita Valent.tom.4.de sacram.pœnit. disp. 7. quæst. 18.p. 2. aliquando tamen interdicuntur soli clerici, & non alij, quo casu, si clerici, ex malitia sua, violent interdictum, posset laicus illorum malitia vti in suum commodum, ac bonum, ac proinde interesse illis diuinis officiis, nisi forte ea ratione commouerentur clerici ad pergendum contra interdictum, cum vero, tam clerici, quam laici interdicuntur, tunc quamuis clerici ex malitia sua violent interdictum, non ideo licebit laicis interesse illis officiis, quandoquidem illi quoque comprehenduntur interdicto hæc Valent. loc.cit.

Dico 5. cum tota aliqua ciuitas, communitas, seu collegium, vel vniuersitas, interdicitur, sciendum est 1. interdici tunc locum, & personas, vt recte post alios resoluit Nauarr. cap. 27. n. 168. non autem quando nominatim locus tantum interdicitur, vt talis ciuitas, tale castrum, vt tradit Couarr.in cap. Alma mater p.2. §.1.num.8. 2.sciendum cum communitas aliqua interdicitur, non comprehendi pueros nondum capaces rationis, quia hæc censura non incurritur nisi ob peccatum mortale, vt notat Millard.de pœnit. c.28.n.4.& nos diximus supra c. 11. concl. 8. idem docet Caiet.in sum. verbo interdictum.

Digitized by Google

Dico vltimo interdictum, si est ab homine, potest tolli ab eo qui posuit, vel ab eius superiore, vel ab habente potestatem ab aliquo eorum, quod si sit à iure, & reseruatum, publicum, & manifestum, à solo Papa, si occultũ, ab Episcopo, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 6. quod si nõ est reseruatum, cessante causa propter quã positum est, potest ordinarius tollere, at causa non cessante nullus potest, nisi Papa, quod si in iure vsque ad certum tempus ponitur interdictum, ante illud tempus ab ordinario tolli non potest, aliquando interdictum per aliquod tempus suspendi potest, vt per diem, vel hebdomadam, celebrandi aliquod festum causa, vel aliquẽ sepeliendi, & tũc in his solis, in quibus tollitur, oportet non seruare interdictum, at in aliis debet seruari. Ita Tol. lib. 1. c. 55. hæc satis de interdicto. qui plura voluerit scire, legat Sayrum lib. de cens. Suarium lib. 5. de censu. Filiuc. eodem loco, Auil. & alios.

CAPVT XIII.

De depositione, degradatione & cessatione à diuinis.

HÆc tria non sunt censuræ Ecclesiasticæ, quia nunquam imponuntur in pœnam, punitionem, & vindictam criminis commissi, sicut censuræ, sed sunt duntaxat & appellari solent, quædam impedimenta canonica, & quamuis priuationes bonorum spiritualium quas afferunt ista tria, sint eiusmodi, vt merito possint censeri quædam pœnæ, & proinde reputari aptæ ad vindicandum

aliquod peccatum, tamen à iure vel à iudice Ecclesiastico qui has tres veluti censuras imponit, non ea ratione neque eo fine priuationis eiusmodi inducuntur, sed vt sint quasi quædam impedimenta canonica, quominus quidam actus Ecclesiastici exerceantur, hanc enim ob causam non pœnæ, aut censuræ proprie, sed impedimenta canonica, communiter appellantur à Doctoribus, vnde vt notat Tol. lib. 1. c. 56. qui violat cessationem à diuinis non incurrit irregularitatem, at qui violat aliquam censuram, incurrit irregularitatem. hoc ita prænotato.

Dico 1. depositionẽ esse impedimentũ canonicũ, quo propter crimen, seu vitium aliquod priuatur quis vsu ordinis sacri vel officio vel beneficio, in perpetuum, absque spe recuperandi, idque propterea, quoniam attenta cõditione talis hominis, qui aliquo vitio laborat, vel aliquod crimen commisit, depositione dignum, minimè expedit bono spirituali communi, vt retineat hoc aut illud officium, seu beneficium, ita colligitur ex canone si lapsis, 50. dist. & can. si quis clericus, 181. distinct. & ex iis quæ tradit Glossa in dicto can. si quis, & Syl. verbo degradatio n. 1. & potest etiam illud impedimẽtum induci sine culpa illius qui deponitur, vt si deponatur propter nimiam senectutem, aut infirmitatem aliquam, aut infamiam. differt ab irregularitate, quod in irregularitate attenditur propriè dignitas ministerij Ecclesiastici, cùm defectu personæ, in depositione autem propriè attenditur vtilitas boni communis, quia nimirum spectata, iudicatur non expedire, vt qui hunc aut illum defectum habet retineat officium, vel beneficium.

Digitized by Google

Dico 2. degradatio solùm addit supra depositionem, solemnitatem quamdam, & priuationem tituli clericalis, vt notat Syl. verbo degradatio. n. 1. & solet hæc degradatio fieri cum aliquis Ecclesiasticus est iam tradendus brachio sæculari: ea est duplex, vna verbalis, quæ fit solo verbo, ab Episcopo; alia verò est actualis, quæ fit cum quadam solemnitate, quam refert Syl. loc. cit. ac tum quidē, cum aliquis degradatur etiam si præcesserit culpa (sicut semper præcedit) propriè tamen non intendit in ea iudex culpę punitionem, non enim degradatio proprie annumeratur censuris Ecclesiasticis, sed est hæc degradatio quædam quasi conditio, sine qua iste qui est Ecclesiasticus non traderetur brachio, aut iudici sæculari, itaque degradatio actualis priuat clericum priuilegio fori, & canonis. dixi (actualis) quia degradatio solo verbo facta non priuat priuilegio canonis, quia si quis talem percuteret incurreret excommunicationem latam in canone, si quis suadente diabolo, Syl. vbi supra q. 6. hic nota degradatos ac depositos teneri recitare horas canonicas priuatim si sunt in sacris, nō possunt tamen dicere, Dominus vobiscum.

Dico 3. cessatio à diuinis similiter est impedimentum canonicum, quo prohibentur in vniuersum exerceri diuina officia, idque propriè & formaliter in signum quoddam & argumentum iniuriæ quæ sit illata Ecclesię, non autem proprie in vindictā aut compensationem illius iniuriæ (sicut fit in interdicto, quod est censura) sed declarant hoc ipso qui ius habent cessandi, quod illa iniuria posita, & non sublata, meritò vacant à diuinis officiis. ita colligitur ex cap. quamuis de officio ordinarij lib. 6. & ex iis quæ tradunt Syl. verbo cessa-

tio. Nau. c.27.num.188. Couarr.cap. Alma mater. part. 2. §. 2. vbi impropriè vocat ceſſationem à diuinis cenſuram, cum vt iam ante diximus, ſint tantum tres cenſuræ, vt rectè notauit Nauar.loc. cit. n.164.& 168.tempore ceſſationis à diuinis non licet recitare officia diuina, etiam ianuis elauſis, ſicut fit in interdicto, prohibetur etiam Eccleſiaſticæ ſepultura. ita Tolet.l.1.c.56.

CAPVT XIV.

De violatione Eccleſiæ.

IN quinque caſibus violatur Eccleſia, primus eſt quando intra eam effunditur humanus ſanguis iniuriosè, ex cap. propoſuiſti, de conſecr. Eccleſiæ, ad quod requiritur vt magna copia ſanguinis effluat, aut ſaltem effluere poſſit, & hoc fiat intra Eccleſiam, cum peccato mortali, quod denotatur per particulam, iniuriosè, vnde ſi percuſſio fiat extra Eccleſiam, & poſtea percuſſus confugiat in illam, ibique effundat ſanguinem, non polluitur Eccleſia, & è contrario ſi percuſſio facta ſit in Eccleſia, violatur tamen, licet ſanguis non effundatur in ipſa, ſed in vaſe aliquo recipiatur. ita Doctores omnes: vnde etiam inferunt, violationem Eccleſiæ oriri ex ſuffocatione alicuius intra Eccleſiam, non autē ex iuſta ſui defenſione, neque ex occiſione hominis exiſtentis extra Eccleſiam, facta ab exiſtente intra illam: è contra vero ſufficit ad polluendam Eccleſiam, effuſio facta in Eccleſia per telum foris emiſſum. Nauar. c.17. n.241. & ſeq. præterea non requiritur vt effuſio fiat ab alio, nam ſi quis ſui com-

Digitized by Google

pos ex ira vel desperatione, seipsum interficiat, vel percutiat, ita vt effundatur sanguis, violabitur Ecclesia. Sic Tabiena. verb. consecr. n. 7.

2. Casus, quando illicitè effunditur semẽ humanũ siue sit fœminæ, siue viri, siue fidelis, siue infidelis, siue fundatur iuxta, siue contra naturã, dũmodo sit illicita, ita Nau. loc. cit. ex cap. significasti, de adulteriis, non tamen sufficit pollutio in somniis facta, licet indirectè voluntaria, sic Henriq. c. 27. n. 5. l. 13. neque sufficit pollutio quam Confessarius patitur inuoluntariè, audiendo confessiones, neque copula coniugalis facta ad euitandam fornicationem, in se, vel in altero, quæ contingit quando per aliquod tempus ibi detinentur coniuges, vt alibi diximus, cum de circunstantiis confessionis egimus, Syl. verbo, debitum coniugale, n. 5. q. 3. & verbo consec. 2. q. 5. casu 3.

3. Est quando excommunicatus non toleratus sepelitur in Ecclesia, cap. consuluisti, dè consec. Ecclesiæ, Henriq. loc. cit. c. 27. n. 5. & omnes Doctores, idem dicendum secundum illos si infidelis, & paganus sepeliatur, hoc tamen non intelligitur si sepelitur fœtus cum matre prægnante, Syl. loc. cit. n. 5. casu 4. quia est pars ventris.

4. Casus est, quando consecratur vel benedicitur Ecclesia ab Episcopo excommunicato non tolerato, Syl. eodem verbo consecr. 2. num. 4. casu. 5.

5. Casus est, quãdo parietes omnes vel maior pars Ecclesiæ simul deiiciuntur, non tamen si successiuè reparentur, sic Nau. loc. cit. n. 5. Syl. n. 5. cap. 2. & quando diximus violari Ecclesiam modis supra dictis, hoc debet intelligi de consecrata, vel benedi-

cta, non autem de non consecrata, neque benedicta; violata autem Ecclesia censetur violatum cœmeterium contiguum, non tamen è contra, ita Doctores citati.

Quæres 1. an sit peccatum mortale celebrare in Ecclesia violata? *Resp.* quod sic, imo & alia officia diuina, Syl. verbo, consecr. 2. num. 7. & alij, non tamen incurritur irregularitas. Nau. cap. 25. num. 83. poterit Episcopus, vel eo absente Vicarius Generalis, dare licentiam celebrandi Missam, & officia diuina, in Ecclesia polluta, Sotus dist. 3. q. 2. art. 3.

Quæres 2. per quem debeat reconciliari Ecclesia? *Resp.* si sit consecrata à solo Episcopo proprio, vel ab alio de illius licentia, nec poterit Episcopus hanc permissionem demandare simplici Sacerdoti, poterit tamen Papa, modo aqua benedicatur ab Episcopo, ita Syl. loc. cit. q. 8. quod si Ecclesia sit tantùm benedicta, poterit simplex Sacerdos eam reconciliare cum aqua communi; ita Doctores, & habetur ex cap. si Ecclesia, de cõsecr. Eccl. nec requiritur ad hoc licentia Episcopi, vt ait Henriq. loc. cit. n. 6.

Quæres 3. quid faciendum pro reconciliatione Ecclesiæ propter sepulturam excommunicati vitandi, vel infidelis, vel pagani? *Resp.* in primis exhumandũ esse corpus, si discerni possit: deinde radendi parietes, si Ecclesia non erat consecrata, nam si raderentur parietes Ecclesiæ consecratæ, necessariò esset reconsecranda. ita tenet Syl. loco cit. modus autem radendi parietes est illos dealbare, iuxta glossam in cap Eccles. & 2. de consecr. dist. 1. Et est notandum

quod reconciliata Eccleſia, reconciliatum manet cœmeterium contiguum. ſic Ang. verbo conſecratio cœmeterij, & quando Eccleſia violata eſt propter effuſionem ſanguinis alicuius martyris, non lauatur locus ſanguinis, ſic Tabiena, verbo conſecr. 2. num. 5. & hæc de cenſuris ſatis.

TRACTATVS QVARTVS, DE IRREGVLARITATE.

CAPVT I.

De Irregularitate in communi.

DICO 1. Irregularitas est canonica inhabilitas ex facto, vel defectu prouenies, qua directè impeditur aliquis ordines susscipere, aut susceptos exercere, ita omnes Doctores.

Dico 2. Irregularitas non imponitur ab homine, sed tantùm à iure. ita Doctores communiter, vnde sequitur quod nunquam irregularitas incurritur, nisi sit in iure expressa, & propterea in hac materia non valent argumenta facta à simili, v.g. nõ valet hoc argumentũ, sicut baptismus non potest reiterari, ita nec Confirmatio, & Ordo, sed

reiterationi baptiſmi eſt annexa Irregularitas, ergo etiam reiterationi Confirmationis,& Ordinis, non valet inquam hæc argumentatio,quia Irregularitas annexa reiterationi baptiſmi, eſt expreſſa in Iure,non autem ſic eſt de Confirmatione,& Ordine. ita Val. tom. 4. diſp. 7. q. 19. de irregul. punct. 2.

Dico 3. non incurritur irregularitas ex delicto, niſi ob peccatum mortale externum perfectè conſummatum,vnde qui vult occidere,& non occidit, ſed tantum percutit,non incurrit irregularitatem, quia actus externus non eſt conſummatus. ita Nauar. c. 27. num. 249. Sot. l. 5. de iuſt. & iure. q. 1. art. 9.

Dico 4. quando in iure imponitur irregularitas pro crimine enormi , & notorio , non incurritur tale impedimentum , niſi reuera crimen ſit tale, hinc fit vt periurus, hæreticus, ſodomita, vel vſurarius occultus , non incurrant irregularitatem, quia ius requirit , vt hæc crimina enormia ſint notoria, notorium hoc loco appellatur, 1. quando quis eſt illud confeſſus in iudicio. 2. cùm eſt lata ſententia iudicis ſuper illo. 3. quando ita de illo conſtat , vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, quale eſt peccatum publici concubinarij,ita viuentis cum concubina, ſicut ſolet maritus cum vxore, aut quando maior pars alicuius congregationis, quæ nimirum conſtet decem perſonis,ſcit crimen, vt rectè docet Nau.cap.25. n. 73. præterea crimen depoſitione dignum eſt, adulterium, & illo maiora, item concubinatus diu continuatus, ſtuprum virginis , vt docet idem author cap. 27. numero 248.

Dico 5. quando à iure impoſita eſt irregulari-

tas aliquibus delictis, non requisita conditione enormitatis,& notorietatis, ea incurritur etiam si delictum sit occultum, v. g. etiam si Sacerdos rebaptizet aliquem occultè,contrahit tamen irregularitatem. idem dico de excommunicato occulto, qui sine necessitate celebrat, ita Nau. c.27.n.194. & alij.

Dico 6. quando dubium est vtrum aliquis incurrerit irregularitatem,si dubium oriatur ex iure, non est habendus ille irregularis, nec in foro externo,nec interno,sic Auila de cens. part.7.disp.2. dub.5.concl. 1. tum quia odia sunt restringenda,tũ quia dubium probabile circa aliquod ius obscurũ, & difficile,excusat à culpa,& multo magis à pœnis Ecclesiasticis pro ea culpa latis, ita Millard. de pœnit c.100. n.14. & alij communiter. Quando vero dubium oritur ex dubio facti,si agatur de homicidio, tunc censendus est irregularis in vtroque foro,sic Auila loc.c. Ratio est, quia hæc irregularitas quo ad homicidium, est in iure expressa, & habetur cap.ad audientiam,& cap.significasti,extra de homicidio. si vero dubium facti sit circa alios casus ab homicidio, & habeat homo rationes æquè probabiles pro vtraque parte,non tenetur se reputare irregularem in vtroque foro, ita Auila loc.cit. concl. 2. vnde sequitur qui dubitat probabiliter se esse excommunicatum,si celebret non incurrit irregularitatem, item qui dubitat probabiliter se esse illegitimum, non est reputandus irregularis, è contrario verò qui fuit causa abortus,& dubitat vtrum fœtus fuerit animatus, nempe post quadragesimum diem in masculis,debet se reputare irregularem,item medicus, vel chirurgus, qui dubitat vtrum sua negligentia infirmus sit mortuus,

tinus, vel deformatus, debet ſe reputare irregularem; dubium iuris eſt, quando dubitatur an ius decernat irregularitatem, nec ne pro defectu, vel delicto aliquo: dubium facti eſt cum dubitatur vtrum quis patiatur defectum, aut patrauerit delictum, propter quod ius imponit irregularitatem, vtrum Petrus occiderit nec ne, vtrum ſit illegitimus nec ne.

Dico 7. irregularitas, primariò & per ſe reddit hominem inhabilem ad ſuſcipiendos Ordines, ſecundariò verò impedit vſum receptorum. Item irregularitas præcedens collationem beneficij, reddit ipſam nullam ipſo iure, ſiue ſit beneficium curatum, ſiue ſimplex, ſi verò collatio beneficij præceſſerit irregularitatem, ea poſtea ſuperueniente, non priuatur beneficiarius beneficiis obtentis ante irregularitatem. Val. loc. cit. punct. 3. §. 5. ſub finem. præterea irregularitas nec priuat actu canendi in choro, nec aliis actibus, qui non ſunt proprij alicui ordini, nec reliquorum Sacramentorum, præter ordinis, ſuſceptione, nec vſu exterioris, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. dixi (exterioris) quia priuat vſu iuriſdictionis interioris, quia non poterit Sacerdos factus irregularis ex ſua culpa, abſoluere à peccatis, quia eſt actus Ordinis. dico (ex ſua culpa) quia ſi ſine culpa eſt factus inhabilis ad vnum vſum ordinum, non eſt ad alium, vt qui ſine culpa amiſit digitos, eſt inhabilis ad conſecrandum, non tamen eſt inhabilis ad confeſſiones audiendas. ita Nau. c. 27. n. 200 & alij.

Dico 8. totalis defectus rationis, vt in amente, furioſo, & ebrio, excuſat ab irregularitate. item

metus grauis, & proteſtatio, item ignorantia, quę excuſat à peccato mortali, non vero ignorantia craſſa. ita Auila loc.cit.dub.7.

Quæres vtrum irregularitas incurratur ex delicto, ſi delinquens committat peccatum, ſed ignorat inuincibiliter impoſitam eſſe in iure pœnam irregularitatis pro tali delicto? *Reſp.* quod non, ſic Diana tract.5.Miſcell.reſol.67.& tract.6 Miſcell. reſol. 41. qui & tract. 5. Miſcell. reſol. 13. docet ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem, modo non ſit craſſa, excuſare etiam ab omnibus pœnis, ſiue à iure, ſiue ab Epiſcopo latis; vbi citat pro ſe Portell. in additionibus ad dubia regularia, verbo ignorantia, n.15. Sanch. de matr.to.3. l.9.diſ.32.n.31.

Dico vltimò quamuis multæ ſint ſpecies irregularitatis, tamen ad quinque reuocari poſſunt, quarum prima eſt illa quæ oritur ex defectu Sacramenti. 2. quæ ex defectu corporis. 3. quæ ex defectu animæ. 4. quæ ex defectu perfectæ lenitatis. 5. quæ ex defectu alicuius delicti, de quibus ſigillatim ſequentibus capitibus dicetur.

Hic nota, quod quamuis ſupra dixerimus irregularitatem non imponi ab homine, ſed tantùm à iure, hoc non obſtare quo minus Pontifex non poſſit tanquam iudex, infligere pœnam irregularitatis. Sic Auil. de cenſ. p.7. de Irregul. diſp. 2. dub. 3.

CAPVT II.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti.

HVius irregularitatis nomine, intelligitur communiter ea quæ oritur ex Bigamia, quæ irregularitas extat toto titulo extra de Bigamis non ordinandis. Bigamia est status coniugati, cum duabus coniugibus, siue ante baptismum, siue post baptismum, ductis, vt notat Nau c. 27. n. 195. & alij. Ea est triplex vera, interpretatiua, & similitudinaria. Bigamia, vera est, quando quis habuit duas vxores successiuè, cum quibus matrimonium consummauit, siue ante Baptismum, siue post Baptismum, vt habetur cap. debitum, de bigamis. Interpretatiua est, quando quis fingitur habuisse duas vxores, quod contingit pluribus modis. 1. quando quis contrahit cum vna validè, & cum alia simul, sed inualidè, quia prima viuebat. 2. quando contrahit cum vna validè, & ea mortua, aliam ducit, sed inualidè, propter aliquod impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis, & cum vtraque consummat, vt probatur cap nuper, de Bigamis.

Quæres an sit Bigamus, qui conuolauit ad secundas nuptias, sed inualidè, ex defectu consensus? *Resp.* quod non. ita Henriq. lib. 14. c. 4. num. 9.

Quæres an sit Bigamus, qui contraxit duo matrimonia successiuè, sed vtrumque fuit inualidum, ob aliquod impedimentum? *Resp.* quod non. ita Henr q. loc. cit.

Digitized by Google

3. Bigamia interpretatiua contrahitur, quando quis ducit viduam, quæ matrimonium consumauerat, quod idem dicendum est de eo, qui corruptam per alium, accepit in vxorem.

4. Hæc eadem Bigamia contrahitur, quando quis legitimè assumit in coniugem, aliquam virginem, & cognouit eam postquam ea adulterauit cum alio, cap. si cuius, 24. dist. & hoc habet locum siue maritus sciat, siue ignoret adulterium suæ vxoris, vel quod fuerit corrupta ante matrimonium. item quando compellitur à Iudice Ecclesiastico, vt cognoscat vxorem, postquam fornicata est, si plenè non probauit adulterium in foro externo, vel alia de causa. ita Syl. verbo bigamia.

Bigamia similitudinaria est, quando aliquis post votum solemne castitatis emissum, vel suscipiendo ordines sacros, vel per professionem in aliqua religione approbata, contraxit inualidè cum aliqua, & consummauit, licet illa sit virgo cap. à nobis, de Bigamis, can. quanquam, 27. q. 1. his ita positis,

Dico 1. Bigamus Bigamiâ verâ, interpretatiuâ, & similitudinariâ, est irregularis, & inhabilis ad Ordines, & ad quæcumque beneficia Ecclesiastica recipienda: ita omnes Doctores.

Dico 2. qui conuolauit ad secundas nuptias, sed inualidè, defectu consensus, & solùm vt extorqueret copulam à puella, non est irregularis, quod idem extendendũ est ad eum, qui cum duabus contraxit inualidè, propter aliquod impedimentum, quia isti non sunt Bigami, vt diximus supra, iuxta mentem Henriq. contra Val. tom. 4. disp. 7. q. 19. p. 3. §. 1.

Dico 3. Laicus contrahens inualidè cum vna vi-

dua; vel corrupta, non eſt irregularis, ita Nau. loc. cit. n. 195. vbi docet ita concluſum fuiſſe Romæ in ſacra pœnitentiaria.

Dico 4. non eſt irregularis qui multas habet cõcubinas, ſine matrimonio, de iure, aut de facto, cõtracto (hoc eſt validè vel inualidè) etiãſi habeat illas coniugatus, alioqui cum vna ſola, quæ fuerit virgo.

Dico 5. non eſt irregularis qui contrahit matrimonium cum virgine, quæ fuit alteri deſponſata tantum de præſenti abſque conſummatione, quia ad contrahendam bigamiam ſemper requiritur matrimonij conſummatio, ita Auila de cenſ. p. 7. de irreg. ex bigam. diſp. 8. dub. 1.

Dico 6. ſolus Papa poteſt diſpenſare in bigamia vera, & interpretatiua, licet difficilius in vera, quã in interpretatiua. Epiſcopus vero poteſt diſpenſare in bigamia ſimilitudinaria, ſi fœmina fuit virgo, vt colligitur ex cap. de Diacono, extra. qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere poſſint, & hoc intelligendum quoad omnes Ordines, ſiue minores, ſiue maiores ſuſcipiendos, imo Nau. loc. cit. n. 197. non putat improbabilem eorum opinionem qui cenſuerunt Epiſcopum poſſe etiam diſpenſare in vera, & interpretatiua, quoad vſum Ordinum ſacrorum iam ſuſceptorum, non autem quoad Ordines ſacros ſuſcipiẽdos, quoad minores vero exiſtimo cum Auila loc. cit. Epiſcopum poſſe diſpenſare cum bigamo vero, & interpretatiuo.

Dico vltimo Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis Religioſis, ſi ante ſuſceptionem habitus, vel poſt fuerint bigami, ita habetur in compẽdio Fratrum Minorum, verbo abſolutio extraordinaria quoad Fratres, §. 4. ex Six. 4. priuilegio. Auil. loc. cit. dub. 4. con. 1. & Patres Carthuſien-

ſes ex priuilegio diſpenſare poſſunt cum ſuis, in omnibus irregularitatibus, nullâ exceptâ, vt refertur in compendio priuilegiorum ſocietatis IESV, verbo diſpenſatio. §. 4.

CAPVT III.

De 2. ſpecie Irregularitatis ex defectu corporali.

QVinque ſunt defectus ad corpus pertinentes, propter quos incurritur hæc irregularitas.

Primus eſt defectus natalium, quo nomine intelligitur omnis illegitimitas, etiam ſi occulta ſit, vt colligitur ex cap. vt filij, & ex cap. nimis extra. de filiis Presbyterorum ordinandis, vel non. in hoc autem defectu ſolus Papa iure communi diſpenſat, ad Ordinem ſacrum, dignitatem & beneficium curatum. ad Minores autem ordines. & vnum beneficium ſimplex, etiam Epiſcopus. & vtrumque habetur in cap. is qui defectum, de filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis, lib. 6. Item profeſſio ſolemnis in aliqua religione reddit illegitimũ habilem ad omnes, ordines in dicto cap. vt filij. nõ tamen vt poſſit talis fieri Prælatus, ex priuilegio tamen Greg. 14. conceſſo, clericis regularibus miniſtrantibus infirmis poſſunt Generales Ordinum & Prouinciales, etiam ſine capitulo Generali, aut Prouinciali, diſpenſare cum illegitimis, tam ad dignitates, quam ad officia. ita Diana tract. 2. de dubiis regularium reſol. 102 p. 61.

Quæres 1. an illegitimus occultus, poſſit diſpen-

Digitized by Google

sari ab Episcopo ad sacros ordines susciptidos? *Resp.* quod sic. ita Auil. de cens. p. 7. disp. 7. dub. 7.

Quæres 2. an expositus Hospitali, cuius parentes sunt ignoti, censendus sit illegitimus, ac proinde irregularis, ita vt indigeat dispensatione, si velit promoueri? *Resp.* non esse irregularem, & posse absque dispensatione, siue Papæ, siue Episcopi, recipere ordines, tam maiores, quam minores, sic Diana tract. 1. Miscel. resol. 22. versu dico absolutè. idem dicendum de eo qui non est expositus, sed tamen ignoratur an sit legitimus, vel illegitimus, quia in dubio, melior est conditio possidentis.

Hic notandum est. 1. quod si contingat matrimonium esse nullum, propter aliquod impedimentum, tamen si ambo parentes, vel vnus eorũ, ignorabant tale impedimentũ, & contraxerunt in facie Ecclesiæ, adhibitis solemnitatibus, & denunciationibus solitis, filij susceptī ex tali matrimonio, sunt legitimi cap. cum inter, qui filij sunt legitimi, iuncto cap. cum inhibitio. de clandest. desponsat.

Notand. 2. quod Sacerdos illegitimus, dispensatus in sæculo, & habens ibi beneficium curatum, si intret religionem, non est dispensatus ad officia, & dignitates Ordinis. Diana tract. 2. de dub. Regul. resol. 102. vbi citat Rodriq. quæst. regul. to. 1. q. 13. art. 10.

Secundus defectus corporis, inducens irregularitatem, est priuatio alicuius membri, & hanc irregularitatem incurrit.

Primo qui caret pollice, vel pollicibus, quibus hostia eleuatur, & frangitur. 2. qui caret naso, vel vno oculo, si vero habeat vtrumque oculum integrum, quamuis careat visu dextri oculi, non est irregularis, quod si careat visu sinistri, qui dicitur

canonis oculus, sed possit sine indecora conuersione faciei ad populum legere canonem (ad quod etiam iuuabit aptatio Missalis) non erit irregularis, aliàs erit. ita Nau. c. 27. n. 199. & alij. Non est etiam irregularis qui maculam habet in oculo, quę non causat notabilem deformitatem, nec qui caret auriculis, ita Henriq. c. 8. nec surdaster qui altera aure tantum surdus est, ita Diana tract. 3. Miscell. resol. 20. nec qui habet sex digitos in manu, dummodo non adsit magna deformitas, sic Henriq. in Sum. lib. 14. c. 8. n. 3. Diana tract. 6. Miscel. resol. 61. neque gibbosus, nec qui sine culpa propria perdidit membrum virile. Henriq. loc. cit. n. 1. neque qui perdidit digitos pedum ex infirmitate, Nau. l. 5. consil. consil. 65.

3. Est irregularis ob defectum corporis, qui habet duo capita, vel duas manus, Henriq. loc. cit. n. 3. item claudicans, qui non potest sine baculo, vel sine pede ligneo, in altari stare, aliàs non est irregularis. ita Nau. loc. cit. n. 199.

4. Est irregularis qui sibi abscidit virilia, sine necessitate, vel qui iussit, aut rogauit sibi abscindi, vel si in pœnam delicti sint sibi abscissa, vt si maritus abscindat virilia clerico, inuento cum vxore. Nau. loc. cit. n. 198.

Quæres quis possit dispensare in hac irregularitate ex defectu membri? *Resp.* quod si hæc irregularitas inducat notabilem deformitatem, solus Papa potest dispensare. Sic Auil. de cens. p. 7. disp. 3. dub. 3. Ang. verbo. corpore vitiatus. n. 1. & alij dicunt Episcopum dispensare posse cum religioso claudo, vt celebret cum pede ligneo. & Maiolus ait lib. 1. c. 18. quod si tale impedimentum

aduenit religioso iam promoto ad ordines, potest suus Prælatus dispensare? *Resp.* 2. Episcopum, posse etiam dispensare in hac irregularitate, quando prouenit ex propria culpa vt cum membrum est occultum, vel abscissio facta est casu, etiam ex propria culpa, sed occulta, vt si dabat operam rei illicitæ, vel cum membrum abscissum est ab inimicis in pœnam sui delicti, dummodo delictum sit occultum. hæc omnia colliguntur ex Concil. Trid. sess. 24. c. 6. vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario.

Quæres an hermaphroditus sit irregularis? *Resp.* quod si prævaleat in eo sexus fœmineus, est omnino irregularis, & incapax. characteris, ita vt Papa non possit in eo dispensare. *Resp.* 2. si prævaleat in eo sexus virilis, est quidem capax caractheris, sed non debet ordinari, quia est monstrum. ita Nauarr. loc. cit. n. 203 & cum eo solus Papa dispensat vt ministret in susceptis. quod si æque polleat vtroque sexu, etiam iudicatur incapax characteris, ita vt ordinatio non valeat, ita Nauarr. l. 1. Consil. Consil. 8. de ætate & qualitate ordinando dum.

Tertius defectus ex parte coporis inducens irregularitatem est insufficiens ætas, de qua dico 1. quod quamdiu illa ætas durat, tamdiu etiam manet irregularitas, quare vbi quis attigerit ætatem requisitam ad suscipiendos ordines, nulla indigebit dispensatione vt ordinetur, hoc est notum omnibus.

Dico 2. si quis ante legitimam ætatem suscipiat ordines scienter, incurrit suspensionem ipso iure,

ab ordinibus ſuſceptis, & ſi poſtea illos exerceat ſciens, & cognoſcens ſe eſſe ſuſpenſum, & irregularitatem eſſe inflictam contra violantes aliquam cenſuram, incurrit ipſam irregularitatem: ſi vero bona fide, & ſimplicitate, & ſine dolo, ſuſcipiat ordines, vel in eis miniſtret, ante ætatem, non manet ſuſpenſus, nec afficitur irregularitate, vt probat Nauarr. c.27.num.155.& nos diximus ſup. cap.1.

Dico 3. qui promotus ante legitimam ætatem non exercuit ante illam ſuſceptos ordines, illa adueniente exercere poterit eos, abſque vlla diſpenſatione, ab irregularitate. Ita Valent. tom.4.diſp. 7.q.19.p. 3. §. 3. quæ ætas requiratur ad ſuſceptionem ordinum, docent Theologi cum diſputant de ſacramento ordinis.

Dico 4. in hac irregularitate dum durat, ſolus Papa diſpenſat iure communi, etiam cum religioſis, vt colligitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 12. de refor.

Quartus defectus ex parte corporis, inducens irregularitatem, eſt infirmitas, vel impediens executionem ordinum, vel notabilem deformitatem inducens, & hanc incurrunt 1. qui laborant lepra, quæ impedit tum ordinum ſuſceptionem, tum eorum exercitium, ſeu vſum, ita habetur cap. de rectoribus, extra de clerico ægroto miniſtrante.

Secundò qui laborant morbo caduco, ita vt non poſſint ordinari, quantumuis ſani videantur, quod ſi iam ordinati erant, & ſpumas in eo morbo ore reiiciant, celebrare non poſſunt, quod ſi non ſpument, celebrare poſſunt, adiuncto ſocio, qui ſacrificium perficiat, ſi forte inter ſacrifican-

dum, morbo corriperentur. Ita Val. loc. cit. ex Nau. n. 103.

Tertio Energumeni siue à dæmone obsessi, qui non sunt ordinandi, etiam si liberentur, quod idem dicendum de abstemio, qui vinum bibere non potest, nisi euomat. item de insano furioso, & laborante paralysi, manus tremulas faciente, aut morbo gallico quando foris apparét vulnera, & generant horrorem, sic Auil. loco citato disputat. 3. dub. 4.

Quæres quis dispenset in irregularitate ista? *Resp.* solum Papam dispensare posse cum non ordinatis, Henriq. tamen loc. cit. n. 9. ait. Regulares Prælatos, dispensare posse cum suis religiosis, vt liberati à furia, & furore ordinentur.

Quintus defectus inducens irregularitatem, est defectus libertatis, quo nomine comprehenditur defectus seruitutis, ita vt serui sine dominorum suorum facultate, ordinari non possint, quod si cum illa facultate ordinentur, illo ipso liberi fiunt. si autem sine illa facultate suscipiant minores, serui nihilominus manent, & si suscipiãt diaconatũ, vel subdiaconatũ, quamuis serui maneant, possunt tamen se liberare dato alio seruo, aut reddito sui pretio. si autem sacerdotio initiati fuerint absque facultate, facilius liberari possunt dato suo peculio, aut alia ratione se redimendo. de hac irregularitate non sunt plura dicenda, quia apud fideles Christianos vix habet locum, cum apud illos nulli sint serui, nam famuli quibus vtuntur in ministeriis quotidianis possunt ordinari, inconsultis dominis quibus famulantur.

Sunt qui ad hanc speciem irregularitatis reducant infamiam, quæ si sit iuris, cum scilicet aliquis

in publico iudicio per ſententiã Iudicis diffamatus eſt, efficit irregularẽ, & cũ eo ſolus Papa diſpẽſat. ſic Val. lo. cit. ſi vero ſit orta ex infamia facti, graui & notoria, diſpenſat etiam Epiſcopus, poteſt autem hæc irregularitas ex infamia facti proueniens, deleri per vitæ emendatìonem, non autem infamia iuris ĩta Nau. n. 204. & ad hanc infamiam reuocari poteſt officium hiſtrionum, & ſimilium, qui publicè ludicra exercent, quos etiam eſſe irregulares conſtat ex Cano, aliquantos 51 diſt. iuncta Gloſſa.

Quæres quid ſit infamia iuris, & facti? *Reſp.* 1. infamiam iuris, illam eſſe quæ vel incurritur per ſententiam iudicis, vel quæ ipſo iure imponitur alicui crimini, poſt illius perpetrationẽ, dũmodo cõſtet publice, crimen fuiſſe cõmiſsũ, v. g. crimẽ vſuræ notoriæ, & publicæ, inducit irregularitatẽ ipſo iure, tam in clerico, quã in laico etiam ante ſententiam iudicis, ſic Auil. loc. cit. p. 7. diſp. 4. dub. 5. *Reſp.* 2. infamimam facti eſſe, quando alicuius fama grauatur de aliquo crimine, apud multos, & graues, per maiorem partem viciniæ, ad quod etiam requiritur notorietas.

Caput IV.

De 3 ſpecie irregularitatis ex defectu animæ.

TRes ſunt defectus ex parte animæ, inducentes irregularitatem 1 eſt defectus ſcientiæ. 2. iudicij. 3. defectus fidei quare.

Digitized by Google

Dico 1. defectus ſcientiæ, tamdiu irregularem facit, quamdiu durat, colligitur ex can. illiteratus. 36. diſt. vbi nota Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. de reform. facere irregularem etiam ad primam tonſuram, eum qui neſcit legere, & ſcribere, & ad minores ordines, eum qui ſaltem linguam latinam non intelligit, ad maiores vero eos qui neſciunt ea quæ pertinent ad ordinem exercendum, & ad debitè adminiſtrandum ſacramentum Euchariſtiæ, hoc tamen non obſtabit, quin poſſit ordinari Regularis, qui bene legit & cantat, talis enim in aliorum ſocietate, & pro miniſteriis religionis, videtur miniſter idoneus. ita Henriq. l. 4. c. 8. n. 10. & 11. Auil. de cenſ. p. 7. diſ. 4. dub. 1. Diana tract. 2. de dubiis reg. reſol. 86. & alij apud illum.

Dico 2. in irregularitate, quæ oritur ex hoc defectu, rarò, aut nunquam, diſpenſat Papa ſaltem directè, indirectè vero aliquando, videlicet diſpenſando ſuper ætate, propter ſpem futuræ ſcientiæ, ad tale officium. Ita Nauarr. c. 27. num. 205 & alij. putat etiam Henriq. loc. cit. Epiſcopum diſpenſare poſſe cum illiterato, vt miniſtret in ſuſceptis, quod tamen eſt intelligendum de eo qui non eſt omnino ignarus.

Dico 3. ſi defectus iudicij ſit continuus, non poteſt etiam Papa cum eo diſpenſare, ſi habet lucida, vt aiunt interualla poterit, ſed non debet.

Dico 4. catechumeni ſunt irregulares, ex cap. ſi quis presbyter, ex cap. veniens extra, de presbytero nonbaptiſato: idem dico de Sarracenis, Iudæis, Paganis, atque etiam Neophytis, recéter conuerſis, aut baptizatis, ex can. quoniam multa ex Concil. Nicæno, & can. ſicut Neophytus, 48. diſt. ill autem dicitur Neophytus propriè, qui ex ſecta

Iudaica, vel Mahumetica, vel Gentilica nuper cõuersus est ad fidem Christianam, & ille solus proprie incurrit irregularitatem de qua modo loquimur. nam qui ab infantia professus est fidem in baptismo, licet descendat ab auo, vel patre Iudæo, Sarraceno, aut Gentili non dicitur propriè Neophytus, vnde nec ille est irregularis, vt notat Auil. 7. part. disp. 4. post Nauarr. & Couarr. quos ibi citat, ideoque, non eget dispensatione, vt ordinetur.

Dico 5. qui iamdiu susceptit fidem, si iudicio Episcopi censeri queat veteranus Christianus, & in fide ac religione laudabiliter se gesserit, desinit esse irregularis, ita vt ordinari possit, absque alia dispensatione, ita communiter omnes Doctores. quamdiu verò Neophytus propriè dictus non censetur veteranus Christianus, cum eo solus Papa dispensat. ita Nauarr. loco citato numero 205. §. 4.

Dico 6. hæretici, fautores hæreticorum, defensores, vel receptatores, sunt irregulares, ex cap. quicumque hæreticos, de hæreticis. lib. 6. & can. 2. 1. q. 7. idem dico à fortiori de apostata à fide, ex c. presbyteros, 50. dist. §. de his. quod idẽ extendẽdum est, ad omnes filios legitimos, ac illegitimos hæreticorum, & receptatorum, vsque ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per maternam, vt colligitur ex cap. statutum, 2. de hæreticis in 6. & notant omnes Doctores citati, vbi nota extrau. Pauli IV. & eam quæ est Greg. XIII. quibus prædicti Pontifices præcipiunt, nullum descendentem ex hæreticis, vel Iudæis, vel Sarracenis, vsque ad quartam generationem, ordinari sacris ordinibus, non esse rece

ptas, ſic docet Auil. loc. cit. diſp. 4. dub. 3. ſub finem.

Dico 7. cum hæretico manifeſto, ſed conuerſo, & reconciliato, ſolus Papa diſpenſat. cum occulto verò, poſt eius abiurationem, & abſolutionem, etiam Epiſcopus ex concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. vt notat Diana tract. 1. Miſcel. reſol. 24. cum aliis quos ibi citat: nota tamen quod Auila loc. cit. dub. 2. aſſerit, hæreticum occultum non incurrere irregularitatem, atque ideo poſt legitimam abſolutionem, non indigere diſpenſatione, vt ordinetur. ibidem etiam aduertit, clericum ſi poſt ſuſceptos ordines, fiat hæreticus, poſſe poſt pœnitentiam, & abiurationem, in ſuſceptis miniſtrare, idque colligit ex cap. ſaluberrimum 1. q. 3.

CAPVT V.

De 4. *ſpecie irregularitatis, ex defectu perfectæ lenitatis.*

SVb hoc defectu comprehenditur occiſio, vel mutilatio membri, licite facta, quæ duæ actiones comprehenduntur verbo, deformare, quo etiam vtemur in præſenti materia, appellatur autẽ hæc irregularitas, defectus perfectæ lenitatis, quoniam is qui habet dictum defectum, non cenſetur ſatis commode poſſe Eccleſiaſtico miniſterio repræſentare ſummam manſuetudinem, & lenitatem Chriſti.

Quæres quid per membrum intelligatur in præſenti materia? *Reſp.* cum communi Doctorum ſen-

tentia, intelligi illam hominis partem, quæ habet distinctum officium ab aliis membris, vt oculus ad videndum, manus ad tangendum, auris ad audiẽdum: si autem non habet distinctum officium ab aliis membris, quamuis opem illis ferat, non dicitur propriè membrum, vt digitus, dens, &c. vnde 1 sequitur illum esse irregularem, qui manum abscindit, vel nasum, vel oculos eruit, vel mutilat membrum aridum.

Secundò sequitur eum non esse irregularem, qui abscindit digitum, etiam pollicẽ, vel indicem, nec qui præscindit mammillam fœminæ, nec qui euellit dentem, nec qui abscindit aurium cartilagines, nec testiculos solum absque membro virili, nec qui debilitat membrum, nec qui causat magnam sanguinis effusionem; absque deformatione, hæc colliguntur ex Auil. 7. p. disp. 5. sect. 1. cum aliis multis quos ibi citat.

Quæres 1. quinam incurrant irregularitatẽ ex homicidio Rei? *Resp.* illos solos, qui cooperãtur neci, seu interfectioni, tanquam publici iustitiæ ministri, quales sunt, Iudices, eius Assessores, Promotores Fiscales, Accusatores, illorum Procuratores, Aduocati, Testes contra reum deponentes Notarij seu Tabelliones Recipientes depositiones Testium, vel qui eas legunt, quando publicantur, vel sententiam scribunt, vel dictant, vel signant scriptam à famulo, & suis sigillis reddunt authenticam, vel eam pronunciant, imò etiam qui scribit, vel transcribit sententiam, tanquam officialis iustitiæ: item etiam est irregularis, qui impedit, ne Iudex post latam sententiam concedat appellationem. quod idem extẽndendum est ad iurisperitum, qui registrum sum-

mat

mat contra reum, ad faciliorem iudicis inſtructionem, vel elicit in fauorem fiſci, dubia, contrarietates, aut nullitates. ſic Henriq. l. 14. c. 12. num. 10. ſunt etiam irregulares, Carnifices torquentes reum, vt confiteatur crimen propter quod deformatur. item Satellites, milites, tam Equeſtres, quam Pedeſtres, comitantes ipſum Iudicem ad cuſtodiam, vel defenſionem. item Cuſtos carceris, & qui deferunt tanquam miniſtri iuſtitiæ ſcalam, funes, vel gladium, quo deformetur. ita communiter omnes: item Milites, qui comitantur reum ad patibulum. dixi in reſponſione (ſolos illos eſſe irregulares, qui cooperantur neci tanquam miniſtri iuſtitiæ) quia iura imponentia hanc irregularitatem, ſolum loquuntur de miniſtris iuſtitiæ, & his qui concurrunt ad cauſæ probationem, vel pœnæ executionem, vt optime notauit Vaſq. & poſt eum Turrianus de cenſ. l. 6. diſp. 66. dub. 3. quos etiam ſequutus eſt nouiſſimè Diana tract. 5. Miſcell. reſol. 79. ex quo infertur, alios omnes, qui cum non ſint miniſtri iuſtitiæ, videntur aliquid facere, aut dicere, ex quo mors citius ſequitur, non eſſe irregulares quare non eſt irregularis. 1. Confeſſarius, qui adhortatur reum, vt ſcalam aſcendat, vel ei dicit, vt ſupponat caput, ad excipiendum ictum, & ideo citius ſupponit.

2. Qui dicit carnifici, vt aliquid aptet, quo citius is qui morte plectitur, extinguatur, item qui conſilium dat capiendi viam breuiorem, quæ ducit ad locum patibuli, aut ſollicitat accelerari executionem iuſtitiæ, dicendo horam eſſe tardam, vel populum nimis detineri.

3. Non ſunt irregulares, vendentes, vel commodantes ſcalam, enſes, funes, ſagittas, & ſimilia in-

ſtrumenta ad mortis executionem, nec qui faciunt furcam. hæc Diana loc. cit.

4. Non ſunt irregulares ex defectu lenitatis, Clerici, vel alij miniſtrantes infirmis, ſi eos vertunt de latere ad latus, vel tranſmutent de lecto ad lectum, vel eis cibum, aut potum porrigant, licet ex his actionibus præter intentionem mors ſequatur dummodo hæc omnia, cum cautela quæ communiter adhibetur à prudentibus, ab ipſis efficiantur, Reginal, in prax. to. 2. lib. 30. tract. 2. c. 9. n. 102.

5. Non eſt etiam irregularis ſacerdos, qui iacentē in via conſpicatus, & accurrentibus aliis conſuluit, vt illum erigerent, qui dum ſuſtolleretur mortuus eſt. ita Fil. to. 1. tract. 19. c. 10.

6. Non eſt irregularis Confeſſarius, vel alius reſponſor caſuum conſcientiæ, qui interrogatus à Iudice, an ſit obligatus ad occidendum reum? Reſpondet eſſe obligatum, etiamſi ſermo ſit de particulari aliquo reo, morte digno: ita Turrian. loc. cit. dub. 4. & alij apud Dianam loc. cit. reſol. 80. quia nullum eſt ius, quod decernat irregularitatem in huiuſmodi reſponſorem: adde quod non concurrit, vt miniſter iuſtitiæ.

7. Qui aſſiſtunt executioni ſententiæ, ſiue ſint clerici, ſiue laici, non ſunt irregulares, peccant tamen venialiter clerici, aſſiſtentes ſine cauſa rationabili. Ita Nau. n. 114. & alij.

8. Non eſt irregularis Prælatus Eccleſiaſticus, habens iuriſdictionem temporalem, ſi præficiat, Prætorem qui poſtea deformet delinquentem, nec ſi dicat Prætori, vt inuigilet contra malefactores, vel obſeruet leges, nec ſi committat iudici caſum in particulari, dignum morte,

nec ſi condat legem continentem pœnam mortis, vnde etiam ſequitur, nec eſſe irregulares Prædicatores, qui hortantur iudices vt ſeruent leges, & purgent rempublicam hominibus perditis, nec qui conſulunt Principi vt condat legem mortis in delinquentes. erit tamen irregularis Prælatus habens iuriſdictionem temporalem, ſi aſſiſtat executioni ſententiæ, vt ſua præſentia præbeat authoritatem ſuo Prætori, approbando ſententiam ſanguinis latam in reum. ſic Auil. diſp. 5. ſect. 2.

9. Inquiſitores hæreticæ prauitatis, & alij Officiales inquiſitionis, tradentes reum brachio ſæculari, non ſunt irregulares. Couar. Clement. ſi furioſus part. 2. §. 5. n. 6 & alij.

10 Non ſunt irregulares ex defectu lenitatis, Prælati, vel clerici, qui accuſant aliquem in cauſa criminali, ex qua ſequitur mors, ſi expreſsè proteſtentur, ſe non intendere quod accuſatus afficiatur pœna mortis etiam ſi proteſtatio ſit ficta, & habeat accuſator voluntatem, vt occidatur. ſic Sylueſt. verbo homicidium 2. n. 7. q. 8. dixi (expreſsè) quia non ſufficit tacita proteſtatio, nec etiam ſufficeret, ſi non proteſtaretur exteriùs, quamuis interiùs haberet animum vt reus non occidatur. ſic Couar. loc. cit. verſic. 7.

11. Non eſt irregularis, qui occidit aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ eſto potuiſſet fugere, ſed non ſine graui nota dedecoris, & amiſſione honoris. ſic Suar. in 3. part. D. Thom. tom. 5. de cenſ. diſp. 46. ſect. 1. n. 6. quia quod vitari non poteſt ſine infamia, & dedecore, moraliter eſt inuitabile.

12. Non ſunt irregulares clerici, vel ſacerdotes, adhortantes milites in bello iuſto non ſolum ad

vincendum,& fortiter agendum,ſed etiam ad occidendum, & mutilandum.ſic Henriq. l.14.c.12. n.11.idem dic de clericis,qui dant conſilium,vt indi atur bellum iuſtum, vnde clericus poteſt eſſe de conſilio rerum bellicarum.ſic Henriq. c. 13. n.1. ſi tamen bellum eſſet iniuſtum, incurrerent prædicti Clerici,& ſacerdotes, irregularitatem.

13. Incurrunt irregularitatem milites occidentes propria manu, in bello iuſto, ſiue iniuſto. ſic Nauarr.n.215.& alij excepto caſu neceſſitatis,quo non poſſent aliter vitam tueri, niſi propria manu occiderent.

Quæres 2. quis poſſit, in hac irregularitate diſpenſare? *Reſp.*1. ſolum Papam? *Reſp.* 2. Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex homicidio commiſſo caſu, vel vim vi repellendo pro euitanda morte, quando nimirum occiſor exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, ita vt peccarit mortaliter occidendo, quia ex hypoteſi poterat fugere, abſque nota infamiæ. ſic Valent. tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. de irregul. p. 3.§. 4. hic etiam nota, pro coronide huius capitis, non eſſe irregularem ex defectu lenitatis, qui non valens per ſeipſum ſe defendere, præbet arma alteri tertio, vt ipſum defendat, etiamſi habeat animum ſumendi vindictam; item quando inuaſorem occidit, ad vitandam membri mutilationem, aut vulnus periculoſum, vel debilitationem membri. ſic Henriq.loc.cit.cap. 10. n.2. & 3. præterea non eſt etiam irregularis ex defectu lenitatis, qui præuenit inuaſorem, quem videt contra ſe venientem euaginato gladio,imo per foramen poteſt occidere,eo ipſo quod eſt in probabili diſcrimine mortis. ſic Auil. loc. cit. diſp.5.ſect.3.dub.1.& 2.quemcon-

Digitized by Google

ſule pro aliis multis caſibus de hac materia, quos optime reſoluit. hæc enim ſufficiunt pro noſtro inſtituto.

CAPVT VI.

De quinta ſpecie irregularitatis ob aliquod delictum.

QVinque numerantur delicta, propter quæ incurritur hæc irregularitas, primũ eſt, illicite deformare aliquẽ, ſiue quod idem eſt, occidere, vel mutilare iniuſtè. 2. accipere, aut exercere male ordines. 3. violare cenſuras celebrando. 4. iterare baptiſmum. 5. committere aliquod crimen notorium, & enorme, de quibus ſigillatim agendum, ſed breuiter, & quidem quod ſpectat ad primum delicti genus, nempe occiſionem, vel mutilationem iniuſtam: ſciendum eſt ſolum hominem vtentem ratione, & baptizatum, incurrere poſſe hanc irregularitatem. ita communiter omnes Doctores, vnde ſequitur nec infideles, nec amentes, nec furioſos, nec impuberes, nec tandem ebrioſos, aut dormientes, qui homicidium, nec expreſsè, nec interpretatiuè præuiderunt, incurrere irregularitatem. ita Auil. de cenſ. 7. part. diſputat. 6. dub. 12. 13. 14. & 15. ſciendum 2. duplex eſſe homicidium iniuſtũ, vnum directè voluntarium, alterum caſuale tantũ: directè voluntarium dicitur, quando eſt volitũ in ſe expreſsè, & formaliter, vel in cauſa adeo propinqua vt moraliter loquendo, ſit impoſſibile

velle illam, & non velle mortem, vt propinare venenum, grauiter percutere in capite, vel iuxta cor, Henriq. l. 14. de irreg. c. 14. n. 1. litt. l. Casuale est quod simpliciter loquendo, non est intentum, nec volitum, & hoc est duplex, vnum quod nullomodo est volũtarium, nec directè nec indirectè, alterum quod indirectè, & per accidens est volitũ, quod vocatur à Nau. c. 27. n. 219. §. 2. homicidium mixtum ex voluntario & casu, his ita prænotatis.

Dico 1. qui habet voluntatem mutilandi, aut occidendi, nisi de facto mutilet, aut occidat, non incurrit irregularit tem licèt grauiter percutiat, aut infligat vulnus lethale, dummodo percussus liberetur à morte, vel arte medicorũ, vel etiam miraculo. ita cõmuniter Doctores qui etiam notant, ob peccatum veniale, non incurri hanc irregularitatem, vt si quis habens animum occidendi, leuiter tantum percutiat, vel si se defendens ab inuasore, illum occidat excedens tantum venialiter moderamen inculpatæ tutelæ.

Dico 2. mandans homicidium, siue expressè, siue tacitè, effectu sequuto, est irregularis. ita Couar. in Clem. si furiosus, part. 2. in initio n. 3. Henr. c. 14. l. 14. n. 1. & alij. Idem dico de consulente homicidiũ ei qui alias non erat paratus ad occidendũ. ita habetur ex cap. si quis viduam 50. dist. & c. finali de clericis pugnantibus in bello, idem est extendendum ad consulentem, qui consilio suo animauit exequutoris voluntatem ad occidendum, quamuis iam esset paratus ad hoc facinus committẽdum. sic Couar. loc. cit. n. 2. & colligitur ex cap. sicut dignum §. qui vero, de homicidio.

Dico 3. si mandatũ, vel consilium nullomodo influxerunt in homicidium, quia videlicet non auxe-

runt, nec animarunt voluntatem exequutoris, nec mandans nec consulens, sunt irregulares: quod idē asserendum quando mandans aut consulens reuocarunt, hic mandatum ille vero consilium, & reuocatio mandati, aut consilij, peruenit ad notitiam consulti, aut mandatarij, non manent irregulares, suppono enim consulentem adhibuisse omnem diligētiam, vt auerteret consultum ab homicidio. sic Auil. de cens. p. 7. disp. 6. dub. 2. 3. & 4. nec existimo teneri monere occidendum, si non aperuit viam, & modum occidendi, vel si arma non subministrauit, iuxta ea quæ dicemus infrà de restit. propter homicidum.

Dico 4. qui consulit alteri, vt se exponat periculo mortis, vel pro patriæ defensione, vel pro fide Catholica, vel pro bono alicuius particularis, in casu quo ipse tenetur, non manet irregularis: imò plus dico qui occidit aliquem pro similibus causis non est irregularis. ita communiter omnes Doctores apud Auil. loc. cit. dis. 5. dub. 5. verbo 3. opinio: & disp. 6. sect. 2. dubit. 5.

Dico 5. qui mandauit, vel consuluit Petro vt occideret Ioannem si Ioannes occidatur contra opinionem mandantis, aut consulentis, quia ex Hypothesi Ioannes erat multo validior Petro, neque mandans, nec consulens sunt irregulares. ita Diana tract. 1. Miscell. resol. 17. cum aliis quos ibi citat.

Dico 6. si plures non ex consilio, sed ex rixa subitò contingente, percutiant aliquem, & vnus solus inflixit vulnus lethale, ex quo mortuus est vulneratus, non omnes manent irregulares, si qui percussit lethaliter, fuit cognitus. sic Diana loc. cit. resol. 18. quod si ex consilio conuenerint ad occidendum, manent omnes irregulares, etiamsi co-

gnoſcatur qui dedit vulnus lethale. ſic Auil. loc cit. diſp. 6. ſect. 3. dub. 3.

Dico 7. quando plures concurrunt ad vulnerandum aliquem, non præmiſſo conſilio, ſed ex rixa ſubito contingenti, ſi vnus tantùm percutiat lethaliter, & neſcitur à quo fuerit vulnus lethale inflictum, omnes debent ſe irregulares reputare. ſic omnes Doctores.

Dico 8. qui dat operam rei licitæ, ſi debitam adhibet diligentiam, non eſt irregularis, etiamſi ſequatur homicidium, quod ſi non adhibet diligentiam requiſitam, eſt irregularis. ita D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. & habetur cap. ad audientiam, cap. ex litt. cap. ſignificaſti de homicidio.

Dico 9. qui dat operam rei illicitæ, ac prohibitæ, & ita periculoſæ ad homicidium, vt ſit proxima occaſio mortis, manet irregularis, quamuis omnem adhibeat diligentiam. ſi vero opus non ſit ita de ſe periculoſum, vt ex illo ſequatur mors, non eſt irregularis ſi debitam adhibuit diligentiam. ita Couar. loc. cit. n. 10. & alij apud Auilam diſp. 6. de irreg. ſect. 1. dub. 1. atque ex his duabus vltimis concluſionibus, multæ ſoluuntur dubitationes in particulari de homicidio caſuali, quas late referunt Nau. c. 27. n. 220. & ſeq. Henriq. l. 14. c. 15. Auila loc. cit. quos conſulet diligens lector.

Quæres an clericus ſacris initiatus incurrat irregularitatẽ morte ſequuta ſi exerceat chirurgiã per inciſionem, vel aduſtionem? *Reſp.* quod ſic, etiamſi omnem adhibeat diligentiam, & exerceat pietatis cauſa, quia hoc eſt illi prohibitum, & colligitur ex cap. tua nos, de homicidio, ſecus iudicandum de chirurgo laico, qui adhibet omnem diligentiam ne mors ſequatur. ita omnes Doctores.

Digitized by Google

Dico 10. in homicidio directè voluntario solus Papa dispensare potest, non solum quando est publicum, sed etiam quando est occultum. ita colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. de reformat. & hoc tam ad Ordines minores, vel maiores suscipiendos, quàm quoad vsum iam susceptorum. Sic Auil. loc.cit. sect.5.dub.3.

Dico 11. Episcopus potest dispensare irregularem propter homicidium casuale occultum, non autem si est publicum. ita Conc. Trid. sess.24.c.6. & hoc est intelligendum tam quoad Ordines maiores suscipiendos, quam quoad eorum vsum, & ad beneficium quodcumque, siue curatum, siue simplex, idem dico de irregularitate cõtracta propter mutilationem voluntariam. Sic Auil.loc.mox cit.dub.4. secundum delictum adducens irregularitatem, est malè suscipere, aut exercere Ordines. de quo

Dico 1. qui sciens se esse excommunicatum excommunicatione maiore, suspensum, aut interdictum, ordinatur, incurrit irregularitatem, vt patet ex cap. illorum extra. de sententia excommunicationis: excusat ab hac irragularitate ignorantia inuincibilis, sed non crassa. Sic Nau.n.241. in ea dispensat Episcopus, quando delictum est occultum. ex Conc.Trid.sess.24.c.6.de ref.

Dico 2. qui ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico, deposito, degradato, si sit denunciatus est irregularis. ita Nau.n.241.characterem tamen susciperet qui ab illo susciperet Ordines: idem dic de eo qui ordinatur ab Episcopo, qui se abdicauit Episcopatu, quoad locum, & dignitatem, ex cap.requisiuit, extra de ordinatis ab Episcopo qui renunciauit, &

in hac irregularitate dispensat etiã Episcopus, cum eo qui renunciationem Episcopi ignorauit, Nau. vbi sup. & quoties delicta hæc sunt occulta, ex Cõc. Trid. loc. cit.

Dico 3. qui vno eodemque die, suscipit Ordines minores cum vno maiori, aut duos maiores simul est irregularis, ex cap. 2. de eo qui furtim ordinationes suscepit; vbi tamen consuetudo inualuit, vt minores simul eodem die conferantur cum aliquo maiore, excusatur ab irregularitate. ita D. Ant. in 3. part. tit. 14. c. 16. § 16. Episcopus etiam potest concedere vsum ordinum sic susceptorum, ex Nau. ex eodem cap. 2. de eo qui furtim, &c.

Dico 4. qui ordinatur per saltum, accipiendo maiorem ordinem ante minorem, manet irregularis: Episcopus tamen potest concedere vsum aliorum prius susceptorum, potest etiam dispensare vt prætermissum suscipiat, & eo atque maiore iam suscepto vtatur, sed si prius quam dispensatus fuerit vtatur accepto, aut prætermisso, solus Papa dispensat ad maiorem ordinem suscipiendum, si crimen sit publicum; quod si sit occultum, etiã Episcopus, sicut ad vtendum suscepto, ex Trid. loc. cit.

Dico 5. qui ante legitimam ætatem ordinatur, vel extra tempora, vel sine dimissoriis, non est hoc ipso irregularis, sed tantum suspensus, fit tamen per accidens irregularis, si antequam absoluatur à suspensione, susceptum ordinem exerceat, vt notat Nau. vbi sup. ex extrau. Pij 2.

Dico 6. qui vtitur ordine quem non habet, peccat mortaliter, & incurrit irregularitatem, ex c. 1. de clerico non ordinato ministrante, modò tamen seriò & non ioco vtatur, & tanquam ordinatus: si

autem eo modo quo laïcus ex consuetudine exercet interdum officia Ordinum minorum, tunc nulla incurritur irregularitas, vt docet Nau. n. 242. in hac etiam irregularitate dispensat Episcopus, ex Conc. vbi supra.

3. Delictum ex quo irregularitas oritur, est violare censuras Ecclesiasticas, celebrando, aut exercendo actum alicuius Ordinis proprium, ex cap. 1. de re iudicata lib. 6. de quo

Dico 1. qui excommunicatus excommunicatione maiori, suspensus, aut interdictus, sciens, vel scire debens, se eiusmodi aliqua censura esse irretitum, exercet aliquem actum alicuius Ordinis tanquam ordinatus tali ordine, hoc est solemniter, & quasi ex officio, aut si celebret aut coram se faciat celebrare, authoritatem ad hanc rem præbendo, fit irregularis. ex cap. 1. de clerico excommunicato ministrante.

Dico 2. si hoc delictum sit publicum, solus Papa dispensat, ex c. 1. de re iud. l. 6. si est occultum, etiam Episcopus dispensare potest, ex Conc. Trid. iam cit.

Quartum delictum est, iterare baptismum, de quo dico 1. qui permittit se iterum baptizari, incurrit irregularitatem, ex can. eos, de consecr. dist. 4. item qui baptizat aliquem, quem scit aut culpabiliter ignorat esse baptizatum, cap. ex litterarum, extra. de Apostatis, & reiterantibus baptismum.

Dico 2. qui rebaptizat per ignorantiã probabilẽ, rebaptizat vel sub conditione aut baptizat propter dubium, videlicet vtrum baptizatus sit necne, non incurrit irregularitatem, quia non vult absolutè iterare baptismum, nec talem intentionem habet. ita Doctores omnes in hac etiam irregularitate E-

piſcopus diſpenſat, ſi crimen ſit occultum, ex Trident. ſuprà. ſi publicum, ſolus Papa.

Quintum delictum inducens irregularitatem, eſt notorium & enorme crimen, ex cap. quæſitum, extr. de temporibus ordinationum, ad quod duo ſunt neceſſaria: 1. vt ſit enorme, & depoſitione dignum, vt colligitur ex dicto cap. 2. vt ſit publicũ, vt notat Nau. c. 27. n. 248. & c. 25. n. 73. altero verò horum, vel vtroque deficiente, iſtud crimen non inducet irregularitatem, vt notat Nau. in dicto n 248. & 249. vnde ſequitur ſodomitam occultũ, non eſſe irregularem, vt benè oſtendit idem Nau. & poſt eum multi alij. neque incurret pœnas in extr. Pij, latas contra eoſdem criminoſos ſodomitas occultos, quia non eſt recepta, quo ad forum interius. vt teſtatur Henriq. l. 14. c. 5.

Quæres quænam ſint illa crimina enormia, quæ conſtituunt clericum irregularem, ſi ſint publica? *Reſp.* Eſſe ſequentia, periurium cum falſo teſtimonio in iudicio, hæreſis, ſimonia in ordine, ſodomia & quædam ſimilia, excepto homicidio quod licet ſit occultum, inducit tamen irregularitatem. ſic Henriq. c. 5. n. 1. & 2. & poſt eum Auila p. 7. diſp. 4. dub. 7. conc. 1. & alij.

Quæres 2. an ſimonia faciat irregularem? *Reſp.* Notoriam ſimoniam in ordine facere irregularé, cum ſit crimen depoſitione dignum; at ſimoniacus in beneficio etiam publicus, non fit irregularis, quia nullo iure exprimitur, nec eſt crimen depoſitione dignum. Sic Henriq. l. 13. c. 37. n. 5. & poſt eum Auil. loc. cit.

Quæres vltimò, quis diſpenſat in hac irregularitate? *Reſp.* ſi nata ſit ex adulterio, & minoribus delictis, diſpenſat Epiſcopus cap. at ſi Clerici extr.

Digitized by Google

de iudiciis: in ea autem quæ oritur ex maioribus, ſolus Papa diſpenſat ordinarie. Sic Nau.n.150 & rectè.

Hic notabis diligenter, quòd ſi aliqua religio habeat priuilegium aliquod diſpenſandi cum homicida voluntario, non derogatur, licet in alio priuilegio excipiatur homicidium voluntarium, nam talis exceptio intelligitur quo ad conceſſa ab eodem Pontifice. ita Henriq. l. 14. c. 9. n. 3. Imo addit Auila diſp. 6. ſect. 5. dub. 3. p. 7. quod tale priuilegium non derogatur per Concil. Trid. Et hæc ſatis de irregularitate. cætera legi poterunt apud eumdem Auilam, Sayrum, Suarium, Henriq. & alios.

piſcopus diſpenſat, ſi crimen ſit occultum, ex Trident. ſuprà. ſi publicum, ſolus Papa.

Quintum delictum inducens irregularitatem, eſt notorium & enorme crimen, ex cap. quæſitum, extr. de temporibus ordinationum, ad quod duo ſunt neceſſaria: 1. vt ſit enorme, & depoſitione dignum, vt colligitur ex dicto cap. 2. vt ſit publicũ, vt notat Nau. c. 27. n. 248. & c. 25. n. 73. altero verò horum, vel vtroque deficiente, iſtud crimen non inducet irregularitatem, vt notat Nau. in dicto n 248. & 249. vnde ſequitur ſodomitam occultũ, non eſſe irregularem, vt benè oſtendit idem Nau. & poſt eum multi alij. neque incurret pœnas in extr. Pij, latas contra eoſdem criminoſos ſodomitas occultos, quia non eſt recepta, quo ad forum interius. vt teſtatur Henriq. l. 14. c. 5.

Quæres quænam ſint illa crimina enormia, quæ conſtituunt clericum irregularem, ſi ſint publica? *Reſp.* Eſſe ſequentia, periurium cum falſo teſtimonio in iudicio, hæreſis, ſimonia in ordine, ſodomia & quædam ſimilia, excepto homicidio quod licet ſit occultum, inducit tamen irregularitatem. ſic Henriq. c. 5. n. 1. & 2. & poſt eum Auila p. 7. diſp. 4. dub. 7. conc. 1. & alij.

Quæres 2. an ſimonia faciat irregularem? *Reſp.* Notoriam ſimoniam in ordine facere irregularé, cum ſit crimen depoſitione dignum; at ſimoniacus in beneficio etiam publicus, non fit irregularis, quia nullo iure exprimitur, nec eſt crimen depoſitione dignum. Sic Henriq. l. 13. c. 37. n. 5. & poſt eum Auil. loc. cit.

Quæres vltimò, quis diſpenſat in hac irregularitate? *Reſp.* ſi nata ſit ex adulterio, & minoribus delictis, diſpenſat Epiſcopus cap. at ſi Clerici extr.

Digitized by Google

de iudiciis: in ea autem quæ oritur ex maioribus, ſolus Papa diſpenſat ordinarie. Sic Nau.n.250 & rectè.

Hic notabis diligenter, quòd ſi aliqua religio habeat priuilegium aliquod diſpenſandi cum homicida voluntario, non derogatur, licet in alio priuilegio excipiatur homicidium voluntarium, nam talis exceptio intelligitur quo ad conceſſa ab eodem Pontifice. ita Henriq. l. 14. c. 9. n.3. Imo addit Auila diſp. 6. ſect. 5. dub. 3. p. 7. quod tale priuilegium non derogatur per Concil. Trid. Et hæc ſatis de irregularitate. cætera legi poterunt apud eumdem Auilam, Sayrum, Suarium, Henriq. & alios.

TRACTATVS QVINTVS, DE VOTO.

CAPVT I.

Quid ſit Votum, & quotuplex?

DICO 1. votum eſt promiſſio deliberata, facta Deo, cum quadam firmitate & obligatione: ex qua definitione infero, quatuor eſſe neceſſaria ad votum. Primum eſt, promiſſio, id eſt, ipſa traditio & obligatio qua vouens intendit ſe obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum; qua intentione ſe obligandi, ſublatâ, promiſſio non erit promiſſio, ſed nudum propoſitum, eſt autem propoſitum, voluntatis determinatio ad aliquid faciendum.

Secundum quod requiritur ad votum eſt, deliberatio, id eſt, in vouente debet eſſe perfecta ani-

maduerſio eius quod agit. perfecta, inquam, quæ talis ſit vt in materia praua, ſufficiat ad peccandū mortiferè, & in bona, ad merendam ſalutem. ita Syl.verbo votum 2.n.13.

3. Eſt libertas, vt ſpontanea ſit promiſſio, non coacta, aut vi, aut metu, extorta.

4. Eſt, vt promittens poſſit ſe obligare, quidam enim per leges non poſſunt ſe promiſſione, aut voto, obligare, vel ſaltem non ita validè, quin poſſit in irritum reuocari. vt dicetur poſtea.

Quæres 1. an ſit aſtrictus voto, qui intendit quidem vouere, ſed non ſe obligare? *Reſp.* quod non, quia actui apponitur conditio, ſeu clauſula, quæ eſt contra actus ſubſtantiam, & conſequenter illum facit nullum. de ratione enim voti eſt, vt vouens ſe obliget ad rem quam vouet. ita omnes Doctores.

Quæres 2. an ſit validum votum factum cum intētione promittendi, ſed nō implendi? *Reſp.* quod ſic. ita Doctores communiter.

Quæres 3. an metus irritet votum? *Reſp.* metum iniuſtè incuſſum ab extrinſeco, irritare votum, quia vt diximus, votum liberè & ſpontaneè fieri debet, quid ſit metus iniuſtè incuſſus, diximus, cùm de conſenſu in matrimonium, ſuprà tractauimus.

Dico 2. diuiditur votum 1. in ſimplex, & ſolemne. 2. in perſonale, & reale. 3. in abſolutum, conditionale, & pœnale.

Votum ſimplex eſt, quod in ſola traditione ex parte vouentis conſiſtit: ſolemne verò eſt, cui additur aliqua Iuris formula, qualitas, ſiue conditio, vt vel ſacri Ordinis ſuſceptio, vel approbatæ religionis profeſſio, cap. 1. de Voto, & voti redemptione, in 6. Votum perſonale eſt, quod ad vouentis

ſpectat perſonã, vt per eã impleatur, vt ſi voueas tè ieiunium ſeruaturũ, caſtè victurũ. &c. Reale votum abſolutum eſt, quod ſit abſque vlla conditione, aut pœna, vt ſi voueas ingreſſum religionis. Conditionale eſt quod certa conditione afficitur, vt ſi voueas te iturum Romam, ſi conualeſcas. Pœnale eſt, quod in pœnam alicuius ponitur, vt qui vouet caſtitatem ſi non ieiunauerit, aut ſi quod aliud peccatum admiſerit.

Quæres an votum vnius poſſit alium aſtringere, v. g. vtrum votum patris tranſeat ad filios; aut Teſtatoris ad hæredes, ita vt ipſi teneantur voto, ſicut tenebatur Pater, vel Teſtator? *Reſp.* 1. ſi votum ſit perſonale, non poteſt obligare alterum, vt ſi vouiſti ieiunium, aut peregrinationem, non obligat filios, aut hæredes, ſi eiuſmodi votis non ſolutis, decedat vouens: vnde colliges 1. parentes non poſſe voto obligare filios impuberes, ad religionem capeſſendam, vel permanſionem in ea, niſi filij cum ad annos pubertatis peruenerint, conſenſerint, & factum parentum ratum habuerint. & colligitur hoc ex multis can. vt cap. cum ſimus. 14. de regularibus, & c. 10. illud autem. 20. qu. 1. cap. puellæ. 3. & cap. ſicut. 9. ibid. & ex gloſſa in cap. addidiſtis.

Colliges 2. quod ſi vouens non poteſt implere per ſe votum, ob aliquod impedimentum, non tenetur per alium implere; & quamuis impleret, non liberaretur à voto ceſſante impedimento, niſi vel fuiſſet commutatum vel cum vouit, intendiſſet ſe obligare ad implendum per alium in euentum quo ipſe non poſſet.

Reſp. 2. ſi votũ ſit reale trãſit ad hęredes, ſi vouẽs deceſſerit è vita ante ſolutionẽ. hoc colligitur ex cap. ſi

hæredes,

hæredes, de testamentis. & docent communiter Doctores. hinc sequitur, quòd si Testator ordinet vt hæres mittat hominem qui pro se satisfaciat alicui voto etiam personali, tenetur id præstare. Item si vouit militiam sacram, aut peregrinationem, ea intentione vt si per se non posset exequi, per alium curaret, tunc enim sub conditione videtur tacitè vouisse se daturum sumptus ad hæc præstanda, & proinde fecisse votum reale, quare tenebitur hæres, quod est valde notandum: & si hæres implere negligat, peccabit mortaliter.

Resp. 3 si votum sit partim personale, partim reale, tenebitur hæres ad voti solutionem, qua parte est reale, non autem quatenus est personale, vt qui vouit peregrinationem Lauretanam, & offerre ibi calicem, hæres tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem. ita Less. l. 2. de iust. c. 40. dub. 10.

CAPVT II.

Quænam sit materia Voti?

DIco 1. materia voti debet esse actus virtutis, vel res bona, aut honesta, quæ sit in nostra potestate, non impeditiua maioris boni, ideòque sit melior quàm oppositum.

Vnde colliges primò votum de re mala, & quæ fieri nequit absque peccato, siue veniali, siue læthali, non obligare. Imo esse iniquum & impium, & peccare mortaliter, qui talia vota emittit, vt qui voueret furtum, homicidium, &c. vel ire ad Lauretanam, vt fruatur concubina. Secus si voueret elee-

mosynam, si suscipiat filium ex illicito coitu, vel ex duello saluus euaserit. ita Less. loc. cit. dub. 7.

Colliges 2. votum de re indifferenti, aut vana esse illicitum & nullum, vt si quis voueret se festucam leuaturum, domum cognati non ingressurum, capita piscium non comesturum, eo quod caput diui Ioannis Baptistæ fuerit amputatum, vel die Sabbato non præcisurum vngues; aut non neturum, aut filaturum, etiam in honorem virginis intemeratæ, quia hæc & similia vota, vel sunt indifferentia, vel vana, ita communiter Doctores, qui tamen concedunt validum esse votum illius, qui vouet se nunquam ingressurum talem domum, quia ibi est aliqua mulierecula quæ illum ad malũ excitat & sollicitat, & quæ alioqui illi est scandalo, vel si voueret cessare ab omni opere seruili in die Sabbato ob cultum deiparæ Virginis, aut ab omnibus carnibus abstinere, ob honorem sancti Laurentij. ita Az. p. 1. lib 11. cap. 14. quæst. 5. & alij communiter.

Colliges 3. rem omnino necessariam, aut quæ nullo modo fieri potest, non posse in votum cadere, non enim potest quis vouere se moriturum, sydera, aut arenam maris numeraturum, se nunquam peccaturum, quia hæc non sunt in nostra potestate. ita omnes Doctores, si tamen quis voueret, se nunquam mortaliter peccaturum, vel aliquod peccatum mortale, vel veniale, particulare, vitaturũ, valeret tale votum, quia posito Dei auxilio communi, & consueto, id possumus seruare, nulli tamen dandum est consilium, vt horum aliquid voueat. Tol. l. 4. c. 17. n. 9.

Quæres vtrum opus, aliàs ex præcepto debitum, possit esse materia voti? *Resp.* quod sic. vnde potest

quis vouere se nunquam furaturum, occisurũ,&c. & qui prætergreditur hoc votum peccato duplici peccat, vel saltem committit vnum peccatum mortale, duobus æquiualens, vnde & tenetur explicare in confessione voti circunstantiam. Tolet. vbi sup. n. 19. & alij multi.

Colliges 4. id non posse esse materiam voti, quod aduersatur consilio Euangelico, officio pietatis, charitatis & misericordiæ, & ita non valet votum de nubendo, de non suscipiendis ordinibus sacris, de religione non ingredienda, de non mutuando, fideiubendo, de non danda eleemosyna, & cæteris huiusmodi, quia sunt impeditiua maioris boni, nam seruare castitatem, est multò melius quàm nubere, &c.

Quæres an in aliquo casu particulari matrimoniũ possit esse materia voti? ? *Resp.* quod sic. vt si quis ita tentaretur carnis illecebris, vt non possit se cõtinere, melius esset illi nubere, quam vri, teste Paulo 1. ad Corint. 7. ita docent communiter omnes Doctores præter Sotum l. 7. de iust. q. 1. art. 3. possunt etiam nuptiæ alio modo in votum cadere, vt si quis promittat Deo se certam puellam vxorem ducturum, vt eam à corporis, vel animæ interitu liberet, vel vt ipsemet eius puellæ vita, & moribus honestis ad gloriam æternam consequendam, vehementius incitetur, nam eiusmodi finis est bonus, & laudabilis: præterea matrimonium potest esse voti materia, si promittatur ob communem reipublicæ vtilitatem, ob publicum pacis bonum, vt aliqua videlicet Prouincia ad fidem, & religionem Christi traducatur, aut ab hæresi, & perfidia facilius & commodius reuocetur. Sic Az. loc. cit. q. 9.

Quæres an votum debeat esse de eo quod est sim-

pliciter optimũ? *Resp.* quod non. sed sufficit quod non sit incompossibile consiliis Euangelicis, aut non sit contrarium meliori bono, & de eo possit fieri transitus ad melius, sic validum est votum de inseruiendo pauperibus in aliqua domo Hospitali, licet sit alia domus multò pauperior. Sic Tolet. loc. cit. n. 17. & alij.

Caput III.

De obligatione Voti.

COmmunis est omnium Doctorum sententia, voti transgressionem ex genere suo esse peccatum mortale, ita vt qui agit contra votum, etiam in re ante non debita, peccet mortaliter. Tol. loc. cit. n. 19.

Quæres 1. vtrum votum de re exigua, vt de dicendo vnum Pater, & Aue, singulis diebus per annum, sit obligatorium ad peccatũ, & peccet mortaliter qui id votum non adimplet? *Resp.* quod nõ. ita Az. loc. cit. c. 16. q. 4. Less. loc. cit. dub. 9. n. 58. Nau. c. 12. n. 40. & alij multi contra Tolet. loc. cit. Caietan & alios, imò addit Diana tract. 5. Miscel. resol. 24. quod in tali casu vouens materiam istam paruam, non potest se obligare sub mortali in recitatione materiæ istius leuis. Nota tamen hanc doctrinam non procedere in casu quo quis vouit singulis diebus dare paruam eleemosynam, aut recitare per annum Orationem Dominicam, cum intentione vt obligatio non sit diei affixa, nec expiret cum die, sed continuetur: nam per plures dies omittere, vel eleemosynam erogare, vel recitare

preces, erit peccatum mortale. ita Doctores citati Az.lib.11.c.5.de iureiurando q.3.Lefl.c.40.dub.9. n.61. & Diana loc. cit. vbi alios Doctores allegat eandem ſententiam defendentes : quod ſi vouens ita ſe obligat ad rem leuem per ſingulos dies perſoluendam,vt obligatio ſit diei affixa, & vna cum die expiret,non erit peccatum mortiferum,etiamſi per plures dies omittat , ſed erunt tot peccata venialia , quot erunt dies quibus omittit. ita Doctores citati.

Quæres 2. an poſſit quis vouere ea intentione, vt ſi voti ſit reus, impingat ſolum in peccatum veniale? *Reſp.* quod ſic. licet materia ſit grauis , quia ſicut omnis obligatio à ſua volũtate ortum habuit, ita potuit limitato modo ortum habere, & non ſecundum omnem materiæ capacitatem. Sanch. de matr. to.1.l.1.diſp.9. Diana tract 6. Miſcel.reſol. 91.

Quæres 3. an certus de Voto, dubius autem de qualitate,teneatur ad ſtrictiorem? *Reſp.* quod nõ. v.g. qui vouit recitare quotidie Roſarium, dubitat tamen an vouerit integrum , poteſt eligere dicere tertiam partem. Sic Suar. de relig.to.2.l.4.c.8.n. 5. item qui vouit religionẽ , dubitat tamen an vouerit ſe profeſſurum,poteſt non profiteri. Suar.vbi ſup.n.7. item qui certus eſt ſe vouiſſe caſtitatem, aut perpetuam,aut temporalem, ſed immemor eſt verborum,ad ſolam temporalem obligatur.Sanch. in Sum.to.1.lib.4.c.13.n.16.& ſeq. Item qui certus eſt de voto, dandi Eccleſiæ aliquas tritici menſuras dubitat tamen an intellexerit de maioribus vel minoribus, poteſt minores eligere ex conſuetis in eo loco.ita Val.to.3.diſp.6.q.6. de voto puncto 4. verſic.2.circunſtantia à vouente &c. niſi ſit aliqua

ratio verisimilius esse suadens, vouentem voluisse se obligare ad maiorem mensurã. vnde si quis voueret se largiturum Ecclesiæ calicem, non satisfacit si det æneum, vel stanneum, sed tenetur dare argenteum, vel aureum, nam in tali voto intelligitur calix aptus diuino cultui, & secundum Ecclesiæ consuetudinem, non tenetur tamen dare totum calicem argenteum, vel aureum, sed sufficit si sola superior cuppa aurea, vel argentea sit, quia talis calix est etiam aptus cultui diuino, ex vsu multarum Ecclesiarum. Item qui vouit dare panem pauperibus, sufficit eis dare panem vsitatum, nisi constaret de alia intentione vouentis. Suar. loc. cit. c. 8. n. 9.

Quæres 4. an qui dubitat, si dum voueret expleuerat septenniũ, teneatur ad votũ? *Resp.* quod non. ita Malderus in 2.2. tract. 10. c. 5. dub. 1.

Quæres 5. an qui non omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinat, vt votum emiserit, & sic suspicionem voti habet, teneatur ad votum, aut saltem ad maiorem illius partem pro ratione huius maioris propensionis? *Resp.* nec teneri ad votũ, nec ad vllam illius partem. Sic Sanch. in Sum. to. 1. l. 1. c. 10. n. 36. & alij multi.

Quæres 6. an qui est certus se votum castitatis emisisse, dubitat tamen an habuerit animum se obligandi, teneatur seruare castitatem, & votum illud sit Pontifici reseruatum? *Resp.* teneri ad castitatem, sed non esse huiusmodi votum Pontifici reseruatum, Suar. loc. cit. l. 6. c. 26. n. 6. quod etiam dicendum est quando quis votum emisit post septennium, dubitat vero an tunc vsu rationis præditus fuerit.

Quæres 7. an qui dubitat se vouisse peregrinationem aliquam, & post multum tempus non im-

pleuit, nec vult implere, sit absoluẽdus? *Resp.* quod sic. quia in eo casu non astringitur voto. ita multi Doctores apud Dianam, tract. 3. Miscel. res. 45.

Quæres 8. an quando non potest votum integrè impleri, teneatur vouens ad partem quæ potest impleri? *Resp.* teneri in duobus euentibus, primus est quando animus fuit se obligandi ad partem, in euentum quo non posset præstare totum, vt si vouisti extruere templum, eo animo vt si non posses totum, saltem te ad partem astringeres, prout facultates ferrent. 2. si dubium sit de animo, consideranda est conditio rei ad quam te obligasti, quæ si talis est vt obligatio ad eam more recepto soleat diuidi, teneris ad partem: si autem non solet diuidi, non teneris ad partem, si nõ possis præstare totum. vt si vouisti ieiunium per totum annum, etiam si non posses nisi tertia parte anni ieiunare, tamen teneris pro illa parte, quia hæc obligatio solet diuidi, tanquam ad diuersa opera per se completa, vt patet in obligatione ieiunij quadragesimalis, imposita ab Ecclesia: si vouisti recitare septem Psalmos pœnitentiales, aut Officium defunctorum, & non possis totum recitare, non teneris ad partem, quia hæc obligatio non solet diuidi: secus de eo qui vouit recitare Horas Canonicas, quia qui non potest omnes, debet partem soluere, quia hæc obligatio solet diuidi. Less. c. 40. dub. 7. n. 34.

CAPVT IV.

Qui possint vouere?

DIco 1. qui sunt sui iuris, & satis maturo iudicio præditi, possunt se votis obligare. hoc est certum apud omnes.

Dico 2. nullus subditus, potest firmiter se voto obligare, in his quibus subiacet potestati alterius, absque illius consensu. ita D. Th. 2. 2. q. 88. art. 8.

Quæres 1. an religiosus possit vouere, sine Abbatis expresso, vel tacito, consensu? *Resp.* quod sic, dummodo vouentis animus non sit promissa præstare, contra Abbatis siue alterius superioris volũtatem, aut cum eius incommodo. ita Syl. verbo. votum 3. q. 3. & alij. Hinc sequitur, vota religiosorum quæ persolui possunt absque regularis instituti detrimento, esse firma & valida, etiam si facta sint sine superioris consensu expresso vel tacito, dũmodo sic vouentes non habeant animum contra suorum superiorum voluntatem, aut regulę obseruationẽ, veniendi. Syl. vbi sup. Nau. c. 12. n. 67. sequitur 2. religiosum qui aliquid vouit quod non est regulis aut constitutionibus prohibitum, nec vlli præcepto aduersatur, nulla lege, iureue, cogi id superiori aperire, & proinde debere votum implere cum potest, quousque illud superior rescindat, & irritum reddat: si vero quidpiam vouerit ex numero eorum, quæ regulæ constitutionesque prohibent, debet superiorem de voto

certiorē facere, nisi probabiliter crediderit, illum id acceptaturum, & ratum habiturum, & tunc potest iure illud exequi, alioquin minimè, quoniam huiusmodi voto tacita conditio subest, si superiori placuerit. Sotus de iust l. 7. q. 3. art. 1. dub. 2. & alij.

Quæres an liceat filio familias aliquid vouere? *Resp.* nihil posse eorum vouere quæ debitam domus ac familiæ administrationem impediunt, cætera verò posse, & licet ante pubertatis annos, votum simplex religionis aut castitatis emittere, possit, Pater tamen habet ius irritandi illud. ita D. Th. 2. 2. q. 88. art. 8. & alij.

Quæres 3. an liceat vxori aliquid vouere sine viri consensu? *Resp.* quod sic, dummodo quod vouet non impedrat coniugij obsequia, & onera, vel viri, potestati, aut authoritati, aliqua ex parte non officiat, quod si in aliquo noceat marito, non potest absque illius consensu tacito, vel expresso, vouere: ita omnes Doctores communiter, quod idem dicendum est de viro, si detrimenti aliquid inde vxor patiatur, vt dicetur apertius capite sequenti.

Caput V.

De votorum irritatione.

QVinque modis potest tolli votum, 1. desitione materiæ, vt si quod erat antea legitima materia voti, desinat esse talis, vel absolutè vel respectu vouentis, vt si fiat impossibilis, si mala, si maioris boni impeditiua, si indifferens, si inutilis.

2. tollitur desitione conditionis, vt si factum est casu quo euenerit vel duret certa conditio, & illa non eueniat, vel desinat. 3. tollitur dispensatione. 4. commutatione. 5. irritatione. de dispensatione, & commutatione, postea sumus acturi, in præsentiarum vero de irritatione, quæ fit quando superioris, ciuilem, vel profanam authoritatem habentis, potestate, votum aufertur, hoc ita posito.

Dico 1. omnia illorum vota irritari posse, etiam sine causa, qui alteri perfectè, & in omnibus, vel saltem quoad materiam quam vouerunt, subiecti sunt, nec peccat is qui sine causa votum irritat, teste Syluestro verb. votum, 4. q. 2. & votum semel irritatum non reuiuiscit postea, etiamsi superior suam irritationem retractet, quia obligatio, per veram irritationem, non suspenditur, sed extinguitur.

Dico 2. omnia religiosorum vota possunt irritari à superioribus. Ita Nauarr. c. 12. n. 65. & alij Doctores, tam Theologi, quam Summistæ: vnde sequitur Monialium Superioriſſas, seu Prælatas, posse vota suarum subditarum irritare, quæ bono totius familiæ, & gubernationi nocent. sic Azor 1. part. l. 11. c. 18. q. 3.

Dico 3. non possunt superiores irritare votum religiosi de transeundo ad arctiorem religionem. sic Less. cap. 40. dub. 13. n. 75. quia iura concedunt hunc transitum, etiam inuito superiore, ac proinde non intendunt tale votum illius arbitrio constituere, puto tamen quod petente, vel consentiente religioso, posset superior annullare.

Dico 4. superiorem posse adhuc, ex causa, irritare vota subditi, postquam consensit, & si sine iusta

causa id faciat, peccabit quidem mortiferè, sed valebit irritatio. Less. loc cit. n. 76. nihilque peccabit is qui vouit non præstans promissa. Azor. loc. cit. q. 6.

Dico 5. pater potest irritare omnia vota personalia, etiam religionis, aut castitatis, facta à filio, ante decimũ quartum annum, vel à filia ante duodecimum, vt constat ex cap. 1. de regularibus in 6. at vero vota post illud tempus ab eis facta nequeũt dissolui à patre, si personalia sint, & in nullo patris iuri potestati, & domesticæ gubernationi obsistũt: quod si officiant, potest relaxare, & quod dico de Patre, idem dicendum de Tutore non autem de Matre, quæ nec viuente patre, nec eo mortuo, filiorum vota potest annullare, nisi sit eorum tutrix, aliqui etiam dicunt, eamdem potestatem habere magistros, & heros, si pupillus careat parentibus, & tutore.

Dico 6. si filius familias emiserit votum religionis, aut aliud personale, ante decimum quartum annum, & illud pater non relaxauerit ante id temporis, esse adhuc penes patrem authoritatem illud dissoluendi, exacto pubertatis anno dummodo post elapsum dictum annum factum antea votum filius familiàs denuo non confirmauerit, ita Nauarr. c. 12. n. 71. & alij. tunc autem dicitur denuò confirmare, non quando illud credit esse ratum, & firmum, aut proponit seruare, sed cum illud redintegrat, ac repetit.

Dico 7. patrem posse etiam irritare vota personalia, quæ filius ante pubertatis annos nuncupauit, cum intentione ea persoluendi, cum annos pubertatis persoluerit, & excesserit. ita Sylvest.

Digitized by Google

verbo votum.4.q.2.verſic.5.& alij, quod idem dicendum eſt de Tutore.

Dico 8.vota realia filiorum irritari poſſunt (niſi forte habeant caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia) non ſolum à parente, ſed etiam à Tutore, aut curatore vſque ad vigeſimum quintum ætatis annum. quia ante illud tempus non habent adminiſtrationem. Ita Sylueſt. loc. cit. ſecus eſt tamen de votis realibus, relatis in tempus quo erunt ſui iuris, quia non officiunt adminiſtrationi curatorum, & habent perfectum rationis vſum ad vouendum. ſic Azor.loco citato quæſtion. 8. & alij comuniter.

Dico 9.maritum irritare poſſe omnia vota vxoris conſtante matrimonio emiſſa, & pro tunc implenda, ſi abſque eius licentia facta ſint.ita Sanc. lib.9.de matrim.diſp.39.n.5.cum multis aliis quos ibidem citat.Ex quo infertur.1.poſſe maritum irritare votum caſtitatis conſtante matrimonio ab vxore ſine ſua licentia emiſſum, & pro tunc implendum, eſto votum ſit caſtitatis abſolutæ. ita Sanch.loc.cit.n.11. & 12.infertur 2.maritum poſſe irritare votum de rebus neceſſariis, ſeu præceptis, vt de non mentiendo,non fornicando,&c. infertur, 3. maritum poſſe irritare vota vxoris ſine ſua licentia emiſſa, implenda tempore ſoluti matrimonij,licet ſit votũ caſtitatis.ita Sanc.loc.cit.n.18. quod idem ſequenti numero 19. affirmat de voto religionis ingrediendæ, tempore ſoluti matrimonij implendo,ſiue factum ſit matrimonio conſummato,ſiue non conſummato.dixi (tempore ſoluti matrimonij implendo)quia ſi illud votum ſit emiſſum ab vxore poſt initum matrimonium,& ante illius conſummationem pro tunc adimplendum

nullo modo poteſt irritari à marito vt ait idem auctor loc.cit. infertur 4. hæc omnia vota conſtante matrimonio, ſemel à marito irritata non reuiuiſcere ſoluto poſtea matrimonio, quia ea vota aut irritantur ratione dominij in voluntatem, aut ſaltem dominij in materiam. ita Sanch. loc.cit. n. 36. 37. & 38.

Quæres 1. an poſſit maritus irritare votum caſtitatis de ſua licentia ab vxore emiſſum? *Reſp.* poſſe ſi tamen id faciat abſque iuſta cauſa peccabit quidem mortaliter ſed non erit irritatio inualida. ſic Sanch. diſp. 40. n. 17.

Quæres 2. an poſſit maritus irritare vota vxoris ante matrimonium emiſſa? *Reſp.* 1. non poſſe proprie irritare, ſed tantùm ſuſpendere. ita Leſſ. lib. 2. cap. 40. dub. 15. Sanch. loc.cit. diſp. 39. n. 23. vnde fit vt ſoluto matrimonio hæc vota reuiuiſcant vt notat idem Sanch. n. 39. *Reſp.* 2. ſi mulier cum voueret erat impubes vel votum erat tale vt à parentibus vel Tutore poſſet irritari, etiam tunc poſſe ea vota irritari à marito, & ſi carebat parentibus vel tutoribus cum voueret, maritus contracto matrimonio adhuc poterit irritare, modò ipſa tunc temporis cum ſibi obligationem imponeret fuerit in ea ætate, in qua filiorum vota à Parentibus, Tutoribus, vel Curatoribus irrita reddi poſſunt. Leſſ. loc.cit. n. 92. & 93.

Quæres 3. an vota ab vxore tempore prioris matrimonij facta, quæ prior ipſe maritus non irritauit cum tamen poſſet à ſubſequente marito poſſint irritari, ſi abſque prioris licentia emiſſa ſint? *Reſp.* quod ſic. quod idem dico de votis ab vxore factis de licentia prioris mariti, ea nimirũ poſſe à ſecundo marito irritari: de quare legen-

dus Sanch.loc.cit.tota disp.41.

Dico 10. vxorem posse irritare vota sui mariti, quatenus eius iuri officiunt: quod si non obstent, non potest, hinc potest irritare votum de non petendo debito, ita D. Thom. in 4. dist. 32. q. vnica art.4.ad 1.Nauarr.c.12.n.60. & alij, item si vouit gestare habitum religiosum, si longa ieiunia, si cubare humi, præsertim ad longum tempus, si longas peregrinationes absque graui causa, potest vxor irritare, sic Less.loc. cit. n.98.

CAPVT VI.

De voti commutatione, & dispensatione.

COmmutatio voti fit, quando obligatio voti ab vna materia in aliam transfertur, authoritate superioris, vel est condonatio quædam voti, cum onere, vt loco prioris obligationis, suscipias aliam: dispensatio vero voti fit, quando authoritate Ecclesiastica quis omnino à voto absoluitur. hoc ita posito.

Dico 1. potest quiuis propria authoritate, proprium votum commutare in id quod est euidenter melius. ita omnes Doctores.

Dico 2. potest etiam commutatio voti fieri, propria authoritate, in id quod est æquale, dummodo euidenter constet esse æquale, licet tutiùs sit vt non fiat sine authoritate superioris, vel consensu prudentis Confessarij. ita Less.loc.cit.dub.16.num. 105.

Digitized by Google

Dico 3. quando quis commutat votum in melius, siue propria authoritate, siue superioris, nulla requiritur causa. ita sentiunt omnes. quod idem quidam dicunt quando propria authoritate, commutatur in euidenter æquale, & ita sentit Diana, tract. 5. Miscel. resol. 25 quod si dubitatur an sit æquale tunc requiritur authoritas superioris: sed iusta, & sufficiens commutandi ratio erit, notabilis aliqua molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentis, vel mariti, vel simile quiddam, quod prudens æstimabit. ita Less. loco citato numero 110.

Dico 4. quando votum commutatur virtute priuilegij. potest in aliquid minus transferri, quia tunc parua dispensatio admiscetur commutationi. ita Less. loc. cit, num. 109. hinc infert Diana loc. supra cit. posse regulares gaudentes priuilegiis mendicantium, commutare vota sæcularium, in opus minus, nec debere Confessarios multum scrupulo agitari, num opus in quod votum commutatur, sit omnino æquale, eo quod hæc æqualitas non debeat esse mathematica, sed solùm moralis, quæ propterea relinquitur arbitrio boni viri.

Dico 5. qui commutat votum in æquale sine iusta causa, peccat tantum venialiter. ita Sanch. in Sum. to. 1. l. 4. c. 51. n. 15.

Dico 6. quicumque habet potestatem dispensandi vota; habet etiam potestatem commutandi, non tamen è contrario. ita Sotus l. 7. de iust. q. 4. art. 3. & qui habet potestatem dispensandi & commutandi vota, potest etiam in iuramentis dispensare. ita Diana tract. 5. Miscell. resol. 25. quam etiam probabilem vocat Less. cap. 40. dub. 16. n. 108.

Dico 7. Summum Pontificem posse commutare, & dispensare omnia vota omnium Christianorum vbique degentium. ita Azor part 1. lib. 11. c. 19. q. 4. & c. 20. q. 2. Episcopi vero & qui habent iurisdictionem Episcopalem, vel *quasi Episcopalem, possunt dispensare, & commutare vota suorum subditorum hinc est quod Prælati religionum possunt dispensare, & commutare vota suorum religiosorum, dummodo non sint Romano Pontifici reseruata.

Quæres quæ nam sint vota Romano Pontifici reseruata? *Resp.* communiter assignari. quinque, primò votum religionis, 2. votum castitatis perpetuæ. 3. votum peregrinationis ad limina Apostolorum. 4. votum B. Iacobi in Compostella. 5. votum Hierosolymitanum seu vltramarinum.

Dico 8. Episcopum posse aliquando dispensare in voto castitatis perpetuæ. 1 si aliquis habens votum castitatis simplex, contraxit & consummauit matrimonium, tunc ob periculum incontinentiæ potest dispensare vt petat debitum: imò si nondum consummauit, quidam existimant ob idem periculum, posse dispensare vt consummet matrimonium petendo debitum. ita Sotus disp. 38. q. 2. a. 1. plus addit Ang. verb. impedimentum matrimonij 3. n. 2. posse matrimonium consummare reddendo debitum sine dispensatione, & cum dispensatione etiam petendo, hic tamen mortuà coniuge, tenetur seruare castitatem, nec potest conuolare ad secundas nuptias, quia prius votum non fuit omnino extinctum. 2. si coniuges post contractum matrimonium, de communi consensu, vouerunt castitatem, & postea idem periculum incontinentiæ, vtrique vel saltem alteri eorum, ingruat,

poterit

poterit Episcopus dispensare ad petendum,& reddendum debitum,superstes tamen debebit seruare castitatem.Ang.verb.votum 4.n.9.

3. Si votum castitatis sit metu emissum,licet non omnino iusto, seu graui.ita Ang. vbi supra.

4. Quandocumque est magnum periculum incontinentiæ, & non est facilis recursus ad Romanum Pontificem. ita Sylvest.verbo votum.4. q. 4. & verbo dispensatio,n.15.& alij multi.quod idem dicendum est quando imminet scandalum,vel detrimentum notabile Tertij ex morâ.

5. Quando votum castitatis est pœnale, vel conditionale, etiam postquam conditio est impleta. pœnale est cum quis vouet non fornicari, sub pœna seruandæ castitatis, vel ingrediendi religionem; conditionale cum quis vouet castitatem si Pater liberetur à morbo.v.g.Tol.l.9.c.18.n.13.vbi citat pro hac sententia victoriam:eandem tenet Sancius l.8.disp.10.numero 13. & Less.loc.cit. numero 131.probabilem vocat,licet eam non amplectatur.

6. Si votum fiat disiunctiuè hoc modo, voueo castitatem, vel ieiunium perpetuum, tunc enim potest Episcopus dispensare, & quod dico de voto castitatis,idem etiam dicendum, iuxta Tolet. loc. cit.de votis aliis Summo Pontifici reseruatis.

Dico 9. Summum Pontificem posse dispensare cum religiosis in votis solemnibus paupertatis,castitatis, & obedientiæ,dummodo subsit iusta causa. ita Less. dub. 19. num.141. & 142. Valent. tom. 3.disp.6.quæst.6. punct. 7. & alij multi Theologi apud illum.vnde notat Less. loc. cit. Alexandrum 3. dispensasse cum Nicolao Iustiniano monacho vt vxorem duceret. item cum Rege Aragoniæ

etiam professo, & Cœlestinus 3. authore Platina, dispensauit cum Constantia filia Regis Siciliæ Moniali professa, vt nuberet Henrico 4.

Dico 10. Episcopum dispensare posse in votis non fornicandi, non petendi debitum, seruandi castitatem ad tempus, non nubendi, suscipiendi sacros ordines, item in qualitatibus quibusdam, substantiæ voti reseruati adiunctis: vt si vouisti ingredi religionem strictam, potest commutare, & dispensare, vt ingrediaris laxiorem. ita omnes Doctores.

Dico 11. Prælatos omnes, nullis exceptis, qui possunt in votis suorum subditorum, & inferiorum, dispensare posse etiam in propriis votis: itaque Papa, Episcopi, Abbates Exempti, habentes iurisdictionem Episcopalem, itemque Superiores Regularium, non solum Generales, & Prouinciales, sed & qui comientui præsunt, vt Priores, Gardiani, Præpositi, Rectores, imò etiam Vicarij, Vicepriores, Vicerectores, & alij qui in absentia aliorum regunt, possunt secum in propriis votis dispensare directè, quia hi omnes habent iurisdictionem quasi Episcopalem. ita Fumus, verbo Monachus, n. 9. Sot. l. 1. de iust. q. 6. a. 1. Syl. verbo. lex n. 14. in fine, & alij multi tam Theologi quàm Summistæ.

Dico 12. parochos non habere potestatem, ne quidē in articulo mortis, dispensandi aut commutandi vota, præsertim in id quod notabiliter minus est, quia non habent Iurisdictionem in foro externo. Sylvest. verb. votum, 4. n. 3. 5. septimum.

Dico 13. Confessarios ordinum Mendicantium,

posse ex priuilegio Summi Pontificis, dispensare, in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas, (id est, quadraginta milliaria italica) vt patet ex compend. fratrum minorum num. 115. imò etiam in hoc voto dispensant ex priuilegio Mart. 5. Benedictinis concesso. Nauarr. cap. 12. n. 79. Azor. p. 1. l. 11. cap. 20. quæst. 20. Diana tract. 2. de dubiis regul. resol. 121. notat tamen optime Less. dub. 18. num. 134. hanc facultatem dispensandi ac commutandi in votis, non extendi ad obligationem quam testator imponit hæredi, vt verbi gratia mittat hominem ad B. Virginem Lauretanam, aut quam hæres ex voto reali ipsius defuncti contrahit, quia hæc obligatio non est immediatè ex voto, sed quasi ex contractu, nam adeundo hæreditatem, suscipit omnia onera, quæ defunctus imponit, vel quæ ipse, si realia erant, iam contraxerat.

Dico 14. vt dispensatio sit valida, requiritur vt subsit iusta causa, alioqui nulla erit dispensatio. ita Nauarr. cap. 12. num. 52. sufficit tamen vt causa bona fide, adhibito congruo examine pro rei qualitate à Prælato & subdito putetur iusta, & legitima tunc enim valebit, etiamsi fortasse deprehendatur postea, non fuisse omnino sufficiens.

Dico 15. causas legitimas dispensandi, assignari sequentes. 1. honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ. ita D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. 2. vouentis vtilitatem, magnam fragilitatem eiusdem, per quam timetur sæpè violaturus. 3. faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis (etiamsi non sit periculum violandi) inconsideratio, inconstantia

timor, aut alia perturbatio animi in vouendo. Leſſ.dub.17. num.120. vbi etiam notandum rarò vtendum pura diſpenſatione voti, quia rarò iuſta cauſa ſubeſt, vt ſine vllo onere condonetur, quare plerumque vtendum commutatione, quæ diſpenſationem mixtam habeat, & extendatur iuxta tempus voti, vel ſaltem opus aliquod ſemel vel ſæpius faciendum in compenſationem ſublati voti, eſt imponendum.

Dico 16. Confeſſarium Regularem vota conditionalia religionis, caſtitatis, & alia Summo Pontifici reſeruata, commutare poſſe etiam poſt impletam conditionem. ita Sanch. in ſum tom.1.l.4.cap. 40.n.99. & de matrim.to.2.l.8.diſp.11.n.13. & alij quos nouiſſimè citat, & ſequitur Diana tract.5. Miſcell.reſol.25.

Dico 17. qui tempore iubilæi per obliuionem, vel alia de cauſa, non curauit vota ſua commutari, vel diſpenſari, poteſt eamdem commutationem, vel diſpenſationem impetrare, etiam poſt annum, vel vt alij volunt poſt multos annos, dummodo intra tempus Iubilæi opera ad Iubilæi conſecutionem præſcripta præſtiterit. Leſſ. dub, 16.num.109. Diana tract. 2. Miſcell.reſol. 11.cum multis aliis quos ibi citat. quod idem dicendum de abſolutione, à reſeruatis quæ tempore Iubilæi fuit oblitus, quia ius acquiſiuit cuilibet ea confitendi. ita Suarez de pœnitent. diſputatione 31. ſectione 4.

Dico 18. commutationem, & diſpenſationem votorum factam Iubilæi virtute quod quis intendebat, & volebat lucrari, eſſe validam, & ſecuram in conſcientia, etiamſi poſtea non præſtiterit opera in Iubilæo præſcripta. ita tenet Diana

tract. 2. Miscell. resol. 12. & tract. 5. Miscel. resol. 25. cum multis aliis quos ibidem citat: vbi etiam notat Pœnitentem non peccare mortaliter, si omittat consultò & scienter prædicta opera in Iubilæo præscripta, & addit resol. 13. tract. 2. Miscell. hanc doctrinam esse etiam applicandam in casu quo quis obtinuisset absolutionem à peccatis, & censuris, & postea omitteret opera præscripta in Iubilæo, nec illud lucraretur, talis enim, inquit, non peccaret mortaliter, eamdem sententiam tenet Henriq. in Sum. l. 6. de pœnit. cap. 16. numero 6.

Est tamen notandum, quod talis pœnitens qui non præstitit opera Iubilæi, eo transacto, non posset virtute Iubilæi, impetrare absolutionem, vel commutationem votorum, aut casuum reseruatorum oblitorum, licet alia vota quorum habuit memoriam, & quæ Confessario propalauit, fuerint debitè commutata, & relaxata, quia cum vota oblita non sint verè sublata, & pœnitens omittendo opera Iubilæi, priuilegium in eo contentum non obtinuerit, sequitur omnino non posse à Confessariis auferri, quia commutarent illa vota sine potestate delegata.

Dico 19. omnia vota tam realia, quam personalia, siue castitatis, siue religionis, etiam peregrinationis terræ sanctæ in subsidium, itemque omnia iuramenta, optimè commutari in vota solemnia religionis approbatæ. ita comuniter omnes Doctores: Suar. tom. 3. de rel. l. 6. cap. 14. numero 5. hîc aduerte, quòd licet vt mox diximus, omnia iuramenta siue realia, siue personalia, possint commutari in vota solemnia religio-

nis approbatæ ; hoc tamen est intelligendum de iuramentis Deo præstitis, non autem de iuramentis homini factis,& ab eo acceptatis,quia ratione iuris.3. acquisiti, in melius commutari nequeunt, sine eius consensu, ac proinde nec in religionem. sic Sanch.in Sum.to.2.lib.5.c.5.n.44.& to. 1.l.3.c. 21.n.3.& alij.

Dico 20. regulares priuilegiatos posse dispensare, & commutare vota sæcularium, non tantum in foro pœnitentiali, sed etiam extra confessionem, quod etiam à fortiori locum habet in dispensationibus super irregularitatibus, iuramentis,petitione debiti, & absolutionibus à censuris. sic Diana tract. 2.de dubiis regul.resol.9. & tract. 4.de sacramentis resol. 63. cum multis aliis quos citat.& iterum tract5. Miscell. resol.25. verficulo 4. regulares.

Dico 21. qui habet potestatem ordinariam, vel delegatam commutandi aut dispensandi votum, potest etiam dispensare debitum, seu obligationem ex violatione voti contractum, vt si vouisti dare eleemosynam decem aureorum, si castitatem non serues, deinde peccasti quinquies, & ita teneris in eleemosynam dare quinquaginta aureos ; qui potest commutare votum, potest etiam illud debitum in alia opera conuertere, quia illud debitum non debetur nisi ex vi voti, & aliàs materia non est reseruata. sic Less.dub.16.n. 103.versu addo quicumque.

Dico 22. qui vouit aliquid dare, & offerre alicui Ecclesiæ,vel Pauperibus, antequam acceptetur votum à superiore, seu Rectore illius Ecclesiæ, vel ab alio eius nomine potest propria authoritate illud votum commutare, vel in melius,

Digitized by Google

vel in euidenter æquale ; & Episcopus, vel alius delegatus, ex priuilegio aliquo, in aliquid minus: post acceptationem vero non potest commutari, ne quidem in melius , sine consensu superioris Ecclesiæ, quia Ecclesiæ , ius est acquisitum per acceptationem Prælati: idem dicendum de voto largiendi eleemosynam aliquam pauperibus ante acceptationem potest commutari, secus post illam. Less. loc. cit. n. 104.

CAPVT VII.

Ad quid teneatur qui vouit ingredi Religionem?

DIco 1. qui vouit Religionem in genere, non determinando aliquam in specie , si non admittatur in vna debet tentare alias, idque ad tres vel 4. ita Sylvest. verbo religio. 2. quæst. 16. quod si in Religionibus suæ Prouinciæ non admittitur, non tenetur adire monasteria aliarum Regionum extra Prouinciam , & Regionem constituta, nisi fortè id intenderit, in dubio autem præsumendum non intendisse Sot. l. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad tertium. Sylvest. vbi supra quæst. 16. & alij apud Azor. l. 11. p. 1. cap. 23 quod si talis in probatione deprehenderit se ad hanc Religionem ineptum, ideoque fuerit egressus, tenetur probare aliam , si verisimile est illam fore accommodatiorem, secus si bonâ fide non speratur melior successus.

Dico 2.qui vouit aliquem Ordinem in ſpecie, omnem conatum debet adhibere vt in illo recipiatur, & ſi in vno loco eiuſdem Ordinis, receptus non fuerit, tenetur tentare duo, vel tria loca eiuſdem Ordinis ſi ſit ſpes receprionis, quod ſi non ſit ſpes receptionis, eſt liber à voto, nec tenetur alium Ordinem adire. Sot.l.cit.q.2.a. 1.ad 3. Tolet.l.4.c.17.

Dico 3. qui vouit ingredi quemdam locum Ordinis determinatum, ſi non recipitur in eo, aut receptus iuſta cauſa expellitur, eſt liber à voto, modò non ſit expulſus ob culpam ſuam tunc enim tenetur ſe emendare vt per ipſum non ſtet Tol.l.cit.

Dico 4.qui vouit ingreſſum alicuius monaſterij, vbi eſſentialia non ſeruantur, non tenetur ingredi ſi non ſit ſpes breui futuræ reformationis, quia eſt ei periculum peruerſionis. ita Leſſ. c.41.dub.5. num.44.

Dico 5.qui non ſolum vouit ingredi religionem, ſed etiam profiteri, poteſt nihilominus egredi, ſi poſtquam ſeriò probauit experimenta illius, deprehenderit eam vitæ rationem non ſibi congruere.ita Sot.loc cit. eamdem ſententiam ſequitur Diana tract.3.Miſcel.reſol. 10.cum multis aliis quos ibi citat: hanc quoque opinionem iudicat probabilem Leſſ. loc.cit. num. 45. cui tamen non ſubſcribit.

Dico 6.qui facto voto religionis corrumpit puellam ſub pacto matrimonij, tenetur ad eam ducendam, ſi ipſa eius votum ignorauit, quod ſi non ignorauit, non tenetur ducere, ſed ingredi, quia nullam ei infert iniuriam. ita Leſſ. c.10.dub. 4.n.32.lib.2.Sanch.de matrim.to.1.lib.1.diſp. 45. num.3.

Digitized by Google

Addit quidam Doctor modernus, quòd talis corruptor virginis potest vtrique satisfacere obligationi, nimirum 1. cõtrahendo matrimonium cum puella à se corrupta, & deinde ante consummationem ingrediendo religionem. quod an liceat ratione periculi cui se exponit, sequenti concl. explicabo: quare

Dico 7. qui habet votum religionis, peccat mortaliter contrahendo matrimonium cum intentione ingrediendi monasterium ante matrimonij cõsummationem. ita Sanch. de matr. to. 1. l. 1. disp. 43. n. 7. & 18. quod idem dico de eo qui habet votum castitatis, propter periculum violandi votum, & mutandi animum cui se exponit.

Dico 8. qui ante consummatum matrimonium, vouit ingressum religionis, non potest illud consummare, siue petendo, siue reddendo, eo tamen semel consummato, potest petere & reddere, quia votum religionis ingrediendæ, non officit vsui cõiugij: vnde si consummato matrimonio coniuges communi consensu vouerent religionem, possent nonobstante hoc voto, petere, & reddere debitum. Sic Less. c. 41. dub. 5. n. 47. & 48. quis possit dispensare in voto, diximus cap. præcedenti.

Caput VIII.

Ad quid teneatur qui vouit castitatem perpetuam?

Dico 1. qui est astrictus voto castitatis perpetuæ, tenetur abstinere à matrimonio con-

trahendo, & si contrahat, vel animo consummandi, tunc peccat contra votum, vel animo ingrediendi religionem, tunc etiam peccat contra iustitiam, decipit enim puellam, vt diximus superiori capite concl. 7. notat tamen Less. dub. 6. n. 51. licitum esse viro voto castitatis astricto, contrahere matrimonium animo ingrediendi religionem, si iusta causa subsit, vt si metu compellaris; si id facias vt proles antè susceptа legitimetur, si non possis aliter parentum custodiam euadere qui te continent ne religionem ingrediaris. si aliàs graue scandalum timeretur, hoc etiam tenent Sanch. l. 1. de matr. disp. 43. num. 8. Henriq. lib. 2. de matr. cap. 2.

Dico 2. qui voto castitatis obstrictus, matrimonium contraxit, non potest consummare matrimonium petendo debitum, potest vero reddendo. ita Sot. in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. & alij multi. vnde sequitur 1. quòd consummato matrimonio, talis nunquam potest petere debitum, quamuis teneatur expressè, vel tacitè petenti reddere. ita Nau. c. 16. n. 30. sequitur 2. quòd si coniux adulterium committat, tenetur alter qui votum castitatis habet, non reddere amplius illi debitum, sed perfectè seruare suum votum. sequitur 3. quòd si is qui emisit votum castitatis petat debitum à consorte, quamvis petendo peccet mortaliter, teneri tamen coniugem reddere, quia potestatem sui corporis non habet, sed coniux, sic Less. loc. cit. num. 35. sequitur 4. quod si obierit coniux, tenetur absolutè seruare castitatem, nec potest alteri rursus connubio iungi.

Dico 3. si votum castitatis vel religionis præcedat sponsalia, ea sunt irrita, & nulla, esto sint

Digitized by Google

iuramento firmata: si vero factis sponsaliis, alter sponsorum emittat votum, simplex religionis, aut Castitatis, tenent sponsalia, nec dirimuntur per illud votum illis superueniens, ideoque illo non obstante sunt implenda. ita Nauar. cap. 21. num. 17. & alij multi. Fauet Less. loc. cit. num. 54.

Dico 4. si consummato matrimonio, vterque coniux ex mutuo consensu per modum pacti, voueant continentiam, valet tale votum, & neuter poterit petere, vel reddere debitum, poterunt tamen alter alteri hanc renunciationem validè condonare, & ius pristinum in corpus restituere, quamuis in hoc graue sacrilegium committant contra votum, eritque illa condonatio, & iuris restitutio valida. Sic. Less. loc. cit. num. 56. & quamuis in hoc casu neuter possit petere debitum, tenetur tamen petenti vterque reddere, sicut cum seorsim vouerunt; tunc enim eorum votum ad similem statum est redactum: si tamen contingat maritum mœchari, vxor non poterit ei amplius reddere debitum, quia ille rursus ius petendi amisit, & ita tenetur ipsa suum votum integrè seruare, sicut priùs, antequam restituisset viro ius illud quo ipse vouendo cesserat.

Dico vltimò, si vir & fœmina simplici voto castitatis obstricti, matrimonium contraxerint, non possunt illud consummare petendo, aut reddendo, sed debent confugere ad dispensationem, & si consumment illicitè faciunt, & toties peccant mortaliter, quoties vtuntur coniugio, siue petendo, siue reddendo. Sic Azor.

lib. 11. cap. 22. quæſt. 5. quia vterque eſt priuatus iure petendi, & reddendi. Syl. verbo matrim. 7. quæſt. 5. & 6. Sot. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. quis poſſit diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis, & in iure petendi debitum, diximus ſup. cap. 6. & hæc de votis ſatis. qui plura voluerit, legat Suar. tom. 3. & 4. de relig. Azo. l. 12. 1. p. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. c. 41. & alios.

Digitized by Google

TRACTATVS SEXTVS, DE BENEFICIIS.

CAPVT I.

Quid Beneficium, & quotuplex?

DICO 1. Beneficium eſt ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis Deo dicatis, propter officium ſpirituale, auctoritate Eccleſiaſtica conſtitutum. ita Leſſ. l. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 1. vnde conſtat in beneficio eſſe tria, primum eſt officium ſeu obligatio qua quis tenetur aliquam functionem ſpiritualem obire, vt recitare preces Horarias, facere ſacrum, concionari, adminiſtrare Sacramenta, quæ omnia ſunt ſpiritualia, non tamen ſunt beneficia, ſed fundamenta beneficij, vnde vulgò dicitur quod beneficium datur propter officium.

Secundum quod in beneficio reperitur est ius percipiendi fructus certos ex bonis Ecclesiasticis, & hoc ius est propriè beneficium; nasciturque ex officio tanquam ex causa, dicique solet præbenda, ex quo patet beneficium esse quid spirituale, quia oritur ex re spiritali, nempe ex spiritali officio in quo fundatur, & cui inseparabiliter est annexum. vt docet Hostiensis in cap. relatum 9. de præbendis, Ioan. de Sylua, de beneficiis q. 1.

Tertium sunt ipsi fructus qui sunt quid temporale, percipiendum ex bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis.

Dico 2. beneficium est multiplex. nam aliud est quod habet curam animarum, & Iurisdictionem exteriorem, vt Episcopatus, Abbatiæ aliquæ, & Prioratus; aliud quod neutrum habet, sed tantum officium diuinum, vt beneficium simplex, Capellania, Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ Sacellania, altaria; aliud est habens iurisdictionem, sed non curam animarum, quæ in administratione Sacramentorum consistit, cuiusmodi sunt aliquæ Abbatiæ, quæ dicuntur iurisdictionales: similiter dignitates, vt Archidiaconatus, Decanatus, quæ quandá iurisdictionem in choro habent: est autẽ dignitas præeminentia cũ iurisdictione in foro externo, secundum Panormitanũ in c. multa, de præbendis. Aliud est beneficiũ habens præeminentiam, in Ecclesia sine iurisdictione, vt Cantoriæ, & similia: Aliud deniq; est curam habẽs animarum, sed non iurisdictionem, vt beneficia quæ dicuntur curata. de his Tolet. l. 5. c. 76. Rebuff. in praxi benef. p. 6.

Digitized by Google

CAPVT II.

Quibus modis beneficium acquiratur.

DIco beneficium quatuor modis acquiri. 1. collatione. 2. resignatione. 3. præsentatione. 4. electione. Collatio dicitur quando beneficium, datur solo iure Prælati, nec subest iuri patronatus. Resignatio est cum quis vnum habens beneficium alium signat, & determinat, vt ei beneficium conferatur. Electio est cum quis offertur ordinario, vt ei beneficium conferat. Præsentatio est personę per patronũ, Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta exhibitio. Differt præsentatio ab electione, quod præsentatio fiat ab vna persona etiam laica, & in quouis beneficij genere. electio vero fiat à pluribus, vt à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimùm in Prælaturis locum habeat. Differt vero præsentatio à collatione, quod præsentatio vt diximus potest fieri per laicos, & solùm tribuit ius ad rem, seu ius imperfectum; collatio vero solùm fieri possit per Ecclesiasticos, & dat ius in re, seu ius perfectum.

Quæres 1. quid sit ius patronatus? *Resp.* esse potestatem præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. dico (vacans) quia si non vacaret, præsentatio esset nulla. vt docent cõmuniter omnes Doctores.

Quæres 2. quibus modis acquiratur ius Patronatus? *Resp.* pluribus & 1. acquiritur, si quis Ecclesiæ construendæ fundum concedat. ex cap. nobis,

de iure Patronatus. & cap. quicumque, & cap. decernimus 16. q. 7. 2. si eam consensu Episcopi construat. 3. si eam dotet, vel beneficium aliquod erigat, colligitur ex iisdem Canonibus, & ex Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 9. 4. multiplicatis præsentationibus per tempus quod memoriam hominum excedat. ita Conc. Trid. suprà. 5. concessione Pontificis, & hoc modo hodie Principes sæculares ius habent nominandi, & præsentandi in multis Ecclesiis, præsertim Episcopatibus, & Abbatiis. Less. loc. cit. dub. 5. vbi notat, si plures concurrant ad donationem fundi, vel donationem Ecclesiæ, vel beneficij, omnes fore Patronos, ac proinde omnes debere præsentationem facere. vt colligitur ex Canonibus supra memoratis, tenetur autem Patronus præsentare idoneum, & præsentato digno, tenetur Episcopus conferre. & potest compelli ex cap. Pastoralis. 29. de iure Patronatus.

Quæres 3. quis possit conferre beneficium? *Resp.* Summum Pontificem esse generalem collatorem omnium beneficiorum in quauis diœcesi: Episcopum vero in sua diœcesi esse proprium collatorem omnium beneficiorum illius, nisi ex fundatione beneficij, vel legitima præscriptione, hoc ius alteri competat v. g. Capitulo, Decano, Præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico. Less. loc. cit. dub. 10.

Quæres 4. an Capitulum, sede vacante, vel Episcopo suspenso, possit conferre beneficia quæ ad liberam Episcopi collationem pertinebant? *Resp.* non posse de iure communi conferre, nec ad ea præsentare, vt docet Ioan. Andræas in cap. vnicum, ne sede vacante, in 6. potest tamen Capitulum;

pitulum tunc instituere præsentatum à Patronis, quorum institutio ad Episcopum pertinebat cap.1. de instit. in 6. item conferre potest ea quorum collatio communiter erat Capituli, & Episcopi. cap. si ad Episcopum, ne sede vacante in 6. secus dicendum si collatio erat solius Episcopi, etsi ex consilio Capituli, vide Rebuff. loc. cit. §. de denunciationibus.n.70. & sequentibus.

CAPVT III.

Quænam qualitates seu conditiones requirantur in eo cui debet conferri Beneficium?

RESp. & dico multas requiri conditiones, & 1. requiritur vt sit Clericus, id est, saltem tonsurâ clericali initiatus; & si beneficium ex institutione requirat certum ordinem, qui illo caret, est inhabilis ad illud beneficium. ita communiter Doctores, ex cap. cum adeo, 17. de rescriptis. & cap. ex litt. 6. de transact. Panormit. in cap. dudum 1. de elect. existimat tamen Less. c 34. dub. 19. n. 96. longam consuetudinem posse illum rigorem temperare, & introducere, vt quamuis beneficiarius secundum mentem fundatoris debeat esse Subdiaconus, aut Sacerdos, sufficiat si sit Clericus dūmodo intra annum fiat Subdiaconus, & transactis studiis fiat Sacerdos. idem docet Emm. Sà verbo beneficium n. 27. vbi etiam adducit Nauar. quòd si sit beneficium Parochiale, tenetur ordinari ad Sacerdotium infra annū, alioqui mox elapso anno est beneficio priuatus, ita vt in conscientia teneatur beneficium dimittere, ante sententiam iudicis. col-

ligitur ex cap. licet canon. poterit tamen ex dispensatione Episcopi differre Sacerdotium vltra annum, & ratione studiorum etiam vsque ad septennium, modò intra annum fiat Subdiaconus, & si non fiat Subdiaconus intra annum, ipso facto est priuatus Ecclesia : similiter si expleto septennio studiorum, non fuerit intra annum factus Sacerdos : ita colligitur ex cap. cum ex eo de elect. in 6. hanc autem facultatem dispensandi, non esse ablatam Episcopis, existimat Nau. apud Less. loc. cit. n. 104.

2. Vt beneficiarius sit dignus, requiritur vt sit ex legitimo matrimonio natus. cum illegitimo dispensare potest Episcopus, vt suscipiat minores, & sit capax beneficij simplicis. Tolet. l. 5. c. 79. & alij communiter.

3. Vt sit legitimæ ætatis cap. cum in cunctis extra. de elect. determinatur ætas in Episcopo vt exegerit trigesimum annum, in Curato vt attingat vigesimum quintum, & in Conc Trid. ætas aliorum beneficiorum simplicium est, vt sit quatuordecim annorum, sine hac autem ætate beneficij collatio nulla est, nisi accedat dispensatio.

4. Vt sit matrimonio solutus, nam collatio facta matrimonio iuncto, nulla est, ex cap. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis, & si Clericus habens quatuor minores contrahat matrimonium, ipso iure amittit omnia beneficia ante habita. ita communiter omnes Doctores, in cap. 1. de Clericis coniugatis. si tamen vxore consentiente castitatem voueret, & ipsa si esset iuuenis profiteretur religionē, vel si proiectæ ætatis castitatem saltem voueret in sæculo, posset admitti ad beneficium, habetur c. 2. de Clericis coniugatis.

5. Opus eſt vt nullo ſit iuris impedimento aſtrictus, cuiuſmodi eſſet irregularis, excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, &c. ita cómuniter omnes Doctores.

6. Vt polleat ſcientia ſaltem eorum quæ ad ſuum officium ſpectant, vt patet ex Conc. Lateran cap. cum in cunctis de elect. quod ſi ſit omnino illiteratus, irrita eſt electio, ſi autem aliquam ſcientiam habeat, ita vt aliquo modo poſſit ſatisfacere officio non eſt irrita, ſed poſſet irritari, niſi breui putaretur habere ſufficientem, colligitur ex cap. niſi, 10. de renunciatione.

7. Debet eſſe probis moribus, & non deditus grauibus peccatis, nec infamis. habetur cap. 7. cum in cunctis, de elect. ex Conc. Lateran. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. morum.

8. Debet eſſe aptus ad præſtandum officium, & hæc aptitudo eſt neceſſaria iure naturæ, vnde collatio facta inepto, nulla eſt. ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. hinc cæcus eſt incapax, quia preces Horarias recitare nequit, ſi tamen beneficio obtento ſuperueniat aliqua infirmitas, aut aliud impedimentum per quod reddatur ineptus ad officium, non priuatur eo ipſo beneficio, ſed poteſt eo liberè frui, ſi tamen habet curam animarum, prouidere debet vt per Vicarium adminiſtretur.

9. Vt non habeat aliquod beneficium, qui enim vnum habet, non poteſt alterum accipere ſine diſpenſatione.

10. Vt ſincerè & bona fide proponat ſtatum Eccleſiaſticum, nec velit ab eo propoſito reſilire, niſi iuſta cauſa accideret, vt v. g. in honeſtioribus familiis ſi frater primogenitus moreretur, vel ſi

opimum matrimonium ad conseruandam magnam familiam, vel ad lites extinguendas necessarium offerretur. ita Nau. c.25. n.218. qui tamen beneficium acciperet, eo tantùm animo vt eius fructibus alatur, donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, cum animo tunc deserendi, peccat mortaliter secundum quosdam. Nauar. de orat. Miscel. 44. & lib.3. consil. consil 16. de Præbendis. non tenetur tamen fructus restituere si muneri suo satisfecerit: alij tamen existimant talem peccare tantum venialiter, dummodo beneficium non habeat annexum sacrum ordinem, & suo muneri satisfaciat, quia nullum ius requirit in eo animum perseuerandi in statu Clericali, imo Canones relinquunt illi liberum transitum ad nuptias. cap. diuersis.5. & cap. Ioannes.7. de Clericis coniugatis. ita Sanch de matrim. l.7. disp.45. n.29. cui opinioni tanquam mitiori subscribo.

Qui tamen accepit beneficium Parochiale sine animo suscipiendi intra annum Sacerdotium, vt fructus per annum ex eo percipiat, postea dimissurus, tenetur fructus perceptos restituere, nisi voluntate mutata intra annum promotus fuerit, sic expressè habetur cap. commissa 35. §. cæterum. de elect. in 6. sufficit tamen intentio sincera & seria, quamuis iustam aliquam conditionem habeat, vt docet Nau. loc. cit. nam conditionalis intentio est vera intentio.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Vtrum Beneficia debeant conferri dignioribus?

EX his quæ præcedenti capite diſſeruimus, vnicuique ſatis conſtare poteſt, quis ſit indignus, dignus, dignior, vel digniſſimus beneficio conſequendo; indignus enim ille eſt, qui eſt ineptus ratione infamiæ, prauæ vitæ, ignorantiæ, morbi, vel ſimilis impedimenti, vel putatur non futurus vtilis, nec ſatisfacturus officio, poteſt enim quis cenſeri indignus, vel ratione conditionis præſentis, quæ non tolletur, vel futuræ: digniſſimus autem cenſetur, non qui doctiſſimus eſt, aut ſanctiſſimus, ſed qui, omnibus conſideratis, putatur optimè officio ſatisfacturus, Eccleſiæque futurus vtiliſſimus. quare hoc prænotato

Dico 1. nunquam licet beneficium ſcienter conferre indignis, niſi tanta eſſet inopia dignorũ, vt nullus talis inueniatur, vel ſi inueniatur, non admittatur, & beneficium foret deuoluendum ad hæreticos, vel alios magis indignos, hic enim licet abſolutè ſit indignus, tamen reſpectu aliorum qui haberi poſſunt, cenſetur dignus, vbi tamen ei beneficium collatum eſt, tenetur ſe præſtare dignum, & officio ſuo ſatisfacere, tum per ſe, tum per alium, quantum commodè poteſt, alioquin tenebitur ad fructuum reſtitutionem; & qui indignum ſcienter eligit, tenetur ſatisfacere Eccleſiæ læſæ. Emm. Sa, verbo electio. n. 7. & vt collator ſit ſecurus, non ſolum requiritur vt neſciat illum cui confert eſſe indignum, ſed debet etiam poſitiuè

scire esse dignum. ita Adrianus in 4. tract. de restit. q. de dispensatione beneficiorum.

Dico 2. qui ad Prælaturam, & alia beneficia habentia curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligit, postulat, aut præsentat dignum, omisso digniore, qui in promptu est, peccat mortaliter; non tenetur tamen restituere, ita Tol. l. 5. c. 78. n. 4. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. verũ est tamen quod si excessus non sit notabilis, sed patuus, vel non benè percipiatur, nõ erit peccatum mortale, nec erit inconueniens si digno detur, præsertim si speretur probabiliter maior futura vtilitas Ecclesiæ, quàm sit in præsenti. ita Tol. loc. cit. Sa, verbo electio. n. 13. sub finem.

Dico 3. in beneficiis simplicibus, vt Canonicatibus, Cappellaniis, Sacellaniis, Præstimoniis, &c. non videtur peccatum mortale conferre beneficium dignis, prætermissis dignioribus, modo fiat rarò. ita Less. c. 34. dub. 14. n. 66. si tamen fiat semper, erit peccatum mortale.

Dico 4. in quibusdam casibus licet conferre beneficia digno, prætermisso digniori, absque vllo peccato, primus est si beneficium dandum sit ex sua institutione alicui ex certa familia, vel oppido, vt sunt ea quæ dicuntur Patrimonialia, vel si decreto canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ; tunc aptioribus inter eos dandum est, non aliis, etsi aptioribus. cap. nullus. 13. & cap. 16. obitum. dist. 61. & cap. 19. metropolitano dist. 63.

2. Si plures sunt Electores, & paucorum vota inclinent in dignissimum, tunc si meum suffragium nihil esset profuturum digniſſimo, prodesset tamen ad euitandam electionem indigni, vel mi-

Digitized by Google

nus digni, teneor omisso digniſſimo conferre illud in dignum, vel digniorem.

3. Si aptiores reſeruentur beneficiis Parochialibus; tunc illis prætermiſſis, beneficia ſine cura quamuis opima, poſſunt conferri minus dignis.

4. Si quis beneficium ſuum in fauorem alterius reſignarit, non eſt neceſſe vt quærat digniſſimum. ita Caiet. verbo beneficium, ſic enim recepta conſuetudo habet.

5. Si fundator conſtituit vt ſi quis ex familia ſua dignus repertus fuerit, conferatur ei beneficium, hoc eſt ſeruandum, etiam in beneficio Parochiali, prætermiſſis dignioribus, docet Couar. regul. peccatum. p. 2. §. 7. fauet Tolet. l. 5. c. 78. num. 5.

6. Eſt cum Patronus laicus præſentat dignum, etiam ad beneficium Parochiale, relicto digniori, tenetur enim eũ inſtituere Epiſcopus. quòd ſi Patronus eſt Eccleſiaſticus, dandũeſt digniſſimo. hoc patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18.

CAPVT V.

An ſit licitum habere plura Beneficia?

DIco 1. eſt illicitum iure naturæ, habere plura beneficia, reſidentiam requirentia, & propterea qui habet beneficium cum cura animarum, vel dignitatem, vel perſonatum, vel officium, ſi ſecundum eiuſdem ſpeciei acceperit, obtenta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat prius, quod niſi reſiguet, ſtatim priuatur etiam ſecundo, cap. mul-

de præbendis, non tamen debet renunciare, aut dimittere secundum, ante sententiam iudicis. ita Emm. Sà verbo beneficium n.5. Less. c.34.n.140. & 143.

Dico 2. est etiam illicitum non tantùm iure Canonico, sed etiam naturali, vt quis habeat duo beneficia simplicia, licet neutrum requirat residentiam, dummodo vnum eorum sufficiat ad Clericũ commodè sustentandum, ita docet Az. p. 2.l. 6. de 4. decalogi præcepto. c.11.q.5. ex D.Th. quodlib.9. art. 10. eamdem sententiam sequitur Sotus l.3. de iust. q. 6. art. 3. Vnde sequitur 1. fieri non posse vt quis habeat plura beneficia, siue curata, vt Episcopatus, vel duas Ecclesias Parochiales, siue beneficia simplicia etiam de Romani Pontificis dispensatione, nisi adsit iusta, & rationabilis causa.

Sequitur 2. consuetudine introduci non posse, vt quis plura simul beneficia habeat, absque legitima superioris indulgentia, si quodlibet illorum sufficiat ad commodam sustentationem: ratio est, quia consuetudo contra ius naturale, vel diuinum, non valet, ita vt duo simul sint requisita, & superioris authoritas,& legitima causa.ita D. Tho.loc. cit.art.11.

Dico 3. ex dispensatione Summi Pontificis, licet habere plura beneficia residentiam postulantia,& hoc tenent communiter omnes Doctores.

Causæ iustæ dispensadi sunt potissimùm duæ,ad quas reuocantur cæteræ, prima est Ecclesiæ necessitas, vel magna vtilitas, vt si desint alij vel idonei, vel satis potentes, sic filiis Principum dantur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ aduersus hæreticos defendantur,

Digitized by Google

item si quis magis putetur profuturus absens, quam alius præsens.

2. Causa si cui viro præclaro vnum non sufficiat ad honestè viuendum 2. suum statum, & alterum possit ei sine Ecclesiæ incommodo dari; nam personæ sublimes, & litteratæ pluribus beneficiis honorádæ sunt quando vnum non est sufficiens, iuxta Concil. Lateranen. cap. de multa: sed id non debet fieri nisi propter Ecclesiæ vtilitatem.

Quod si causa iusta non sublit dispensandi, is qui obtinuit plura beneficia per dispensationem non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere, si muneri suo saltem per Vicarium satisfecit, & si non satisfecit, tenetur ad fructuum restitutionem, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas.

Quæres an sit iusta causa dispensandi cum clerico ad habenda plura beneficia, quia benè eorum fructus impendit? *Resp.* quod sic. ita Nauarr. cap. 25. num. 128. idem docet tract. de oratione & Miscell. 65.

Quæres 3. an sit etiam iusta causa dispensandi cum clerico, quòd habeat parentes, fratres, sorores, nepotes, ex fratribus, vel sororibus, indigentes? *Resp.* quod sic. Nauarr. vbi supra quia debet habere vnde sufficiat sibi, & suis.

Dico 4. sunt aliqui casus, in quibus licitum est habere plura beneficia sine dispensatione, etiam post Concil. Trid. primus est quando sunt plura beneficia etiam canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ cultum, & alterum non requirit residentiam, siue ex sui institutione, siue ex præscripta consuetudine.

Secundus si Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis,

vel dignitas sit insufficiens sustentationi, poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex, non requirens residentiam, & colligitur hoc ex Concil. Trident. sess. 24. capite 13. & cap. decimo sept. vbi etiam habetur vt possidens plura beneficia curata alterum resignet, etiamsi neutrum per se sufficiat: licet existimet Less. loco citato dub. 27. numero 143. probabile esse, si duæ parochiæ essent ita vicinæ, vt possit vnus vtrique satisfacere, & non possint facilè inueniri qui vni soli velint deseruire, posse duas eidem committi, iuxta c. 1. Clericus 21. q. 1.

Tertius si dignitati vel canonicatui accessoriè annexa sit Parochialis, quæ per Vicarium administrari solet, quia tunc parochiale annexum simplici, rationem simplicis induit.

Quartus si vnum beneficium detur in titulum, & alterum in commendam, per sex menses, etiamsi esset Parochiale, vt patet ex cap. nemo. de electione in 6. saltem cum Ordinarij dispensatione, non tamen potest dari vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam, sine iusta causa, & dispensatione Papæ, quia commenda perpetua æquiualet titulo. Nauar. c. 25. n. 126. Tol. l. 5. c. 81. & alij.

Digitized by Google

CAPVT VI.

An Beneficiarij teneantur ad residentiam?

DIco 1. quicumque habent beneficia quibus annexa est cura animarum, iure naturali, diuino, & canonico, tenentur ad residentiam, quia iure naturali, diuino tenentur ad ea præstanda quę sunt sui officij. legendum Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reform. poterunt tamen prædicti omnes beneficiarij abesse à locis suorum beneficiorum ad modicum tempus, modo iusta causa interueniat, & nullum inde detrimentum Grex patiatur, & officium suum debitè per alium implendum curent, & vt quãtum fieri potest ipsa absentia non sit temporibus Aduentus, Natiuitatis, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, & quidem Concil. Trid. loc. cit. permittit Episcopis cum supradictis conditionibus abesse quotannis à suis diœcesibus per tres menses, ad Summum, siue continuè, siue interpolatè: Parochis vero per duos menses tantum, cum iusta causa, & de licentia Episcopi, idque siue diuisim, siue continuè.

Dico 2. si præter hos tres menses Episcopi absint à suis diœcesibus, & alij Rectores animarum vltra duos à suis Parochiis, sine iusta & legitima causa, à superiore cognita, & approbata, fructus non faciunt suos pro rata temporis absentiæ, sed tenentur eos vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus

erogare, idque ante sententiam criminis declaratoriam. vt vult Tol. li. 5. c. 5. n. 2. fauet Bonac. to. 1. de onere benefic. disp. 5. p. 4. num. 7. contrariam tamen tenet Nauarr. c. 15. n. 121. cum multis aliis asserentibus beneficiarium curam animarum habentem, non teneri fructus perceptos restituere, etiamsi non resideat, ante sententiam.

Quæres quænam sint legitimæ causæ propter quas possint tuta conscientia dispensari à residentia, animarum Rectores ad longum tempus? *Resp.* reduci ad quinque, quæ sunt Christiana Charitas, vrgens necessitas, euidens Reipublicæ, vel Ecclesiæ vtilitas, debita obedientia, & quando Episcopus abest, ob munus, vel officium Reipublicæ, quod est Episcopatui annexum, ad hoc enim obligatur ex officio, sicut quando debet interesse Comitiis Ordinum, in quibus ipse primum locum obtinet: de his omnibus causis tractat latè Bonac. vbi sup. punct. 5. per totum. vbi nota quod quando his de causis absunt, semper prouidere debent suo Gregi, ne ob talem absentiam aliquid detrimenti patiatur, eapropter substituere debent idoneos ministros, qui vices suas gerant, quæ si præstiterint & cum debita licentia, Episcopi quidem Papæ, aut Metropolitani, vel antiquioris suffraganei, Parochi verò sui dioecesani idque communiter in scriptis, omnes fructus faciunt suos; secus minimè, sed tenentur ad restitutionem, vt iam dictum est, ita Bonac. vbi sup. p. 4. n. 10.

Aduerte præterea parochum qui abest 1. bimestri, iusta de causa, id tutò facere posse, absque licentia Episcopi. docet Bonac. loc. cit. n. 9. & Nau. c. 25. n. 121. & alij apud ipsum.

Quæres 2. vtrum qui ex Priuilegio Summi

Pontificis abſunt à ſuis Eccleſiis curatis, id tutò facere poſſint etiam poſt Concil. Trid. & in locis vbi eſt receptum? *Reſp.* quod ſic. quia vt ait idem Bonac. vbi ſup. p.5. num. 5. eiuſmodi priuilegium, etiamſi fuerit datum ante Concil. Trid. non eſt reuocatum, quod idem dicendum de ſtatutis à ſede Apoſtolica confirmatis, ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, ex declaratione Illuſtriſſ. Cardinaliũ, apud Garciá de benef 3.p. c. 2.n. 216.

Dico 3. Abbates, & ſuperiores Regularium non amittere ſuos fructus, ſi non reſideant, modò non habeant curam animarum ſæcularium. ita comuniter omnes Doctores, ſed debent ſtare ſtatutis ſuis.

Dico quartò qui in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones, vel alia beneficia, onus perſonale exigentia teneri ſub peccato mortali ad reſidentiam, idque iure canonico, poſſunt tamen abeſſe ex cauſa legitima per tres menſes quolibet anno, idque ſiue diuiſim ſiue continuè, & ſi vltra tres menſes abfuerint, 1. anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ ſuos fecerunt: 2. anno, omnibus fructibus quos illo anno lucrati fuerunt. ita Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. hanc autem pœnam ſoluere non debent ante ſenten tiam iudicis. ita Leſſ. c. 34. dub. 29. n. 162.

Dico 5. ſunt quidam caſus excuſantes à reſidentia beneficiarios, 1. eſt audire Theologiam, vel ius Canonicum, hoc enim excuſat ad quinque annos.

2. Eſt docere Theologiam, vel ius Canonicum, hoc excuſat quantumuis longo tempore, nec in his

duobus casibus requiritur licentia Episcopi, vel Prælati. ex cap. super specula de magistris.

3. Si duo canonici sint in obsequio Episcopi, ad Ecclesiæ vtilitatem, cap. ad audientiam, de clericis non residentibus.

4. Est obsequium Papæ ad Ecclesiæ vtilitatem, cap. cum dilectus, de clericis non residentibus.

5. Licentia legitima ex quauis alia iusta causa, iuxta Gloss. in cap. inter quatuor, de clericis non residentibus.

6. Honesta consuetudo, & immemorabilis, vt docet Nauarr. l. 3. cons. cons. 11. de præbendis: quod est intelligendum vbi Concil. Trident. non est receptum: quod, si quis absque iusta causa absit, peccat mortifere; non tamen tenetur ad restitutionem, si officio suo satisfecerit, nisi ad eam condemnetur. Nauarr. c. 25. n. 121.

Dico 6. Beneficarij qui certis solum hebdomadis tenentur choro interesse, non delinquunt, si in loco beneficij non resideant illis hebdomadis quibus diuino officio assistere non tenentur, nam cessante fine residentiæ cessat residentiæ obligatio, finis autē residentiæ est choro interesse, ad vel officium recitandum, vel ad ministerium exhibendum, ergo cum neutrum horum tenentur præstare, non tenentur etiam residere.

Quæres an Beneficiarius qui solo Iure Canonico tenetur ad Residentiam, possit validè obtinere dispensationem non residendi, à Summo Pontifice, sine causa? *Resp.* quod sic, & est tutus in conscientia, nec amittit fructus suos, quia vbi non est culpa, ibi nulla est pœna. Bonac. vbi sup. p. 3. n. 9. versu ex nostra sententia, &c.

Dico 7. Beneficiarij habentes ſimplicia beneficia quæ nullam obligationem habent præter onus recitandi priuatim officium diuinum, non tenentur in loco beneficij reſidere, ſicque declarauit ſacra Congregatio Cardinaliũ, & ita deciſum ſæpius eſt in Rota Romana, nec Epiſcopus poteſt huiuſmodi beneficiariis reſidentiã præcipere, ex declaratione ſacræ Congregationis Cardinalium. ſic Bonac. p. 3. n. 11. hinc ſequitur Capellanũ cui ex fundatione Capellaniæ ſimpliciter eſt impoſitum onus celebrãdi, nõ teneri ſub peccato mortali reſidere in loco Capellaniæ, & ſatisfacere celebrando peraliũ etiãſi dicatur in fundatione vt certas Miſſas celebret in hebdomada ſecus dicendum ſi in fundatione dicatur vt per ſeipſum celebret, quia tũc reſidere debet, vt ſatisfaciat oneri beneficij ſui.

Caput VII.

Vtrum Beneficiarij teneantur reſtituere, ſi omittant preces horarias?

Dico 1. Beneficiarij ſacris ordinibus non initiati, tenentur quotidie horas canonicas perſoluere, ſi ex beneficio fructus percipiant, per ſe vel per ſuos, ex quibus commodè ſuſtentari poſſint, ſaltem magna ex parte, alioquin excuſantur à recitatione horarum, vnde

Sequitur 1. Beneficiarios qui nec per ſe, nec per ſuos vllos fructus percipiunt, nec percepturi ſunt, dũmodo per eos nõ ſtet quominus ſint percepturi excuſari à recitatione diuini officij. ita Caiet. verb. horarũ canonic. omiſſio, & alij omnes Doctores.

Sequitur 2. etiam excusari à recitatione horarum Beneficiarios, qui habent beneficium adeo tenue, vt non sufficiat ad eos sustentandos, & non suppediter bonam partem sustentationis mediocris, v.g. quindecim vel sexdecim aureos. ita Less. c. 34. dub. 31. n. 169. alij extendunt ad viginti aureos. ita Petrus Ledesma in Sum. p. 2. tract. 9. c. 4. concl. 5. diff. 4. legendus Diana Tract. de horis canonicis, resol. 9.

Sequitur 3. beneficiarios qui habent litigiosum beneficium, vel cuius fructus sunt sequestrati, vel ab alio percipiuntur, non teneri ad recitationem horarum si non sperent se pro illo tempore quicquam habituros, secus si sperent se in lite fore superiores, & fructus illos obtenturos: idem dicendum de illis qui à residentia & perceptione fructuum impediuntur, vel periculis hostium, vel alia de causa quam ipsi non possunt tollere: Idem extendendum est ad Adolescentes qui magna parentum authoritate coguntur aceptare beneficium, & non habent animum ad statum Ecclesiasticum, & statim dimitterent si auderent, dummodò recusent percipere fructus beneficij, quia si intenderent tanquam beneficiarij percipere commodum fructuum, tunc tenerentur ad horarum solutionem. Less. loc. cit. num. 173. & 174.

Quæres an Beneficiarius, teneatur persoluere horas canonicas, statim ac beneficij collationem acceptauit? *Resp.* quod non, sed tunc debet officium persoluere, quando pacificam beneficij possessionem iam accepit, & non antèa, quia ante dictam possessionem non potest exercere iura beneficij.

ficij. hæc Diana, loc. cit. resol. 21. post. Lessium. vbi sup. n. 167. & alios quos citat.

Dico 2. Beneficiarij qui post obtentam pacificam beneficij possessionem, non recitant officium diuinum culpabiliter, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem etiam ante sententiam iudicis, pro rata omissionis officij, quamuis alio die pensum præterm:issum soluere conentur. ita communiter Doctores.

Quæres 1. an Beneficiarius qui primis sex mensibus non recitat horas canonicas, peccet mortaliter, & teneatur adaliquam restitutionem? *Resp.* peccare quidem mortaliter, sed excusari à restitutione, ita colligitur ex Concil. Lateran. sub Leone 10. cap. statuimus: & ita tenent omnes fere Doctores.

Quæres 2. cui sit facienda hæc restitutio? *Resp.* faciendam esse fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus illius loci vbi est situm beneficium, siue alterius: & si beneficiarius est pauper, potest sibi reseruare: comprehenduntur etiam nomine pauperum, parentes beneficiarij, fratres, sorores, si indigeant tam secundum decentiam personæ, quam secundum statum, quales sunt multi Nobiles. ita Doctores communiter. Diana tract. de horis canonicis, resol. 27. Less. dub. 32. numero 177. & alij.

Quæres 3. an Episcopi & alij Beneficiarij sint domini fructuum quos percipiunt? *Resp.* quod sic, vnde possunt ad libitum dispensare fructus necessarios ad congruam suam sustentationem. ita Nauarr. de redditibus quæst. 1. monit. 26. & alij apud Bonac. tom. 1. disp. 4. de obligatione beneficiariorũ circa beneficiorum fructus p. 1. & 2. quod

si plures habeant fructus quam sint necessarij ad honestam sustentationem, sint que superflui eos in pios vsus erogare debent, alioquin grauiter peccant: ea propter non possunt ex bonis Ecclesiasticis ditare amicos, aut consanguineos, sed eos expendere debent in pios vsus, vt in vsum fabricæ Ecclesiæ, Religiosæ domus, & similia, & quamuis dicantur Domini fructuum Beneficiorum suorum, hoc tamen intelligitur cum onere expendendi superfluos congruæ sustentationi in pios vsus, sicut sæcularis est dominus suarum pecuniarum. sed delinquit eos in meretrices, aut in vsus à superiore prohibitos, impendendo. Bonac. loc. cit. poterunt tamen titulo Paupertatis dare fructus superfluos, parentibus, & Consanguineis indigentibus, vt dotare sororem, vel aliam consanguineam, fratrem, nepotem, vel alium cognatum, in studiis, aut arte addiscenda alere, modo reuera indigeant. Item ex iisdem filios legitimos, & spurios, alere filiamque spuriam possunt dotare, dum aliunde non habent quo illis consulant, quia sicut debent eos alere, ita etiam dotare cum dos in locum alimenti succedat. Sylvest. verbo clericus 4. q. 15. Nauarr. de spoliis, §. 19. n. 11. Reginal. l. 30. tract. 3. n. 101. & alij.

Quæres an sit idem dicendum de Religiosis in Episcopos assumptis? *Resp.* Sotum de iust. l. 7. q. 4. a. 2. ad vltimum existimare Regulares assumptos, ad ad Episcopatum, esse vere dominos fructuum suorum beneficiorum, ideoque non teneri ad restitutionem, si in superfluos, & inutiles vsus expendant eos, instar cæterorum beneficiariorum sæcularium, licet mortaliter peccent, quia eximuntur

à voto Paupertatis : eamdem ſententiam defendit Vaſq. in p. 2. quæſt. 96. art. 4 diſp. 165. cap. 8. num. 91. & num. 104. & alij apud Dianam tract. 2. de dubiis Reg. reſol. 50. quam etiam ipſe amplectitur & ego. ibi quoque notat Religioſos ex ſtatu religioſo ad munus Epiſcopale euectos, non incurrere excommunicationem, ſi omittant habitum ſuæ religionis, & aſſumant exteriorem Epiſcopalem tunicam.

CAPVT VIII.

An clerici Beneficiarij lucrentur diſtributiones, ſi non aſſiſtant choro, vel ſi aſſiſtant quidem, ſed non Cantent?

DIco 1. Beneficiarij qui abſunt à Choro, vel ratione infirmitatis, vel ratione iuſtæ & rationabilis corporeæ neceſſitatis, vel ratione euidẽtis Eccleſiæ vtilitatis, lucrantur omnes ſuas, diſtributiones. hoc probatur apertè ex cap. vnico, de clericis non reſidentibus. vbi poſtquam ſancitum fuit abſentibus denegandas eſſe diſtributiones, hæc verba ſubiunguntur : (exceptis illis quos infirmitas ſeu iuſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret) ſupple à choro.

Hinc colliges diſtributiones dandas eſſe abſentibus à choro, vel ratione podagræ, vel febris, vel ſenectutis, vel periculi peſtis graſſantis in loco vbi ſitum eſt beneficium, vel ratione infirmitatis etiam contractæ propria culpa : Item ei,

qui postquam liberatus est à febre vrbe egreditur, vt salubriori cœlo perfruatur, & validius roboretur : item qui nimium fatigatus aliquantisper se retrahit à choro, vt spiritus assumat, seque quantùm fert necessitas, recreet: item absenti ob metum grauem iniustè incussum, aut qui cum velit ad vrbem redire, aut ad chorũ accedere, metu pestis, aut alterius morbi quo cæteros infecturus timetur, tanquam morbo infectus repellitur, & abesse cogitur: item ei qui iniustè est excommunicatus, suspensus, & interdictus: item qui iniusto præcepto superioris abesse cogitur, aut priuatâ vi detinetur, aut ab hostibus capitur, nec per ipsum stat quin redeat: item qui in Ecclesiæ propriæ euidentem vtilitatem abest. dico (propriæ) quia si ob alterius Ecclesiæ, etiam Vniuersalis, , aut Cathedralis, in qua non est situm beneficium, euidentem vtilitatem absint, non lucrantur distributiones. ita Bonac tom. 1. disputat. 2. quæst. 5. p. 1. & 2. §. 2. 3. 4. & puncto tertio vbi pro se plures citat.

Sequitur 2. non lucrari distributiones, eos Beneficiarios qui iustè sunt excommunicati, suspensi à beneficio, interdicti quamdiu absunt à choro: item qui inseruiunt Papæ, aut Episcopo alia de causa, quam ob euidentem vtilitatem propriæ Ecclesiæ, nec qui abest à choro, vel ad animarum curam exercendam, esto suo beneficio sit annexa, vel vt concionetur, & legat ex obligatione rationc suæ Præbendæ Theologalis, secluso tamen priuilegio, quod illi est concessum à Gregorio XIII. dum actu legit, vel studendi aut docendi gratia, vel administrandi hospitale, vel aliam quamcumque piam causam, pro qua gerenda pri-

uilegium à Pontifice concedi poteſt : vbi tamen ſemel conceſſum eſt, ſtrictè eſt interpretandum, authore Bonacina loc.cit.p.4.quem etiam pro hac materia de diſtributionibus vtiliter conſulere poterit lector curioſus, quia diffusè & doctè pro ſuo more eam tractat tota diſp.2.

Dico 2. qui extra cauſas ſuperiori concluſione explicatas, abſunt à choro, etiamſi alioqui ex legitima & rationabili cauſa, non lucrantur diſtributiones, idque Iure Canonico : colligitur ex cap. vnico de clericis non reſidentibus in 6. item ex Concil. Trid.ſeſſ 24. cap. 12, ex quo ſequitur Canonicos qui abſunt per tres menſes ex iuſta cauſa, iuxta Concil. Trident. diſpoſitionem vbi ſupra non lucrari ſuas diſtributiones ſecluſa conſuetudine ex rationabili cauſa inducta, licet gaudeant aliis fructibus: quod idem dicendum de iis qui primis ſex menſibus non aſſiſtunt choro. Bonac. vbi ſup. q.5.p.6.n.2.

Hîc aduerte quando beneficium nihil aliud reddit præter quotidianas diſtributiones, conſuetudine introduci poſſe, vt beneficiario non intereſſenti diuinis officiis, aliquid tradatur non ob abſentiam, ſed ob alia onera beneficio annexa, tum quia iure naturæ dignus eſt mercenarius cibo, ſeu ſtipendio, ergo induci poteſt conſuetudo conformis iuri naturæ, qualis eſt illa quæ concedit abſenti ſuas diſtributiones, vel partem, tum quia huiuſmodi diſtributiones vicem gerunt fructuum, ergo ſicut fructus lucratur qui reſidet, quamuis non interſit officiis diuinis, ita etiam conſuetudine longâ induci poteſt, vt abſens habeat partem aliquam diſtributionum, quatenus vices gerunt fructuum.

Dico 3. vbi est vsu receptum vt ipsi beneficiarij recitent, & canant diuinũ officium, qui non canunt nõ merẽtur distributiones, quare si priuatim recitent, vel si cum recitatur ab aliis, confabulentur, obdormiant, aut quid aliud agant officio diuino incompatibile, non lucrantur distributiones: & si recipiant eas, restituere tenentur. Nauarr. de orat. cap. 10. n. 47. Setus l. 10. de iust. quæst. 5. a. 4. vnde etiam fit vt secluſa consuetudine non possint alios substituere, qui vice illorum cantent, quia canonicorum officium est psallere in choro vt ait concil. Basileense sess. 21. §. 3. dixi (secluſa consuetudine) quia legitima consuetudine, præsertim immemorabili, induci potest, vt quis per alium choro assistat, & per eum officium peragat, & vbi hæc consuetudo est recepta, securus est in conscientia qui per vicarium, aut alium Mansionarium, muneri suo satisfacit. sic Bonac. disp. 2. quæst. 1. p. 4. & quæst. 4. p. 5. Nauarr. l. 2. cap. 2. num. 117. & alij apud Less. n. 185. quo casu consuetudinis legitimæ potest lucrari distributiones, quamuis non psallat, modo tamen temporibus constitutis præsens sit. ita Doctores cit. ad hanc autem consuetudinem introducendam, sufficiunt quadraginta anni. ita omnes Doctores.

Dico 4. iusta & rationabili causa existente, introduci potest consuetudo permittens Canonicis absentibus distributiones, quia solo iure humano prohibentur dari absentibus à choro, vt patet ex cap. licet de præbendis, cap. fin. de concess. Præbend. cap. de cætero, & cap. vnico de Clericis non resident. & docet. Nauarr. de orat. cap. 18. numero 10. & alij ferè omnes atqui le-

Digitized by Google

gitima consuetudine, & immemorabili iuri humano derogatur, ergo vbi talis consuetudo est recepta, possunt Beneficiarij absentes ex causa legitima quæcumque illa sit percipere distributiones. hinc

Sequitur eos qui absunt ex causa legitima, per Tres Menses, secundùm licentiam Concil. Trid. frui posse distributionibus, vbi viget talis consuetudo, vt qui abest ad res familiares componendas, vel ad honestam animi relaxationem, vt elapso recreationis tempore, diuinum officium maiori cum alacritate, & spiritu iterum assumatur. Item valida est consuetudo, vt absens causa studij, vel obsequij Papæ, vel Episcopi, vel alia iusta de causa, distributiones, tempore absentiæ, capiat. de his omnibus legendus Bonac. vbi sup. q. 5. p. 6. per totum.

Caput IX.

De pensionibus.

Dico 1. pensionem esse ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. dico (ex alieno) quia nemo ex suo beneficio dicitur habere pensionem cum eius habeat proprietatem, & fructus omnes: sicut nemo dicitur habere vsum fructum in propriis bonis, sed solum in alienis.

Dico 2. Pensio est triplex, temporalis, spiritualis, & media, temporalis dicitur, quæ datur propter aliquod temporale ministerium, præstitum, vel præstandum, vt ea quæ datur viro illustri,

vel Principi, vt Ecclesiam defendat, quæ Oeconomo, vel alteri negotia Ecclesiæ agenti.

Spiritalis est quæ fundatur in titulo merè spiritali, vt ea quæ datur concionatori, vel coadiutori Episcopi, vel Parochi.

Media est quæ fundatur in solo statu spirituali, non tamen in officio spirituali præstando, vt ea quæ datur clerico pauperi, vel Parocho seni, vt se sustentet, & quæ datur causa resignationis, vel litis componendæ, hæ duæ postremæ vocantur clericales, seu Ecclesiasticæ Pensiones, quia solis Ecclesiasticis dantur, prima vero dicitur laica quia etiam datur laicis.

Dico 3. vt pensio Ecclesiastica possit obtineri, requiritur vt obtinens 1. sit clericus, ac proinde habeat tonsuram. 2. ætas eadem met quæ sufficit ad tonsuram. 3. vt non sit illegitimus. 4. vt non sit excommunicatus. 5. requiritur vt subsit iusta causa, qui enim sine iusta causa pensiones obtinent non sunt tuti in conscientia, etiamsi Pontifex cum eis dispensauerit. ita Tolet. l. 5. cap. 73. 6. requiritur potestas in constituente, seu reseruante: hæc autem est in Summo Pontifice, ad quem plenaria beneficiorum dispositio noscitur pertinere, vt habetur capite secundo de præbendis in 6. & Clement. 1. in fine vt lite pendente. Ordinarij vero non possunt pensiones constituere, nisi id sit ex priuilegio, vel consuetudine illis concessum. Less. capite 34. dub. 38. n. 205. 7. requiritur vt sit moderata. ita vt beneficiario relinquatur quantum satis est ad honestam sustentationē, præsertim si beneficiū coniunctū est cū cura animarū. vnde consuetudine receptū est, vt nō excedat tertiam partem fructuum: Teste Tolet. vbi

ſup. c. 73. 8. etiamſi beneficium cui penſio imponitur ſit iuris Patronatus laicorum, non tamen eſt neceſſarius conſenſus Patroni, quia nullum fit ei præiudicium per impoſitionem penſionis. 9. etſi penſionarius iure antiquo nõ teneretur ad aliquas preces, nunc tamen poſt conſtitutionem Pij 5. vbi eſt recepta, tenetur recitare officium B. Virginis, quod ſi omiſerit, non facit fructus ſuos, eodẽ modo quo beneficiarius Horas Canonicas omittens. vltimò penſio non eſt perpetua vt beneficium, ſed morte beneficiarij extinguitur, ſicut vſusfructus morte vſufructuarij. poſſet tamen Summus Pontifex, de poteſtatis plenitudine, efficere vt ſit perpetua, inſtar beneficij, vtque de vno in alterum transferatur. Leſſ. loc. cit.

Dico 4. penſio quæ datur ad officium aliquod ſpirituale, nec vendi poteſt nec redimi ſine labe ſimoniæ, huiuſmodi penſio eſt ea quæ datur Coadiutori Epiſcopi, aut Parochi. item quæ datur Concionatori, quia induit veluti rationem beneficij, ſolumque differt ab eo, quod beneficium ſit perpetuum, penſio non item. Leſſ. c. 35. dub. 22.

Dico 5. penſio quæ fundatur in titulo merè tẽporali, poteſt redimi, & etiam vendi, pretio ſine ſimonia, quia nec in titulo ſpiritali fundatur, nec refertur ad functionem ſpiritalem.

Dico 6 non poteſt penſio commutari cum beneficio, ſine ſimonia. Tolet. vbi ſup. c. 72.

Dico 7. ſine labe ſimoniæ poteſt etiam redimi penſio, quæ datur Parocho ſeni, non valenti amplius ſeruire, vt ſe ſuſtentet beneficio eius alteri collato, vel quæ datur pauperi Clerico ad ſuſtentationem, vel ad litem componendam, vel cõmutanti cum altero. & hoc eſt in praxi: ſolent enim

redimi huiuſmodi penſiones, conſentiente Penſionario, quinque annatis: vt ſi penſio ſit viginti aureorum, redimatur centũ aureis, quinquies enim viginti ſunt centum. Tol. & Leſſ. loc. cit. cum multis aliis.

Notand. tamen eſt quod cum quis reſignat beneficium ſub onere penſionis, non poteſt facere pactum vt conſtituta penſio redimatur, id enim apertam continet ſimoniam. ita Caiet. to. 1. opuſc. 31. reſp. 10.

Dico vltimò ſi ius antiquum ſpectemus, non eſt ſimonia aliquam ex penſionibus propoſitione ſeptima contentis, emere aut vendere. ita tenet Caiet. vbi ſup. de penſione quæ datur Parocho ſeni, quæ tamen videtur magis annexa ſpiritalibus, quàm cæteræ. Sot. tamen lib. 9. de iuſt. q. 7. art. 2. & Victoria relect. 1. de Simonia, n. 49. inclinant in contrariam ſententiam de penſione Parochi, etſi nobiſcum ſentiant de cæteris.

Digitized by Google

TRACTATVS SEPTIMVS, DE SIMONIA.

CAPVT I.

Quid ſit Simonia?

RESP. & dico ſimoniam communiter definiri ab omnibus Doctoribus, tam Theologis, quàm Canoniſtis, ſacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate, emendi aut vendendi ſeu commutandi rem ſacram ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam pro pretio temporali. ita gloſſ. in cap. 11. qui ſtudet. 1. q. 1. cuius definitionis partes patebunt ſatis ex ſolutione dubiorum ſequentium.

Dubitatur ergo 1. vtrum qui tradit pecuniam alicui ſine intentione, & voluntate deliberata illam donandi pro re ſpirituali, committat Simo-

niam? *Reſp.* quod non, ſi tradat eam pecuniam ſine intentione expreſſa aut tacita, tradendi pro ſpirituali. dico (ſine intentione expreſſa aut tacita) quia ad ſimoniæ peccatum non requiritur directa, & formalis voluntas dandi temporale pro ſpirituali, ſed ſufficit intentio implicita ſeu interpretatiua. hæc autem interpretatiua ſeu tacita voluntas adeſſe ſolet, dum tradens temporale pro ſpirituali non ducitur alio motiuo ſeu titulo honeſto, cuiuſmodi eſt titulus gratitudinis vel debitæ ſuſtentationis, ad tradendum temporale, quàm intuitu obtinendi ſpirituale. Sic Az. 3. p. c. 1 q. 6.

Dub. 2. quinam contractus ſignificentur per verba emendi, vendendi, aut commutandi? *Reſp.* comprehendi omnes contractus oneroſos qui non gratis aut liberaliter fiunt, ſed æquiualent emptioni, venditioni, pacto, tranſactioni, permutationi. Syl. verbo ſimonia, n. 1. & alij.

Dub. 3. an qui promittit aliquid temporale pro beneficio, animo decipiendi non autem emendi, vel ſoluendi, incurrat peccatũ ſimoniæ? *Reſp.* quod non. Tol. l. 5. c. 90. n. vltimo.

Dub. 4. an qui aliquod miniſterium ſpirituale exercet ſpe lucri, aut ob humanum amorem, aut preces, committat peccatum ſimoniæ? *Reſp.* quod non. quia nullum ibi intercedit pactum, nullus contractus oneroſus, nec ſpirituale miniſterium exercet, tanquam pretium rei temporalis. hinc Clericus inſeruiens Epiſcopo ſpe beneficij, non committit Simoniam niſi pactum ineat, aut intendat beneficium, tanquam pretium rei temporalis, ſeruitutis ſcilicet, & obſequij: & ea de cauſa poſitum eſt in definitione Simoniæ verbum (pro pretio temporali) quia ſi deeſt ratio pretij non eſt Si-

monia, hinc non est Simonia dum res spiritualis commutatur pro re spirituali, nec etiam est Simonia cũ datur temporale occasione spiritualis, quia tota malitia Simoniæ in eo sita est, vt temporale tradatur in commutationem, & quasi appretiationem, seu æstimationem rei spiritualis, & cum non datur temporale sub hoc titulo pretij, sed vel gratitudinis, vel sustentationis, aut eleemosynæ, non est Simonia. atque hinc patet non esse Simoniam, cum datur res pretio æstimabilis ante vel post collationem rei spiritualis, titulo liberalitatis, aut gratitudinis, vel cum datur pecunia Sacerdoti causa celebrationis Missarum, aut persolutionis orationum pro defunctis, quia non traditur tanquam pretium Missæ aut orationum, sed in eleemosynam, vel sustentationem Sacerdotis. Idem dicendum dum aliquid sponte oblatum accipitur occasione administrationis Sacramentorũ, quia nõ accipitur tanquam pretium, sed tanquam donum sponte oblatum. ita omnes Doctores communiter.

Dub. 5. an committat Simoniam qui confert beneficium Consanguineo propter consanguinitatem? *Resp.* quod non. sicut nec incurrit Simoniam qui titulo amicitiæ confert beneficium. ita omnes Doctores communiter.

Dub. 6. vtrum Simoniæ labem incurrat qui tradit beneficium alicui cum pacto alendi Consanguineum? *Resp.* quod sic. quia onus istud est pretio æstimabile. ita Bonac.to.1.disp.1. de Simon. q.1.n.7.

Dub. 7. an sit Simonia dare beneficium alicui, vel facere aliquid spirituale ex metu imminentis mali, vt ex timore amissionis vitæ, famæ, honoris,

lucri cessantis, vel damni emergentis? *Resp.* quod non. modo nullum interueniat pactum saltem occultum, per quod alter nouo modo in posterum censeatur obstrictus ad non nocendum. ita Less. lib.35. dub.31.n.119. & 120. quia hoc est tantùm allicere alium ad deponendum odium, aut inimicitiam, & alliciendũ ad beneuolen iã. similiter nõ est Simonia conferre beneficium alicui ad petitionem Principis aut Magnatis, vt eius indignationem deuitet, à quo fortasse sperat temporale commodum, vel dignitatis augmentum, secus dicendum si conferret beneficium ad instantiam Principis, vt facilius ad meliorem Episcopatum promoueretur, tunc enim intendit lucrum, seu temporale commodum annexum Episcopatui, pro collatione beneficij, quæ est actio spiritualis. ita Reginal. lib.23.n.138.& alij.

Dub. 8. an sit Simonia conferre beneficium suo debitori, cum pacto vt debitum soluat? *Resp.* quod sic. hoc enim pactum est pretio æstimabile, ergo non potest imponi tanquam pretium rei spiritualis. quod idem dicendum de eo qui beneficium confert filio Iudicis, vel eum præsentat ad beneficium, cum pacto vt absoluat reum, vel rigorem iustæ sententiæ vel pœnæ mitiget: secus dicendum si hoc faciat absque vllo pacto, cum animo conciliandi sibi beneuolentiam Iudicis, sperans inde mitigationem pœnæ iustæ & debitæ: talis enim licet peccet grauiter cum intendat actionem iudicis iniustam, non tamen peccat peccato Simoniæ, ita Suar.to.1. de relig. l.4. c.37.n.19. Filiuc.tract.45.c.9.q.6.

Dub. 9. quid intelligatur per spirituale? *Resp.* intelligi id omne quod est aliquo modo supernatu-

Digitized by Google

tale, ſiue ſit aliquid natura ſua tale, vt gratia diuina, gratiæ gratis datæ, virtutes Theologicæ, fides, ſpes, charitas, virtutes morales infuſæ diuinitùs, dona Spiritus ſancti, characteres qui per Sacramẽta menti imprimuntur: ſiue ſit aliquid à Deo ordinatum ad ſanctificationem noſtram vt Sacramenta: ſiue ſit aliquid per modum actus poteſtatis cuiuſdam ſupernaturalis, vt conſecrationes, benedictioneſque Eccleſiarum, prædicare, Catechiſmũ proponere, vaticinari, miracula facere, futura mẽtis occulta cognoſcere, & aperire. ita communiter omnes Doctores.

Dub. 10. quid intelligatur per annexum ſpirituali? *Reſp.* illud eſſe quod cum aliquo ſpirituali connexionem habet: quod tripliciter fieri poteſt, vel antecedendo, vel concomitando, vel conſequendo. Antecedendo vt ius Patronatus, quia ſupponitur præſentationi beneficiorum. Item ſecundum quoſdam veſtes & vaſa ſacra, Templa, Altaria, quia referuntur ad ſacrificium Miſſæ. concomitando vt labor, & opera miniſtrorum, Sacramẽta conferentium, vel ſacrificia offerentium, vel Eccleſiaſtica officia facientium, vel diuina, vel ſpiritualia tractantium. conſequendo, vt beneficia Eccleſiaſtica, quia ſupponũt officium diuinum. Ex his elicere licet res ſacras ſeu ſpirituales & diuinas in propoſito eſſe in quadruplici differentia. 1. quædam dicuntur ſpirituales ex natura ſua, vt ſunt omnes virtutes ſupernaturales, & gratiæ præuenientes. 2. quædam dicuntur ſacræ, quia ſunt cauſa ſanctificationis, ſiue effectiua, vt Sacramenta, ſiue diſpoſitiua & excitatiua, vt Sacramentalia, concio, preces, exorciſmus. 3. quædam ſunt ſacræ, quia ſunt effectus rei ſacræ, vel vſus ſacræ poteſta-

tis: vt excommunicatio, absolutio, à votis, à iuramentis, ab excõmunicatione: benedictiones, consecrationes, quas facit Ecclesia: quamuis hæc etiã dici possint sacra, secundo modo. 4. quædam sunt sacræ solùm, quia sunt annexæ rebus sacris, idque vel propriè, vt beneficia ius Patronatus, ius eligendi: vel impropriè vt officium Sacristæ, officium Oeconomi Ecclesiæ, Aduocati.

Hic etiam nota in quibusdam rebus spiritualibus esse aliquid temporale secundum se pretio æstimabile, vt in Calice consecrato, in beneficiis: in quibusdam nihil est tale, vel si quid sit, minimi est pretij, vt panis in Eucharistia, in Baptismo aqua, & quidem vendere & commutare res spirituales, cuiuscumque generis sint pro pretio temporali, si in eis habetur ratio Consecrationis, vel eius quod supra naturam est, est Simonia iure diuino prohibita. vt si quis vendat Sacramenta, vel Sacramentalia, vel functiones spiritualis potestatis, quales sunt excommunicare, dispensare, in votis, &c. vel si pluris vendat globulos benedictos, quàm non benedictos, idque non ratione laboris, vel sumptuum quos fecit, vt curaret benedici, sed ratione benedictionis. ita communiter omnes Doctores. D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 2. Tolet. l. 5. cap. 87. num. 4.

Dub. vltimò quotuplex sit pretium quod Simoniam inuehere potest? *Resp.* esse triplex, aut enim est muneris pretium, aut linguæ, aut obsequij: pretium muneris est pecunia, equus & similia vendi consueta. Pretium linguæ est laus, vituperatio, patrocinium Aduocati, commendatio apud Principem, hoc enim officium est pretio æstimabile. Pretium obsequij, vt ministerium aliquod in rebus

bus temporalibus, vt est famuli, Oeconomi, &c. & his modis parare sibi viam ad beneficium Ecclesiasticum, est Simoniacum. quod apertius explicabitur cap. sequenti.

CAPVT II.

Explicãtur nonnullæ difficultates circa triplex pretium quod Simoniam inuehit.

DIfficultas 1. oritur circa pretium muneris seu manus, & est, vtrum sit Simonia promittere remissionem debiti, vel pensionem, vel pecuniam conferenti, vel procuranti beneficium, vel Collatori, vel Præsentatori? *Resp.* quod sic. Idem dicendum de Episcopo conferenti beneficium cum pacto soluendi sibi vel Consanguineo pensionem. item de eo qui cum Aulico pactum init vt se certiorem reddat de vacantibus beneficiis, promittens se consensurum pensioni, in eius fauorem imponendæ. Item de eo qui auxilium petit ab aliquo ad obtinendum beneficium, illi promittens pensionem. Item de eo qui beneficium confert sub conditione pecuniæ sibi mutuandę, aut qui pecuniam mutuò tradit pro accipiendo beneficio, aut alia re spirituali. Item de eo qui spirituale confert alteri vt sibi dilationem solutionis debiti concedat, vel vt debitor sibi anticipatè soluat debitum. item de eo qui præsentatur ad beneficium si promittat præsentatori se decimas ab eo non acceptarum, aut Canonicis Electoribus se remissurum partem præbendæ, aut qui petit ordinari ob titulum bonorum sibi ab alio assignatorum, & promit-

tit se nihil ab eo postulaturum. Nau. c. 27. n. 158. Idem dic de permutantibus beneficia, priuata authoritate, & de illo qui bona alicui Ecclesiæ tradit cum pacto vt in ipsa recipiatur in Canonicum, & præfata bona retineat in præbendam. vt expressè habetur in cap. tua nos, de Simonia.

Secunda difficultas est circa pretium linguæ, quæritur itaque an sit Simonia si quis promittat alicui beneficium, vt pro se intercedat apud Principem, seu pro se petat aliquam gratiam, vel qui promittit alicui beneficium si de se honeste loquatur coram aliis, vel signa honoris exhibeat, vel se ipsius esse Consanguineum sit professus, vel dum inducit pecuniâ familiarem, vel amicum Episcopi ad petendum pro se, vel pro alio beneficium? *Resp.* quod in his omnibus casibus reperitur vitium Simoniæ, si huiusmodi preces fiant cum pacto expresse vel tacitè inito cum eo qui spirituale confert. quod si absit pactum censentur factæ gratis, & ideo labe Simoniæ non inficiuntur. idem dicendum de adulatione, laudibus, signis beneuolentiæ, & honoris factis, ex pacto præuio in laudem Collatoris. vel ad instantiam ipsius. s. Th. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. & alij.

Tertia difficultas est an sit Simonia tradere aliquid familiaribus Prælatorum non vt intercedât, & opitulentur seu procurent, sed solùm vt sibi aditum vel facilem ingressum præbeant ad Prælatum: vel tradere pecuniam familiaribus solum vt certiorem faciant Prælatum de suis meritis: vel dum quis absque pacto vel promissione preces fundit ad Prælatum, vt sibi vel alteri beneficium conferat: vel dum quis precibus inducit alium ad rogandum Episcopum vel Papam, vt sibi vel alte-

ri tradat rem aliquam ſpiritualem : vel tandem dum quis laudibus extollit quemdam Prælatum, vt eius amicitiam & beneuolentiam conciliet, ſperans inde beneficium abſque conuentione? *Reſp.* in his & aliis ſimilibus caſibus nullam committi ſimoniam de his legend. Suar. to. 1. de rel. l. 4. de ſimonia, c. 53. n. 11. & 17.

Quarta difficultas ſpectat ad pretiũ obſequij, de quo, Quæritur vtrum ſit ſimonia tradere alicui beneficium, vel vt doceat Grammaticam, Theologiam, vel quid aliud: vel vt sibi inſeruiat, vel aliquod obſequium temporale honeſtum vel turpe exerceat, vel cum Epiſcopus confert beneficium cum onere sibi inſeruiendi per aliquod tempus, vel cum beneficium traditur alicui propter obſequia antea præſtita in compenſationem ipſorum obſequiorum? *Reſp.* quod in his omnibus caſibus committitur vere ſimonia, quia hæc dantur tanquã rei ſpiritualis, vel temporalis pretium. ſecus ſi dentur gratis ſine vllo pacto.

Quinta difficultas eſt, an ſit ſimonia tradere beneficium, vel aliquid ſpirituale, animo captandi beneuolentiam, & ſub ſpe obtinendi aliquod obſequium, aut bonum aliquod temporale, mediante illa beneuolentia? *Reſp.* quod non. Idem dicendum de eo qui inſeruit Cardinali, vel Epiſcopo, vel illius Conſanguineo gratis, vel exiguo pretio contentus, vt certior fiat de ſua ſcientia & probitate, ſub ſpe quod inde mouebitur ad procurandum, vel conferendum ſibi beneficium, dummodo abſit quodlibet pactum, ſiue expreſſum, ſiue tacitum.

CAPVT III.

Quotuplex ſit Simonia?

RESp. communiter à Doctoribus aſſignari triplicem Simoniam, mentalem, conuentionalem, & realem.

Mentalis eſt duplex, vna eſt purè mentalis, altera vero non purè mentalis. purè mentalis eſt, cum quis proponit & intendit dare aliquid temporale pro ſpirituali, vel ſpirituale, pro temporali, tamen opere non complet ſuam intentionem, nec vllam de hac re conuentionem facit.

Simonia non purè mentalis eſt cum commodum temporale datur, vel accipitur ſpe, vel cupiditate aliquid ſpirituale conſequendi, ſine vllo pacto expreſſo vel tacito, vt ſi quis beneficium confert in Clericum ſola voluntate commodum aſſequendi, vel qui ſtipendium datum ad ſuſtentationem Celebrantis accipit in pretium Miſſæ, vel qui aſſiſtit officio diuino, vt recipiat diſtributiones, tanquam pretium officij recitati.

Conuentionalis eſt cum quis ex pacto expreſſo, vel tacito, promittit dare temporale pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali, tamen non ſequitur conſummatio operis ex vtraque parte. quod tripliciter fieri contingit, primò, quando tantum eſt pactum pretij, tamen nondum eſt datum pretium, nec tranſlatum beneficium. ſecundò, quando cum pacto eſt tranſlatum pretium, ſed nondum acceptum beneficium. tertiò, quan-

do datum est beneficium, vel res spiritualis, nondum tamen est pretium acceptum. omnes hæ Simoniæ conuentionales dicuntur.

Realis Simonia est quando de facto datur temporale pro pretio spirituali & etiam de facto recipitur spirituale in pretium, & æquiualens temporali. Itaque ad realem Simoniam tria requiruntur, primum est intentio dandi & accipiendi spirituale pro temporali, vel è contrario temporale pro spirituali. secundum pactum expressum, vel tacitum de pretio temporali, & de re spirituali recipienda, 3. operis consummatio ex vtraque parte, vt scilicet sit beneficij translatio, & exhibitio ex vna parte, & ex alia pretij acceptio: vno horum deficiente, non est simonia realis, sed conuentionalis. ita Tolet. l. 5. c. 86. vbi citat Armillam, verb. simonia. quem sequitur Less. c. 35. dub. 6. & alij communiter.

Quæres ad quam speciem ex his tribus reuocetur simonia confidentiæ? *Resp.* reuocari posse ad conuentionalem, & etiam ad realem. Ad conuentionalem quidem dum pactum initur de resignando, vel conferendo vel præsentando, vel instituendo cum pacto & spe exterius manifestata, vt tibi vel alteri restituatur beneficium, vel vt tibi vel alteri pars fructuum tradatur, nondum tamen beneficium est datum. & hæc non incurrit pœnas iuris in simoniacos latas. Suar. to. 1. de relig. l. 4. c. 43 n. 14.

Ad realem verò reuocatur dum beneficium aliqua ratione procuratur alicui eligendo, postulando, præsentando, resignanda, in fauorem conferendo, instituendo, confirmando, vel commendando, cum pacto vt is qui beneficium istud

acceptutus est, illud idem tibi vel alteri aliquando resignet, vel relinquat, vel pensionem ex eo vel fructus aliquos tibi vel alteri præstet, quo pacto in actum redacto, & beneficio dato, tunc ea simonia confidentialis, fit realis. & hæc simonia cadit sub pœnas iuris. vt patet ex Bulla Pij 4. & maximè Pij quinti, quas refert Nauar. cap. 23. num. 110. In quibus etiam nullis damnantur quidam modi reseruandi sibi ius aliquod ad beneficium, & hi sunt tres: primus est regressus, secundus ingressus, tertius est accessus. Regressus est, quando quis suum beneficium resignat impetrata facultate vt si Resignatarius præmoriatur ipse redeat ad beneficium resignatum, ita vt ius pristinum in beneficium recuperet. Ingressus est cum quis beneficium sibi collatum alteri resignat, ante captam eius possessionem, seruato sibi iure ingrediendi possessionem illius beneficij, si ille præmoriatur vel fiat Episcopus.

Accessus est cum quis impetratum beneficium resignat, sed quia legitimam ætatem non habet, vel aliquo Canonico impedimento præpeditus illud non potest retinere, impetrat facultatem vt post legitimam ætatem, vel post Canonicum impedimentum amotum possit illud beneficium habere. Accessus itaque est ius capessendi beneficij cuius antea possessionem quis adeptus non fuerat ob aliquod Canonicum impedimentum.

Hîc nota non esse confidentiam accipere gratis ab aliquo beneficium sine pacto vllo cum animo illi beneficium aliquando resignandi, vel alteri eius Consanguineo. quia malitia simo-

Digitized by Google

niæ confidentialis procedit à mala voluntate conferentis, resignantis, eligentis, præsentantis, &c. non autem à voluntate recipientis. & hoc patet ex Bullis Pij 4. & Pij 5. quæ semper loquuntur de iis qui alicui resignant beneficia eâ confidentia, vt sibi vel alteri illa quandoque resignet, vel vt fructus & pensio ex eis sibi vel amico soluantur. pari modo non est simonia confidentiæ resignare beneficium cum intentione aut spe non manifestata Collatori. ita Bonac. de Sim. disp. 1. q. 4. §. 16. n. 5.

Porro resignatio cum Accessu, aut ingressu, vel Regressu facta coram Summo Pontifice, non est simoniaca & illicita saltem iure antiquo. sic Azo. 3. p. lib. 12. cap. 9. quæst. 1. & 2. quod idem dic de permutatione beneficiorum cum pensione, de resignatione in fauorem alterius. pariter non est simonia commutare beneficium cum alio beneficio authoritate Episcopi, id enim est illi concessum, in cap. quæsitum de rerum permutatione. & cap. vnico de rerum permutatione. esset autem simonia priuatâ authoritate id facere.

Quæres vtrum volentes permutare beneficia possint inter se agere de facienda permutatione? *Resp.* quod sic. vnde possunt agere de permutatione facienda simulque præstare consensum, & inter se concludere non quidem absolutè, sed in ordine ad consensum Prælati. Imo possunt inter se pactum inire séque obligare ad persistendum in conuentione, donec Superior consensum denegauerit, à qua obligatione ad persistendum in conuentione donec superior consenserit, non

poterunt resilire, donec Superior consensum deneget. Sic Boniac. loco cit. quæst. 4. §. 12. num. 6.

Quæres vltimo an sint illicitæ permutationes actionum pertinentium ad prouisionem beneficiorum? *Resp.* quod sic. v. g. si quis dicat alteri, tu elige hunc, & ego illum: vel tu elige illum, & ego illum confirmabo: vel tu confer beneficium illi, & ego præsentabo hunc. vel, tu confer mihi tuum beneficium simplex, & ego præsentabo te ad beneficium mei iuris Patronatus. vel, ego do tibi beneficium, vt renuncies Præsentationi, vel Electioni de te factæ. quia omnia pacta in beneficiis sunt prohibita sine authoritate superioris, & damnantur iure Canonico. vt rectè notat Syl. verbo permutatio, 2. quæst. 7. & 13. & alij.

Caput IV.

Quot, & quibus titulis liceat temporale aliquod dare, vel accipere, propter rem spiritualem datam, & acceptam?

Dico communiter numerari à Doctoribus sex titulos ratione quorum potest aliquid temporalis dari, vel accipi ex occasione spiritualis. quorum primus est titulus liberalitatis, vel gratitudinis. secundus, est titulus debitæ sustentationis. tertius, est labor. 4. priuatio

libertatis vel alterius commodi temporalis quo quis se priuat faciendo opus spirituale, 5. est redemptio vexationis, 6. est consuetudo accipiendi aliquid temporale pro spirituali. Quidam addunt septimum videlicet cum datur & accipitur temporale in pœnam: sic enim solet apponi mulcta pecuniaria, cum quis absoluitur ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, & ex his resolui possunt multæ difficultates.

Quarum prima est vtrum sit simonia tradere aliquod obsequium, vel donum temporale, cum intentione recipiendi beneficium ex gratitudine? *Resp.* quod non.

2. Difficultas est vtrum sit illicitum, & Simoniacum petere ab eo cui temporale aliquod datum est, ea intentione vt ex gratitudine beneficium conferret, petere (inquam) vt se gratum exhibeat vel adimpleat recognitionem suæ obligationis naturalis? *Resp.* quod non. ita Suar. to. 1. de relig. l. 4. de Simonia, c. 45. n. 8.

3. Difficultas vtrum id quod est dandum ex gratitudine, in pactum deduci possit absque labe Simoniæ? *Resp.* 1. non posse si pactū fiat de reddenda gratitudine tanquam debita ex iustitia, ratione rei spiritualis, & tanquam pretium illius vt spiritualis est? *Resp.* 2. posse gratitudinem deduci in pactum si solùm petatur vt debita iure naturæ ratione beneficij collati, quia si finis est licitus etiam media ad finem sunt licita, sed intendi potest spe gratitudinis aliquod beneficiū pro obsequio temporali, vel è contrario, ergo pactum quo mediante impetratur finis non potest esse illicitum, nec Simoniacum. ita Val. to. 3. disp. 6. q. 16. p. 3. cum multis aliis.

4. Diff. vtrum pro Missis,& aliis functionibus spiritualibus ,aliquid accipi possit in sustentationē? *Resp.*quod sic. vnde sacerdotes oblata pro orationibus, & sacrificiis accipientes in sustentationem non peccant, etiamsi sint diuites , & aliunde habeant vnde viuant:imò hæc sustentatio in pactum deduci potest, eo quod debetur iure naturæ in sustentationem, quia nemo militare tenetur suis stipendiis, cauendum est tamen scandalum, nam inde solent oriri plures suspiciones & auaritiæ & Simoniæ. legendus Val. loc.cit. Suar.vbi supra c. 46.n.4.& alij.

5. Diff. est quomodo sit intelligendum id quod diximus , licitum esse pro labore recipere aliquod temporale, occasione rei spiritualis? *Resp.* hoc esse ita intelligendum , vt pro labore extrinseco actioni spirituali liceat accipere aliquod temporale, non autem pro intrinseco : explico, labor intrinsecus est is , sine quo spiritualis functio nullo modo peragi potest:v.g. sacrificium Missæ , collatio sacramentorum , & alia huiusmodi spiritualia conferri nō possunt sine verborum sacrorum pronunciatione , membrorum motione , sine debita attentione , & externa aliqua circumspectione ad ea debitè peragenda : & si quis pro his reciperet pecuniam committeret Simoniam, quia labor iste est illis intrinsecus , & inseparabilis : labor verò extrinsecus dicitur, qui potest separari à functione spirituali, & sine quo tale opus fieri potest:vt v. g. quia cantor multum laborat in canendo potest pro labore & artificio canendi aliquid recipere : quod idem dicēdum de eo qui acciperet aliquid pro defatigatione, & molestia quæ percipitur ex magna contentione animi , virium , vocis , & similium

cauſarum, etiãſi præfata defatigatio proueniat ex conditione perſonæ, vt ſi orans ſit ſenex, infirmus, delicatæ conditionis, ita vt grauem patiatur ex ea actione moleſtiam, ſic Bonac. diſp. 1. de Simon. q. 6. p. 3. n. 5. quod idem dicendum de Concionatore qui magna vocis contentione concionatur, ex quo valdè defatigatur. item de labore, & ſtudio quod in paranda concione adhibet. Item de ſacerdote qui pecuniam accipit pro labore & defatigatione in canenda alta voce Miſſa, vel pro longo itinere quod ſuſcepit causâ celebrandæ Miſſæ. Item de eo qui accipit aliquid pro obligatione manendi in tali loco, celebrandi tali hora, & ſimilibus. Item pro locatione ſuarum operarum, ſeu pro obligatione exercendi ſpiritualia, non quatenus dicit ordinem ad ſpiritualia vt ſic. ſed ratione obligationis præcisè, quam in ſe ſuſcipit, quia obligatio eſt aliquid diſtinctum ab actione ſpirituali. Bonac. loc. cit.

6. Diff. eſt an ſit licitum accipere pecuniam non ſimpliciter ad procurandum alteri beneficium, ſed habitâ ratione laboris in ſcribendo, iter peragendo, in expenſis faciendis, in priuatione lucri & commodi temporalis, quo ea de cauſa ſe priuat? *Reſp.* quod ſic. Nauarr. c. 23. n. 106. Suar. cap. 53. n. 17. non tamen habenda eſt ratio ad ipſum beneficium, ſeu ad fœlicem exitum, ſeu ad beneficij pinguedinem. quia hoc eſſet Simoniacum. ita comuniter omnes Doctores, dum aſſerunt Simoniam cõmitti ab eo qui pecuniam alteri tradit vt ſibi beneficium procuret. Quod idem dicendum de eo qui accipit pecuniam pro iactura, & incommodo, quod patitur in temporalibus, ob actionem ſpiritualem factam in gratiam alterius.

4. Diff. vtrum pro Missis,& aliis functionibus spiritualibus ,aliquid accipi possit in sustentationé? *Resp.*quod sic. vnde sacerdotes oblata pro orationibus, & sacrificiis accipientes in sustentationem non peccant, etiamsi sint diuites , & aliunde habeant vnde viuant:imò hæc sustentatio in pactum deduci potest, eo quod debetur iure naturæ in sustentationem, quia nemo militare tenetur suis stipendiis, cauendum est tamen scandalum, nam inde solent oriri plures suspiciones & auaritiæ & Simoniæ. legendus Val. loc.cit. Suar.vbi supra c. 46.n.4.& alij.

5. Diff. est quomodo sit intelligendum id quod diximus , licitum esse pro labore recipere aliquod temporale, occasione rei spiritualis? *Resp.* hoc esse ita intelligendum , vt pro labore extrinseco actioni spirituali liceat accipere aliquod temporale, non autem pro intrinseco : explico, labor intrinsecus est is , sine quo spiritualis functio nullo modo peragi potest:v.g. sacrificium Missæ , collatio sacramentorum , & alia huiusmodi spiritualia conferri nō possunt sine verborum sacrorum pronunciatione , membrorum motione , sine debita attentione , & externa aliqua circumspectione ad ea debitè peragenda : & si quis pro his reciperet pecuniam committeret Simoniam, quia labor iste est illis intrinsecus , & inseparabilis: labor verò extrinsecus dicitur, qui potest separari à functione spirituali, & sine quo tale opus fieri potest:vt v. g. quia cantor multum laborat in canendo potest pro labore & artificio canendi aliquid recipere : quod idem dicēdum de eo qui acciperet aliquid pro defatigatione, & molestia quæ percipitur ex magna contentione animi , virium , vocis , & similium

cauſarum, etiáſi præfata defatigatio proueniat ex conditione perſonæ, vt ſi orans ſit ſenex, infirmus, delicatæ conditionis, ita vt grauem patiatur ex ea actione moleſtiam, ſic Bonac. diſp. 1. de Simon. q. 6. p. 3. n. 5. quod idem dicendum de Concionatore qui magna vocis contentione concionatur, ex quo valdè defatigatur. item de labore, & ſtudio quod in paranda concione adhibet. Item de ſacerdote qui pecuniam accipit pro labore & defatigatione in canenda alta voce Miſſa, vel pro longo itinere quod ſuſcepit causâ celebrandæ Miſſæ. Item de eo qui accipit aliquid pro obligatione manendi in tali loco, celebrandi tali hora, & ſimilibus. Item pro locatione ſuarum operarum, ſeu pro obligatione exercendi ſpiritualia, non quatenus dicit ordinem ad ſpiritualia vt ſic. ſed ratione obligationis præcisè, quam in ſe ſuſcipit, quia obligatio eſt aliquid diſtinctum ab actione ſpirituali. Bonac. loc. cit.

6. Diff. eſt an ſit licitum accipere pecuniam non ſimpliciter ad procurandum alteri beneficium, ſed habitâ ratione laboris in ſcribendo, iter peragendo, in expenſis faciendis, in priuatione lucri & commodi temporalis, quo ea de cauſa ſe priuat? *Reſp.* quod ſic. Nauarr. c. 23. n. 106. Suar. cap. 53. n. 17. non tamen habenda eſt ratio ad ipſum beneficium, ſeu ad fœlicem exitum, ſeu ad beneficij pinguedinem. quia hoc eſſet Simoniacum. ita comuniter omnes Doctores, dum aſſerunt Simoniam cõmitti ab eo qui pecuniam alteri tradit vt ſibi beneficium procuret. Quod idem dicendum de eo qui accipit pecuniam pro iactura, & incommodo, quod patitur in temporalibus, ob actionem ſpiritualem factam in gratiam alterius.

7. Diff.est,quando sit licitum dare vel offerre pecuniam ad vexationem redimendam? *Resp.* tunc esse licitum quãdo non datur pecunia pro pretio rei spiritualis à cuius consequutione iniustè impedior sed solùm tanquam motiuum quoddam ad remouendum iniustum impedimentum quod obstat consequutioni rei spiritualis. sic Val. loc. cit. p. 3. concl. 1. & 2.q.3.& hoc etiam colligitur ex cap.dilectus de Sim.

8. Diff.est,an sit Simoniacum redimere vexationem quã patitur Ecclesia ex eo quod Pagani, Hæretici, Tyranni, per vim vsurpent beneficia Ecclesiastica? *Resp.* quod non idem dico de eo qui dat pecuniam sacerdoti vt inducat ad baptizandum puerum quem recusat baptizare. Item de adulto, qui offert pecuniam sacerdoti nolenti baptismum ei conferre, aut absoluere vrgente necessitate. ita Val. item ad impediendum ne eligatur indignus ad beneficium. Suar c. 22. n.6 Item qui tradit pecuniam illi qui iniustè impedit possessionem beneficij capi ab eo qui habet ius ad illud per institutionem, confirmationem, vel liberam electionem. ex cap. dilect. de Simonia. Item de eo qui dat pecunias vt extrahat & eripiat reliquias sanctorum de manibus Hæreticorum, aut Paganorum.

9 Diff.est, vtrum sine Simoniæ labe pecunia dari possit, ei qui non vult conferre, beneficium sine pretio? *Resp.* quod non: quia collatio esset nulla. sic Val. loc. cit. Idem dicendum de eo qui nullum habens ius acquisitum in spirituale beneficium per electionem, vel collationem, vel præsentationem, offert alicui pecuniam ad redimendam vexationem, quia is non vexatur iniustè, qui nullum habet ius ad beneficium. Idem dicendum quando is qui

infert iniuriam,& à quo redimenda eſt vexatio eſt talis ; qui poſſit non ſolùm obeſſe ſed etiam iure prodeſſe , hoc eſt ſua authoritate conferre illud ſpirituale: ideò ſi Electo me vexet eligendo indignum,committo Simoniam ſi redimam vexationem.Item ſi Præſentatus ad beneficium,Prælatus nolit mihi conferre beneficium, ero Simoniacus,ſi hanc vexationem redimam, quia & Electo & Prælatus tantùm mihi prodeſſe poſſunt quantũ obeſſe.ſecus eſt ſi is qui me impedit poſſit tantùm obeſſe &nullo modo prodeſſe,tunc enim non cenſeor dare pecuniam pro ſpirituali , ſed pro redimenda vexatione.Val.vbi ſup.

10. Diff.vtrum conſuetudo excuſetà Simonia traditionem rei temporalis pro ſpirituali? *Reſp.* conſuetudinem nõ poſſe excuſare à labe Simoniæ traditionẽm,vel acceptionem rei temporalis pro ſpirituali per modum pretij , ſecus ſi per modum ſuſtentationis detur,poſſet etiam longâ conſuetudine abrogari ius humanum prohibens , vendi officia quædam,quæ dãtur laicis pro tractandis &curandis rebus Eccleſiaſticis,qualia ſunt officia, Oeconomi, Vicedemoni,iudicis, Aduocati , Sacriſtæ, Primicerij,hæc enim omnia officia vendi non poſſunt abſque labe Simoniæ contra ius humanum,ex communi Doctorum ſententia,ſed tamen longâ conſuetudine introduci poſſet , eorum venditio & ſic excuſaretur à Simonia qui illa venderet.

CAPVT V.

Proponuntur & soluuntur quædam difficultates de Simonia.

QVæres 1. an Moniales Monasterij prædiuitis sine Simonia possint aliquid exigere à petentibus ingressum in Monasterium, etiamsi commodè alere queant ex reditibus postulantes admitti. *Resp.* in foro exteriori præsumi tales religiosas esse Simoniacas, in foro tamen interiori non sunt, quia accipiunt illud temporale in dotem seu sustentationem, quod est licitum. sic Azor. 3. part. l. 12. c. 18. q. 3.

Quæres 2. an ius Patronatus vendi possit absque labe Simoniæ? *Resp.* quod non. quia est quid spirituale ita communiter omnes, similiter non posset sine Simonia vendi res temporalis maiori pretio ratione Iuris Patronatus quod est in re.

Quæres 3. an Beneficia possint vendi quoad partem pecuniariam & temporalem quam habent annexam, sine labe Simoniæ? *Resp.* non posse vendi à quoquam beneficium, quatenus est ius fructuum obtingens per officium sacrum. si verò beneficium spectetur pro iure ad illos fructus qui officio sunt annexi, hoc modo vendi potest à Papa sine Simonia,: quia in potestate illius est ius ad illos fructus separare ab officio, & alteri dare vel relinquere officio annexum. Less. c. 35. dub. 2. num. 18. & 19.

Quæres 4. an litigans cedens liti motæ & agitatæ

de Beneficio propter pecuniam, ſit Simoniacus? *Reſp.* quod ſic. Sylueſt verbo renunciatio q. 6. verſu 4.

Quæres 5. an litigans ſit Simoniacus qui exigit temporale commodum ob impenſas & ſumptus quos fecit in beneficio litigioſo obtinendo & non ob renunciationem litis? *Reſp.* cum Sylueſt. vbi ſup. huiuſmodi litigantem eſſe Simoniacum, quia impenſas fecit obtinendi beneficij cauſa, ſecus eſſet ſi impenſas feciſſet in bonum ipſius beneficij, ſiue Eccleſiæ, quia Eccleſiam vel domum reparari curauit ſuis ſumptibus, vel eam ab Hæreticis ſuis impenſis eripuit.

Quæres 6. quid dicendum ſi litigantes de beneficio, litem componant authoritate iudicis vel honeſti viri in quo compromiſſum eſt arbitrio, ea conditione vt vnus det aliquid temporale alteri? *Reſp.* non eſſe Simoniam. Sylueſt. vbi ſup. quod ſi propriâ authoritate litem componerent cum pacto vt vnus det alteri pecuniam vel quid aliud pecuniâ æſtimabile tunc erit Simonia, quia in beneficiis omnes pactiones, iure humano ſunt prohibitæ.

Quæres 7. quid dicendum de eo qui pecuniam dat alteri ne litem moueat & excitet? *Reſp.* quod ſi is qui dat pecuniam ius habet acquiſitum in beneficio & certum non incurrit Simoniam: quia pretio redimit vexationem: quod ſi nullum habet ius, vel certè eſt dubium ac litigioſum tunc Simoniæ reus eſt, quia pretio parat ſibi viam ad beneficium. Syl. vbi ſup. n. 5.

Quæres 8. an ſit Simonia vendere ſepulturam? *Reſp.* quod non, ſi vendatur ratione terræ, ſecus ſi vendatur quatenus eſt ius quoddam ſpirituale.

Idem est dicendum de emptioone & venditione vasorum, vestium, altarium & aliorum Ecclesiæ otnamentorum. Item de pane, oleo, saie, candelis, & allis huiusmodi rebus quæ solent in Ecclesia consecrari, possunt enim licitè vendi quatenus res sunt corporales, & ratione materiæ, non autem quatenus res sacræ.

Quæres 9. an sit Simoniacum vendere Commendam militarem, aut alteri conferre, reseruata pensione in sui vel alterius fauorem? *Resp.* quod non. quia sunt ad ministerium temporale tantùm Suar. tom. 1. de relig. l. 4. c. 27. num. 10. est tamen peccatum contra iustitiam quia Commendatarius non est dominus Commendæ, sed vsufructuarius tantum.

Quæres 10. an pensionarius possit alteri dare vel vendere suæ pensionis fructus, etiam ad totam suam vitam absque Simonia? *Resp.* quod sic. dummodo retineat titulum pensionis. Suar. loc. cit. c. 26. n. 9. & 17. versu 2. infero & alij.

Quæres 11 vtrum Parochus incurrat Simoniam si præbens alteri sacerdoti facultatem assistendi matrimonio vel benedicendi sponsis, aut administrandi alia sacramenta, conueniat cum eo vt pecuniam vel eiuspartem qua ipsi ea conditione tribuetur, sibi conferat? *Resp.* quod sic, si petat tanquã pretium facultatis conceſſæ, secus si petat vt seipsum indemnem seruet, seu titulo lucri cessantis, quod ipse percepisset non concessa tali facultate, quia non exigit pecuniam pro re spirituali sed pro lucro temporali quod ipse percepisset, si facultatem illam non dedisset. Suar. loc. cit. cap. 24. numero 42.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De pœnis Simoniacorum.

Dico 1. nulla Simonia inducit pœnas iuris ipso facto niſi in ordine, beneficiis, & ingreſſu religionis. ita Nauarr. c. 23. n. 3. Syl. verb. ſim. q. 19. vnde ſequitur quod ſi quis in aliis ſacramentis cõferendis vel accipiendis, in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, in penſione vendenda, vel emenda, vel redimẽda, Simoniam committat, grauiter peccabit, non tamen contrahet ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.

Dico 2. Simonia mentalis quæ abſque alio contractu tacito vel expreſſo, in ordine, beneficiis, vel religionis ingreſſu, peragitur, nullas pœnas iuris inducit. ita communiter omnes Doctores. & probat Victoria, relect. de Simon. p. 2. Syl. vbi ſup. q. 20. & alij.

Quæres an qui acquiſiuit aliquid ſiue ſpirituale ſiue temporale per Simoniam mentalem, habeat illius dominium, ita vt nõ teneatur reſtituere? *Reſp.* acquirere dominium, nec teneri reſtituere: nam quamuis illicitè acquirat ac irreligiosè, non tamen iniuſtè. ita Val. to. 3. diſp. 6. q. 16. p. 6.

Dico 3. Simonia conuentionalis, quæ neutra ex parte completa eſt, vel in qua datum eſt quidẽ pretium, ſed nondum tradita res ſpiritualis, non inducit pœnas iuris ipſo facto, excepta ea quæ eſt confidentiæ. Nau. vbi ſup. n. 104. & alij multi. dixi (excepta ea quæ eſt confidentiæ) quia Simonia confi-

dentiæ quando beneficium est receptum, inducit 1. excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam. 2. priuationē beneficij in quo est cōmissa 3. priuationem aliorum Beneficiorum ante obtentorum, post sententiam Iudicis duntaxat, quia nemo priuatur ipso facto re suâ iam possessâ, sed semper requiritur sententia criminis declaratoria, quamuis dicatur in lege, ipso facto priuatus sit, vel nulla expectata sententia, hæc enim verba debent explicari, & intelligi de sententia declaratoria pœnæ, sed non declaratoria crimini. Less. cap. 35. dubit. 26. n. 147. & 148.

Dico 4. Simonia conuentionalis in qua datum est spirituale sed nōdum pretium persolutum, non inducit etiam pœnas iuris ita tenet Couar. in Clement. si furiosus p. 1. §. 1. n. 7. & p. 2. §. 3. n. 4. & alij apud Lessium loc. cit. n. 149. qui post notat, quod si soluatur pretium, & vtrimque compleatur Simoniaca pactio vel in totum vel in partē, incurri pœnas iuris ipso facto in foro externo, & interno à tempore completæ Simoniæ, sed non retrotrahi & censeri incursas iam à tempore pacti Simoniaci, ideōque ante sententiā Iudicis tales Simoniaci ad nullam tenebuntur restitutionem, quia nullus est Textus, nec vlla Constitutio Pontificia id clarè & expressè declarans. Less. l. cit. dub. 27. n. 151. & 155.

Dico 5. Simonia realis in ordine inducit excommunicationē ipso facto, & suspensionem, à qua solus Papa absoluere potest, siue sit publica, siue occulta quia Sixtus quintus in sua Bulla, id sibi reseruat cum clausula derogatoria omnium priuilegiorum Regularibus datorum & concessionis factæ Episcopis à Concil. Trid. sess. 24. c. 6. quamuis putet Less. n. 134. dub. 24. hāc Sixti constitutionē non

esse vbique vsu receptam, quare sepositâ hac Bullâ poterit Episcopus absoluere à dicta excommunicatione & suspensione, si casus sit occultus & nõ deductus ad forum contẽtiosum, quod idem dicó de Regularibus priuilegiatis. & aduerte Portellum verb. Prælati potestas, n. 29. notare hanc Bullam sixti quinti fuisse redactam à Clement. VIII. ad terminos iuris communis, vnde affirmat Regulares posse absoluere à simonia in Ordine cõmissa, quia inquit Clem. VIII. post illã Bullã sixti V. confirmauit ex certa scientia omnia priuilegia Fratrum minorum anno 1597. per quam clausulam reualidantur omnia priuilegia ante reuocata aut per non vsum abrogata.

Dico 6. simonia realis in Beneficio inducit excõmunicationem ipsõ iure non tamen suspensionem, nec quoad se, nec quoad alios. sic Nau. loc. cit. n. 3. vbi nomine beneficij comprehundũtur etiam Abbatiæ, Prioratus, & Prælaturæ Regularium vt Prouincialatus, Guardianatus, Rectoratus & Generalatus, hoc tamen locum non habet in aliis officiis Ecclesiasticis quæ non sunt beneficia, qualia sunt officia Oeconomi, Vicedomini, Primicerij, Aduocati, Castaldi, Iudicis, & alia huiusmodi quæ etiam dantur laicis. idem dico de Pensionibus quia extrauagans cum detestabile, non loquitur de talibus cum non sint beneficia. ab hac censura si sit occulta absoluit Episcopus, itẽque Regularis Priuilegiatus.

Dico 7. simonia realis in ingressu religionis & professione inducit excommunicationem ipso facto tam dantibus quam recipiẽtibus pecuniam, & insuper suspensionem cõuentui seu capitulo ab officio capitulari, ad iurisdictionẽ vel administrationem Ecclesiasticam pertinente. ita Vrbanus IV. ex-

trau. quæ incipit sanè ne in vinea Domini. vbi præcipitur ne dentur vel exigantur in religionis ingressu seu receptione personarum, pastus, prandia, pecunia, iocalia, aut res aliæ etiam ad pium vsum deputandæ. existimat autem Less. dub. 23. n. 131. hãc extrauagantem non esse receptam. vbi tamen est recepta non habet locum in dote quæ datur Monasteriis fœminarum, ex Mart. V. & Clem. VII. siue monasterium sit tenue, siue diues: iuxta dicta superiori c. 5. q. 1. & ab hac excommunicatione si sit occulta absoluit Episcopus, item Regulares ratione suorum priuilegiorum.

Dico 8 Mediatores simoniæ realis in ordine vel beneficio incurrunt etiam excommunicationem ipso facto, si ad executionem vtrimque vêtum fuerit. syl. verb. simonia, q. 19. & patet ex extrauag. cum detestabile, quales sunt parentes, Amici, Procuratores & omnes qui suam operam interponunt, vt beneficium simoniacè obtineatur.

Dico 9. qui Beneficium Ecclesiasticum aliquod accepit simoniacè, iure Canonico tenetur illud restituere in manibus Prælati etiam ante sententiam iudicis. quia collatio fuit nulla. ita cõmuniter omnes Doctores. dixi (Beneficium Ecclesiasticũ) quia cætera spiritualia vel dimitti non possunt, vt sunt sacramenta, characteres, & spirituales aliqui actus, vt excommunicare, dispẽsare, &c. vel non sunt dimittenda ante sententiam, quia Canones aliud de illis non statuerunt: sic qui simoniacè admissus est ad monasterium, non tenetur illud ante sententiam dimittere; idem dicendum de Reliquiis simoniace comparatis, Medalliis benedictis, Iure Patronatus, licentia eligendi Confessarium, &c.

Dico 10, qui Beneficium simoniacẽ accepit, te-

netur restituere omnes fructus ante sentẽtiam Iudicis, etiam eos quos diligens Procurator potuisset ex re colligere, deductis tamen expensis quas ad id facere potuisset, nec is tãtum qui simoniacè beneficium accepit debet statim restituere, sed etiam qui bonâ fide accepit aliquid quod ei per simoniã contigit. is enim cùm primùm scit per simoniam acquisiuisse, debet restituere Ecclesiæ vel fabricæ, fructus qui adhuc extant, non tamẽ eos quos bonâ fide consumpsit. quod si quis per calumniã vel malitiosè illi rem procurauit simoniacè, vt postea teneretur resignare, nihil omnino tenetur restituere. ita enim ius disponit ad tollendam calumniam. sic syl. verb. simonia, q. 19. & 20. & alij communiter. Idem est dicendum si tu metuens ne quis pecuniam pro beneficio tibi impetrando daret expressè contradixisti. hoc collig. ex cap. sicut tuis litteris de simon. si tamen nonobstante ea cõtradictione, ante collationem scias pecuniam re vera datam, & nihilominus acceptes collationem, contradictio tua nihil proderit teneriſque renũciare beneficio, quia collatio nulla est, cum sit simoniaca: non tamen incurristi excommunicationem.

Quæres, an qui per ignorantiam inculpabilẽ impetrauit beneficium simoniacè teneatur illud restituere dum id cognouit? *Resp.* quod sic, estque inhabilis ad idem beneficium nisi accedat dispensatio idque in pœnam illorum, qui simoniacè beneficium ei procurauerunt. vt patet ex cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis de simonia. quod si illi procurantes laborassent ignorantia inuincibili, tunc beneficiarius non esset quidem inhabilis ad idem beneficium, sed deberet illi renũciare, & postea, 2. posset illi conferri absque dispensatione: quod idem di-

endum si contractus simoniacus ab ipso Beneficiario per ignorantiam celebratus sit, quia prior collatio irrita fuit, vt pote per contractum irritum facta, nullam tamen censuram in illis casibus incurrit ipse Beneficiarius cum in nullis peccasse, supponatur. Less. dub. 25. n. 142.

Dico 11. pretium temporale acceptum pro conferendo Beneficio vel alia re spirituali, non secutâ collatione seu traditione iure naturę restituendum est ei à quo acceptum est. sic sot. l. 9. q 8. art. 1. quia deest titulus cur possit retineri.

Dico 12. in simonia reali & vtrimque perfecta pretium temporale acceptum pro re spirituali, restituendum est ei, qui illud dedit ante condemnationem iudicis. ita sot. loc. cit. at vero interuenientę sententiâ Iudicis restituendum est Ecclesiæ in cuius ignominiam vel damnum simoniacè quis illud dedit, vel pauperibus, si in nullius Ecclesiæ certæ damnum aut iniuriam id cessit: iuxta ea quæ tradit Victoria relect. de simonia p. 2. n. 60. & hæc de simonia sint satis.

TRACTATVS OCTAVVS,

DE POTESTATE REGVLARIVM CIRCA Sacramentorum administrationem.

CAPVT I.

De potestate circa baptismi administrationem.

DIco 1. non licet Religiosis solemniter administrare baptismum, ordinariè, & in illis Regionibus in quibus singuli fideles habent Ordinarios Pastores, ad quos ex officio pertinet talis sacramenti administratio: possunt tamen in necessitate illud ministrare secundum

ius commune sine solemnitate.

Dico 2. Religiosi quibus commissa est cura animarum, possunt cum solemnitate baptizare, nõ ex Priuilegio, sed ex iure communi, ex cap. doctos. 16. q. 1. nam ratione muneris commissi necessariò conuenit eis talis facultas.

Atque hinc infertur. 1. Patres Societatis Iesu, & per communicationem alios Religiosos qui versantur in terris Infidelium, eis posse ministrare baptismum, quia illo ipso quod mittuntur ad prædicandum gentibus, illis committitur animarum cura, tum quia est necessitas vrgens, tum quia ibi locum habet Pauli III. concessio facta Patribus dictæ Societatis, vt possint ministrare sacramenta Ecclesiastica sine præiudicio alicuius, scilicet Parochi, vel Episcopi, nam ex hypothesi nullus est ibi ordinarius Pastor.

Infertur 2. quod vbi sunt fundatæ Ecclesiæ in quibus sunt proprij Parochi vel Episcopi, non possunt Religiosi ibi ministrare sacramentum baptismi cum solemnitate, quia hoc incumbit propriis Pastoribus, cessatque necessitas, & iam intercedit præiudicium Tertij Parochi scilicet deputati, cessat denique delegatio facta, nam intelligenda est solùm fieri quandiu ordinarij Pastores deficiunt, hoc quoque modo Suares putat esse intelligenda priuilegia quæ à Leone X. Paulo III. & IV. referuntur concessa, nonnullis Religiosis mendicantibus vt inter Indos, & Infideles possint baptizare eos qui ad fidem conuertuntur, ideoque Pius V. anno 1567. quasi interpretans hæc indulta solum concessit Religiosis vt possint baptizare, in locis regionum

curæ illorum commiſſis, vel committendis: ergo in his quæ aliorum curæ commiſſa ſunt, non debent ſe intromittere.

Quæres 1. an Infideles qui morantur in terris alicui Epiſcopo, vel Parocho commiſſis, poſſint baptizari à Religioſis ſi ad fidē conuertantur? *Reſp.* quod non, excepto caſu neceſſitatis, ſed baptizandi ſunt à Parocho vel ab Epiſcopo.

Quæres 2. an filij infidelium poſſint baptizari parentibus inuitis? *Reſp.* non poſſe, niſi eſſent conſtituti in certo mortis articulo aut periculo, & ſi poſteà conualeſcant, à poteſtate paterna ſint eripiendi ne illos contaminent ſacrilegis ſacrificiis. quod idem extenditur 1. ad filios infidelium poſtquam in poteſtatem Principū Chriſtianorū deuenerunt etiam per iniuriam, quando eſt omnino impoſſibile parentibus eos reſtituere. 2. idem extenditur ad filios Hæreticorum, vel Apoſtatarum à fide, habitantium in locis, in quibus liberè exercent ſuam religionem, quando autem tales habitant in terris, vel publicè coguntur profiteri fidem Catholicam, eorum filij baptizandi ſunt, & ne ſubuertantur omnino præcauendum. hæc Coninch. de Sacra. q. 68. art. 10. dub. vnico, n. 69. 76. 79. & 81. & alij omnes Theologi.

Quæres 3. an minima quantitas aquæ, vt gutta vna, vel duæ ſufficiant ad conficiendum baptiſmum? *Reſp.* quod ſic, dummodo contingant corpus, & poſſint ſucceſſiuè fluere per partes corporis: quod poteſt facere exigua quantitas aquæ. Sic Henriq. l. 2. c. 21. n. 4. Vaſq. in 3. part. to. 2. diſp. 245. c. 4 n. 32.

Quæres 4. an aqua ex ſale reſoluta ſit ſufficiens

materia ad conferendum baptiſmum ? *Reſp.* quod ſic. Idem dico de aqua niuea & glaciali, & de ea quæ colligitur ex vaporibus denſatis, cũ ex ollæ ore euaporantur, & teſtaceo tegumento excipiuntur. Item de ea quæ hyemali tempore ex parietibus, lapidibuſque effluit, nam vapores eſſentialiter ſunt aqua: aqua vero ex parietibus manans aqua eſt ex aëre humido in aquam verſo. ita Fernand in examine Theol. moral. p. 3. c. 11. § 2. n. 3. ſecus dicendum de aqua quæ effluit ex arboribus, ſarmentis, herbis & plantis, nam aqua iſta eſt potius ſuccus quam aqua. ita Fernand vbi ſup. Henriq. l. 2. c. 6. n. 2. & alij.

Quæres 5. an infans exiſtens adhuc in vtero matris poſsit in neceſſitate baptizari ? *Reſp.* quod ſic, etiam ſi nullam corporis partem exerat: dummodo ſufficiẽter aqua perfundi poſsit. ita Coninch. loc. ſup. cit. art. 11. num. 90. cum aliis quos ibi citat.

Quæres 6. an mulier ægra ad mortem damnata, poſſit prius ſecari, ſi adſit periculum ne vi morbi ante partum vnà cum prole moriatur, & ſpes adſit quod infans poſſit baptizari? Reſpondet Coninch. loc. cit. n. 92. id eſſe licitum, & allegat pro ſe Suarium; ſed verior eſt opinio Comitoli lib. 1. reſp. moral. q. 14. aſſerentis id non poſſe licitè fieri, tùm quia in maximum diſcrimen partus adduceretur, ſi è viuentis matris vtero excidendus eſſet; tùm quia non licet matri conſentire vt adhuc viua aperiatur vt poſsit puer baptizari, eſſet enim directa ſui ipſius occiſio. quod idem aſſerit Coninch. vbi ſup. de muliere innocente etiam ex ſe ad id parata, quamuis proles ante partum cum illa neceſſariò ſit moritura.

Digitized by Google

CAPVT II.

Quid possint religiosi circa administrationem Sacramenti Eucharistiæ?

DIco 1. Religiosi possunt ministrare Sacramentum Eucharistiæ omnibus Christi fidelibus, tam extraneis quam aliis in Ciuitatibus, in quibus consistunt commorantibus, aut illàc transeuntibus quouis anni tempore, excepto festo Paschatis Dominicæ Resurrectionis, & in mortis articulo, concessit Paul. 3. Patribus Societatis anno 1549. simile priuilegium fuerat ante concessum Minoribus à Nicolao 5. Sixto 4. & Leone 10. vt habetur in compendio Fratrum Minorum verbo communicare. § 4. 5. & 9. vbi nota quod Leo decimus declarauit per festum Resurrectionis Dominicæ debere intelligi præcisè diem ipsum in quo celebratur festum Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, non autem iuxta communem exponendi consuetudinem quæ nomine Paschæ in præcepto de communione in Paschate, vult intelligi octo dies ante & totidem post ipsum festum Resurrectionis. vide compendium priuileg. Fratrum Minorum verbo communicare, quo loco docet A. Sorbo in suis annotationibus ad idem verbum, fideles satisfacere præcepto communionis Paschalis, si in vno dierum octo ante vel post Paschà communicent in Ecclesiis Regularium. cuius sententiæ astipulantur Nau. in Man. c. 21. n. 52. & Azor. 1. p. dum agit de præcepto communionis, quibus tamen

refragantur Suarez to. 3. in 3. p. disp. 71. sect. 2. & Rodrig. to. 1. quæst. Regul. q. 56. asserentes hæc verba Leonis decimi (præterquàm in die festo Resurrectionis Dominicæ) esse intelligenda non materialiter seu ad litteram, sed formaliter, id est, pro septimana præcedente & subsequente prædictum diem Dominicæ Resurrectionis. vtraque sententia est probabilis', & tuta in praxi. existimo tamen ob bonum pacis conseruandæ inter Parochos, & Regulares, sententiam Suarij esse amplectendā.

Dico 2. Religiosi possunt ministrare sacrum Domini corpus infirmis necessitate vrgente, & modo id fiat sine preiudicio alicuius, ex Paulo 3. Itē peregrinis, mercatoribus, transeuntibus, & aliis qui ad id priuilegium habent. Itemque iis qui iam Parochiæ suæ satisfecerunt etiam ipsō die resurrectionis Sacramentum Eucharistiæ dare licet, ex Iulio 2. idque in propriis Ecclesiis tantùm, & non in alienis sine licentia eorū ad quos pertinet. id cōstat ex his quæ habentur in compendio priuilegiorum Societatis Iesu, verbo, Eucharistia, in Scholio ad §. 2. & ex Roderico in qq. regularibus to. 1. qu. 56. art. 3.

Dico 3. Religiosi possunt ministrare Sacramētum Eucharistiæ, famulis suorum Conuentuum in habitu sæculari deseruientium quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo, in suis Conuentibus & Ecclesiis, cuiusuis licentia super hoc minimè requisita. ita Leo 10. Minimis, vt habetur in eorum compendio. fol. 57. Idem dic de familiaribus qui in domibus seu conuentibus demorantur ex Mart. 5. priuilegio Benedictinis concesso. Compend. priuil. Fr. Min. verb. familiares seu famuli Fratrum.

Digitized by

Dico 4. per priuilegium concessum Religiosis Monasterij de Guadaluppe à Nicolao 5. an. 1458. Pontificatus sui an. 4. Calendis Octobris, illi religiosi possunt ministrare Sacramentum Eucharistiæ quibuscumque personis ad sua Monasteria confluentibus, etiam in die Paschatis, licentia Diœcesanorum aut cuiusuis alterius minimè requisita, quod priuilegium ampliauit Paulus 3. an. 1. sui Pontificatus 13. Calend. Februarij viuæ vocis oraculo facto Antonio Cardinali ac Pœnitentiario dicti Pauli, quo concessit Presbyteris dicti Monasterij de Guadaluppe facultatem ministrandi Sacramentum Eucharistiæ tam intra quam extra, in illius Capellis, Oratoriis, Grangæis & aliis locis eiusdē Monasterij (non contradicente Priore, aut in eius absentia vel sede vacante Vicario) subditis eiusdem Monasterij, vel ab eo dependentibus, & aliis fidelibus illuc confluentibus vtriusque sexus, etiam in die Paschatis, Diœcesanorum locorum, & Rectorum, ad hoc licentia minimè requisita, & sic præcepto Ecclesiæ satisfaciant non obstantibus contrariis quibuscumque. sic habetur in compendio Ordinis diui Hieronymi §. 2. & 6. ref. à Rodrig. loc. sup. cit. vbi notat, concessionem illam quamuis peculiariter facta fuerit vni tantùm Monasterio, censeri tamen extendendam ad omnes qui communicant in priuilegiis illius Ordinis, quia ea fuit extensa per Pium quartum & quintum ad omnia Monasteria illius Ordinis, & facta est communis. Vnde

Dico 5. qui habent plenissimam omnium priuilegiorum & gratiarum communicationem participant hoc priuilegium, & possunt sine periculo peccati, & excommunicationis ministrare Sacra-

mentum Eucharistiæ, in die Paschatis, nec istud priuilegium est abrogatum, quamuis forte non sit in vsu, quia priuilegia Fratrum Minorum, & Tertiariorum S. Francisci fuerunt confirmata à Pio 4. & aliis Summis Pontificibus cum clausula, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, quæ clausula confirmat etiam priuilegia quæ per non vsum sunt abrogata, tum quia Sixtus 5. qui confirmauit priuilegia prædictorum Fratrum Minorum, & Tertiariorum ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, nō addidit illa verba quatenus sunt in vsu, imo de nouo concessit per viam communicationis priuilegium Nicolai 5. & Antonij Cardinalis, cōcessum Monasteriis ordinis S. Hieronymi, & Iulij 2. concessum fratribus Minimis, tum denique quia non vsus minime præiudicat ignorantibus, & talis non vsus in religionibus ex ignorantia priuilegiorum fuit introductus.

Notandum tamen est quod licet ista sint vera, Religiosi tamen non debent publicare se habere licentiam generalem ad communicandum fideles in die Paschatis, cum Parochi hoc ægrè ferant, & Episcopi contradicant, & nolint aliam concessionem præter concessionem Leonis decimi circa hoc obseruari: quare his priuilegiis debent vti nō passim, sed prudenter & cautè, & peculiariter quoad hoc priuilegium Monasterij de Guadalupe adductum, nec non extensionem ipsius, consulit religiosis Suarez ne omnino illo vtantur tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 3. num. 6. & certè ita se gerere consultius erit, secundum meum consilium.

Dico 6. cum supra diximus Religiosos posse ministrare Sacramentum Eucharistiæ, necessitate

vrgente, id non eſt intelligendum de extrema neceſſitate, ſed de graui. ad quam duo requiruntur, primũ, vt proximus ſit in probabili periculo mortis, non tamen eſt expectandum donec ſit iam deſperatus, ſed ſufficit probabilis coniectura quod accedat ad mortem. ſecundum eſt, vt Parochus abſit, vel ſi adeſt, non poſſit aut nolit dare Euchariſtiam indigenti, nam tunc proximus conſtituitur in vera neceſſitate.

Dico 7. adminiſtrandam Euchariſtiam non requiritur lientia de præſenti, ſed ſufficit ratihabitio de futuro, vnde ſi quis Religioſus conferret Euchariſtiam moribundo, credens vel præſumens id gratum fore Parocho, non peccaret mortaliter. quod idem dico de eo qui miniſtraret communionem in feſto die Paſchatis.

Dico 8. cum diximus ſupra (Religioſos non poſſe communicare fideles in alienis Eccleſiis ſine licentia eorum ad quos pertinet) illud eſt intelligendum de Communione quæ eſt in præcepto, qualis eſt quæ fit in Paſchate aut in mortis articulo, non autem de ea quæ fit ex deuotione.

CAPVT III.

Soluuntur quædam dubitationes de Communione.

DVbitabis 1. an qui præuidet ſe non poſſe implere præceptum communionis in tempore Paſchatis ob aliquod impedimentum, teneatur

præuenire? *Resp.* quod non. ita Az. 1. parte l. 7. c. 90. q. 13.

Dub. 2. vtrum per indignam Sacramenti susceptionem satisfaciat quis præcepto communionis Paschalis? *Resp.* quod sic. ita Az. loc. cit. q. 12. Suar. 3. p. to. 3. disp. 70. sect. 2. & alij.

Dub. 3. an eo ipso quod pueri sunt capaces Confessionis, sint etiam capaces recipiendi sacram Eucharistiam? *Resp.* per se quidem loquendo esse capaces illius recipiendæ, sed vsu & consuetudine introductum esse, vt non admittantur ad illam ante decenniū saltem, quia cibus ille, est cibus grandium, quem dari non decet pueris firmum iudicium nondum habentibus, ad discernendum inter hunc panem supercœlestem, & panem communem qu vsitatum. huic meæ responsioni fauet Vasques, in 3. p. to. 3. disp 214. c 4. n. 38 & alij.

Dub. 4. an qui tempore Paschatis non communicauit teneatur præcepto satisfacere quàm primum poterit? *Resp.* quod sic, quia conceditur terminus annuus non vt cesset obligatio, sed vt adimpletio diutius non possit differri, sine peccato mortali.

Dub. 5. an qui deglutiuit chartam, lignum, plumbum, aut quiduis aliud non comestibile, fregerit ieiunium Eucharisticum, ita vt non possit illa die accedere ad mensam Domini, aut ad sacrificiū offerendum? *Resp.* quòd non fregit ieiunium Eucharisticum, atque ideo potest sine scrupulo Communionem sumere. sic tenet Sancius in select. disp. 42. n. 23. Ioan. de la Crux in direct. p. 2. de Euch. q. 5. dub. 4. quod idem dicendum de eo qui deglutiuit reliquias cibi diei præcedentis, dentibus inhærentes, etiam si non casu, sed voluntariè eas deglutiret.

Digitized by Google

glutiret. ſic Ioan. de la Crux vbi ſup. concl. 2. Suar. hanc ſententiam vocat probabilem in 3. p. to.3. diſp. 68. ſect. 4. & alij. quod idem dicendum quando quis aliquantulum aquæ per nares atrahit, vel ſimilia quæ iii ſtomachum aliquando tranſmittuntur. Item quando quis aliquid atrahit per modum reſpirationis, etiamſi poſſit nutrire, vel alterare, vt muſcam vel quid ſimile. hoc inquam non impedit Sacramenti ſuſceptionem. Facundez de præcep. Eccl. præc. 3. c 5. n 14. & alij.

Dub. 6. an qui ſacram Euchariſtiam ſumpſit ex deuotione paulò ante mortis periculum, teneatur iterum communicare præſente mortis articulo ſeu periculo? *Reſp.* quod non. conſulendum tamen eſt vt Euchariſtiam per modum viatici accipiat, ſed non tenetur, cum præceptum de Euchariſtia ante inſtantem mortem ſumenda ſecundum ſubſtantiâ impleuerit. Sic Layman in Theol. moral. l. 5. tract. 4. c. 5. n. 4. & alij.

Dub. 7. an poſſit Sacerdos ſe ipſum communicare extra Miſſam? *Reſp.* quod ſic, dummodo non ſit alius Sacerdos qui poſsit & velit ei miniſtrare, & abſit ſcandalum: quod quidem facilè vitare poteſt dicendo aſtantibus ſe tutâ conſcientiâ id facere poſſe. Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 72. ſect. 3. & alij. quod idem dicendum quamuis adeſſet Diaconus, qui poſſet & vellet ei miniſtrare. & hoc poteſt facere non tantùm in caſu neceſsitatis, ſed etiam deuotionis causâ, etiam præſente Diacono, & qualiber diei horâ, modò ſit ieiunus, & abſit ſcandalum. Diana tract. de celeb. Miſſarum reſol. 53. quod idem aſſerit de laico in mortis articulo conſtituto, & miniſtrum idoneum non habente, à quo Euchariſtiam ſumat: dummodo abſit ſcandalum;

imò plus addit, dicens cum Val. to.4.disp.6.q.1&. p.1. laicum non solùm posse seipsum in articulo mortis communicare si desit Sacerdos, sed etiam alios, cum id nullo iuri naturali aut diuino aduersetur. quia nullum est præceptum id prohibens in casu necessitatis. ita Dian. tract. 4. de Sacram. resol.47.

Dub. 8. an possit sæpiùs dari sacra Eucharistia infirmo, qui semel in articulo mortis constiturus sumpsit per modũ viatici non ieiunus? *Resp.* quod sic, dummodo adsit eadem necessitas in aliis vicibus, quæ erat in prima. Tol.l.10.c.15.

Dub. 9. quodnam temporis interuallum seruandum est inter primam & secundam communionem, quando infirmus est iterum communicandus non ieiunus? *Resp.* sufficere tempus, sex aut octo dierum. Suar.in 3.p.to.3.disp.68.sect.4.Henriq.li.8 cap.5: Diana tract.de celeb. Missarum, resol. 78.

Dub. 10. an sit danda Eucharistia per modum viatici infirmo qui ob febrim, in delirium aut amentiam incidit? *Resp.* quod sic, dummodo absit irreuerentia & periculum vomitus. quod sic probari poterit, vt primum detur ei aliqua particula non consecrata, quam si reuerenter sumat protinus porrigatur illi particula consecrata. si autem priorem non consecratam irreuerenter sumpserit, aut euomuerit, non debet Sacerdos tradere consecratam. & hoc quod diximus in responsione procedit etiam si infirmus tempore vsus rationis non petierit expressè sacram Eucharistiam, nec ostenderit signa contritionis confessionis & communionis, modo de eo non constet, quod amiserit vsum rationis in complacentia peccati mortalis.

Digitized by Google

ſic Diana loc. cit. reſol. 78. cum D. Th. in 3. p. q. 88. art. 9. & alij quos ibi citat.

CAPVT IV.

Quid valeant Religioſi, circa Sacramenti Ordinis adminiſtrationem?

CIrca hoc dubium multæ occurrunt difficultates quæ breuitate ſolitâ ſoluentur.

Quæres itaque primò, an Abbates exempti, benedicti, mitra & baculo Paſtorali vtentes, poſsint conſecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere lapides, pyxides & alia vaſa Eccleſiaſtica non ſolùm ad vſum ſuarũ Eccleſiarũ, ſed etiam alienarum? *Reſp.* quod ſic, ex priuilegio Innocent. 8. legendus Rodriques in Summ. to. 3. c. 19. n. 2. Portel. in dubiis regul. verbo Abbas, num. 3. quod idem aſſerit de Patrib. Societatis Ieſu in India quoad calicum conſecrationem.

Quæres 2. an prædicti Abbates poſsint conferre Ordines? *Reſp.* poſſe conferre Tonſuram, & quatuor minores ſuis ſubditis, & non aliis, ex cap. quoniam, diſt. 19. & ita conceſsit Iulius 2. Bulla 25. Abbatibus Ordinis ſancti Benedicti: nec hoc priuilegium eſt reuocatum per Conc. Trid. Portell. loc. cit. n. 2.

Quæres 3. an poſsint ſuperiores Regulares conferre ſuis ſubditis litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis Ordinibus? *Reſp.* quod ſic, ex declaratione Sixti 5. & decreto Clementis 8. 15. Martij anno 1592. de quo latè Diana tract. 2. Miſcel. re-

fol. 15. Portellus verbo Ordinis ſacri ſuſpenſio, in addit. n. 1. idque colligit ex Alex. 4. conceſsione, quæ refertur à Rodriques in bullario ſuo fol 54. col. 1. vbi fit facultas ſuperioribus Minorum mittendi Fratres ſuos ordinandos ad quoſcumque Epiſcopos habentes communionem, & gratiam Sedis Apoſtolicæ, quod idem licere ſuperioribus quoad nouitios docet Suar. to. 3. de Rel. lib. 5. cap. 16. num. 17. quia Nouitij gaudent priuilegiis Religionis circa profeſſos conceſſis, & de hoc aſſerit Suar. extare priuilegium Societatis ſuperioribus conceſſum, vt videre eſt in compendio priuilegiorum dictæ Societatis, verbo communicatio §. 5. videndus etiam Molina to. 1. de iuſt. diſp. 139. Diana tract. 2. de dub. regul. reſol. 7.

Quæres 4. an regulares poſſint ordinari extra tempora? *Reſp.* quod ſic, ex conceſſ. Clem. 8. facta Religioſis Congregationis ſancti Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia, cuius virtute poſſunt ordinari extra tempora per quemcumque Epiſcopum. Fuit autem hæc bulla expedita anno Domini 1596. die 23. Nouembris, Portell. verbo Ordines ſacri n. 4. & alij. hoc etiam patet ex priuilegiis conceſſis ab Alex. 6. & Eugenio 4. religionibus D. Hieronymi & D. Benedicti quæ non ſunt reuocata, à Concil. Trid. Diana loc. cit. reſol. 31.

Quæres 5. an ſuperiores Regulares poſſint diſpenſare cum ſubditis, in interſtitiis? *Reſp.* quod ſic, ex conceſſ. Greg. 13. facta Societati Ieſu. ſic etiam tenet Ioannes de la Crux in direct. conſcient. p. 2. de Sacramento Ordinis, dub. 5. concl. 2. ſi quis autem ſuſciperet Ordines non ſeruatis interſtitijs nullam incurreret cenſurã, nec irregularitatẽ, quia in iure non continetur. Diana vbi ſup. reſ. 32.

Quæres 6. an poſſit Regularis ordinari ante ætatem? *Reſp.* quod non, & ſi forte aliquis ordinaretur incurreret ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto, & ſi miniſtret in ordine ſuſcepto, contrahit irregularitatem in qua diſpenſari poteſt à ſuo ſuperiore Regulari, & ab eodem abſolui à ſuſpenſione. ita Portel.loc.cit.n.14.

Quæres 7. quam pœnam incurrat qui ſciens profeſſionem ſuam eſſe irritam, nihilominus permittit ſe ordinari? *Reſp.* peccare mortaliter, & incurrere ſuſpenſionem, quia ordinatur ſine titulo patrimonij. Portellus loc.cit.n.8.

Quæres 8. an poſsint Prælati Regulares benedicere paramenta, non ſolùm pro ſuis Eccleſiis, ſed etiam pro alienis? *Reſp.* quod ſic, ex conceſsione Innoc. 8. vt habetur in Compendio Minorum, verbo benedicere. & in compend.Societ. eodem verbo.

Quæres 9. an poſsint Regulares celebrare vbique in altari portatili? *Reſp.* quod ſic, ita Ioan. de la Crux in Epitome priuileg. l.2. cap 5.concl.4. verſu ſi obiicias, Portell.verbo altare num.1. Diana loc.cit.reſol.80.

Quæres 10. an Prælatus Regularis poſsit iudicare vtrum defectus corporalis ſibi ſubditi impediat celebrationem, vel inducat notabilem deformitatem? *Reſp.* quod ſic, ita Auila 7.part.de irreg. diſp.3. dub.2. §. vtrum vero. idem tenent Ang. verbo corpore vitiatus n.5. Armill.n.3.

Digitized by Google

potest se indemnem seruare. Suar. 3. p. to. 3. disp. 86. sect. 4.

Quæres 2. an Sacerdos qui ministrat alijs cum peccato mortali Sacramentum Eucharistiæ, in Missa vel extra illam peccet mortaliter? *Resp.* quod non. ita Vasq. in 3. part. tom. 2. disp. 136. cap. 3. num. 38.

Quæres 3. quâ horâ possit Sacerdos inchoare Missam? *Resp.* ex communiori sententia posse inchoare Missam per horam cum dimidia ante solis ortum. Alij verò dicunt posse inchoare Missam duabus horis ante radios solis apertos. Suar. loc. cit. dis. 8. sect. 4. ex quo infert Religiosos habentes priuilegium vt celebrẽt per horam ante diem, celebrare etiam posse per tres horas ante solis ortum. Imò asserunt nonulli posse illico post Matutinum aut post duas horas mediæ noctis Missas celebrare ex priuilegiis. ita Ioan de la Crux in direct. consc. p. 1. de sacrif. Missæ quæst. 2. dub. 1. concl. 3. *conf. Diana p. 3. 536*

Quæres 4. quâ horâ diei possit Sacerdos finire Missam? *Resp.* Sacerdotem sæcularem posse celebrare post meridiem, dummodò non attingat spatium vnius horæ. at verò Religiosi ex suis priuilegiis possunt celebrare vsquè ad horam tertiam post meridiem inclusiuè. ita Ioan. de la Crux vbi sup. concl. 4. notat præterea Diana tract. de Missa. celebrat. resol. 34. ex Suare & aliis, Sacerdotem festo die ratione itineris impeditum posse Missam incipere vnâ horâ post meridiem

Quæres 5. an peccet mortaliter Sacerdos celebrans Missam ante diuini Officij recitationem?

Reſp. quod non. Ioan.de la Crux vbi ſup. p. 1.præcep.3.art.3.dub.4.concl.2. & alij.

Quæres 6. an deficientibus particulis conſecratis poſſit ſacerdos nedum moribundo, ſed etiam alteri ex deuotione communicare volenti, partem hoſtiæ pro ſacrificio cõſecratę dare? *Reſp.* quod ſic. Emm. Sà verbo Euch.n.15.& alij.

Quæres 7. an ſacerdos peccet mortaliter celebrans in neceſſitate cum lumine olei, vel lampadis? *Reſp.* quod non. Azor.p.1.l.10.c.18.q.15.& alii.

Quæres 8. an ſacerdos peccet mortaliter celebrans ſine neceſſitate cum cingulo non benedicto, aut fracto? *Reſp.* quod non. ſic Emm. sà verbo Miſſa, n.10.& alij multi. quod idem dico de celebrante Miſſam in eodem caſu neceſſitatis ſine ſtola, manipulo, vel cingulo, vel cum illis veſtibus non benedictis, non autem extra neceſſitatem: niſi quoad cingulum, vt dictum eſt priori reſponſione, quod quidem cingulum etiam inſeruire poteſt, licet ſit ita fractum vt neutra pars ſufficere per ſe poſſit, & neceſſe ſit partes ſimul connecti.

Quæres 9. vtrum ſacerdos poſſit celebrare in patena & calice nondum conſecrato, & cum veſtibus nondum benedictis ſi alius ſacerdos bonâ fide cum ipſis Miſſam ante celebraſſet? *Reſp.* quod ſic. quia per talem Miſſam bonâ fide celebratam benedicta remanſerunt, Emm. Sà, verbo Eccleſia.

Quæres 10. an peccet mortaliter, omittens voluntarie Credo vel Gloria in excelſis? *Reſp.* quod non. Filiuc.to.1.tract. 5. c. 5.n. 155. quod idem putat de omittente in canone, nomen alicuius ſancti vel tempore Paſchali ea quæ interponuntur in communicantes, aut in actione, hanc igitur oblationem, &c.

refragantur Suarez to. 3. in 3. p. disp. 71. sect. 2. & Rodrig. to. 1. quæst. Regul. q. 56. asserentes hæc verba Leonis decimi (præterquàm in die festo Resurrectionis Dominicæ) esse intelligenda non materialiter seu ad litteram, sed formaliter, id est, pro septimana præcedente & subsequente prædictum diem Dominicæ Resurrectionis. vtraque sententia est probabilis', & tuta in praxi. existimo tamen ob bonum pacis conseruandæ inter Parochos, & Regulares, sententiam Suarij esse amplectendā.

Dico 2. Religiosi possunt ministrare sacrum Domini corpus infirmis necessitate vrgente, & modo id fiat sine preiudicio alicuius, ex Paulo 3. Itē peregrinis, mercatoribus, transeuntibus, & alijs qui ad id priuilegium habent. Itemque iis qui iam Parochiæ suæ satisfecerunt etiam ipsō die resurrectionis Sacramentum Eucharistiæ dare licet, ex Iulio 2. idque in propriis Ecclesiis tantùm, & non in alienis sine licentia eorū ad quos pertinet. id cōstat ex his quæ habentur in compendio priuilegiorum Societatis Iesu, verbo, Eucharistia, in Scholio ad §. 2. & ex Roderico in qq. regularibus to. 1. qu. 56. art. 3.

Dico 3. Religiosi possunt ministrare Sacramētum Eucharistiæ, famulis suorum Conuentuum in habitu sæculari deseruientium quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo, in suis Conuentibus & Ecclesiis, cuiusuis licentia super hoc minimè requisita. ita Leo 10. Minimis, vt habetur in eorum compendio. fol. 57. Idem dic de familiaribus qui in domibus seu conuentibus demorantur ex Mart. 5. priuilegio Benedictinis concesso. Compend. priuil. Fr. Min. verb. familiares seu famuli Fratrum.

Digitized by Google

Dico 4. per priuilegium concessum Religiosis Monasterij de Guadaluppe à Nicolao 5. an. 1458. Pontificatus sui an. 4. Calendis Octobris, illi religiosi possunt ministrare Sacramentum Eucharistię quibuscumque personis ad sua Monasteria confluentibus, etiam in die Paschatis, licentia Diœcesanorum aut cuiusuis alterius minimè requisita, quod priuilegium ampliauit Paulus 3. an. 1. sui Pontificatus 13. Calend. Februarij viuæ vocis oraculo facto Antonio Cardinali ac Pœnitentiario dicti Pauli, quo concessit Presbyteris dicti Monasterij de Guadaluppe facultatem ministrandi Sacramentum Eucharistiæ tam intra quam extra, in illius Capellis, Oratoriis, Grangæis & aliis locis eiusdē Monasterij (non contradicente Priore, aut in eius absentia vel sede vacante Vicario) subditis eiusdem Monasterij, vel ab eo dependentibus, & aliis fidelibus illuc confluentibus vtriusque sexus, etiam in die Paschatis, Diœcesanorum locorum, & Rectorum, ad hoc licentia minimè requisita, & sic præcepto Ecclesiæ satisfaciant non obstantibus contrariis quibuscumque. sic habetur in compendio Ordinis diui Hieronymi §. 2. & 6. ref. à Rodrig. loc. sup. cit. vbi notat, concessionem illam quamuis peculiariter facta fuerit vni tantùm Monasterio, censeri tamen extendendam ad omnes qui communicant in priuilegiis illius Ordinis, quia ea fuit extensa per Pium quartum & quintum ad omnia Monasteria illius Ordinis, & facta est communis. Vnde

Dico 5. qui habent plenissimam omnium priuilegiorum & gratiarum communicationem participant hoc priuilegium, & possunt sine periculo peccati, & excommunicationis ministrare Sacra-

mentum Eucharistiæ, in die Paschatis, nec istud priuilegium est abrogatum, quamuis forte non sit in vsu, quia priuilegia Fratrum Minorum, & Tertiariorum S. Francisci fuerunt confirmata à Pio 4. & aliis Summis Pontificibus cum clausula, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, quæ clausula confirmat etiam priuilegia quæ per non vsum sunt abrogata, tum quia Sixtus 5. qui confirmauit priuilegia prædictorum Fratrum Minorum, & Tertiariorum ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, nõ addidit illa verba quatenus sunt in vsu, imo de nouo concessit per viam communicationis priuilegium Nicolai 5. & Antonij Cardinalis, cõcessum Monasteriis ordinis S. Hieronymi, & Iulij 2. concessum fratribus Minimis, tum denique quia non vsus minime præiudicat ignorantibus, & talis non vsus in religionibus ex ignorantia priuilegiorum fuit introductus.

Notandum tamen est quod licet ista sint vera, Religiosi tamen non debent publicare se habere licentiam generalem ad communicandum fideles in die Paschatis, cum Parochi hoc ægrè ferant, & Episcopi contradicant, & nolint aliam concessionem præter concessionem Leonis decimi circa hoc obseruari: quare his priuilegiis debent vti nõ passim, sed prudenter & cautè, & peculiariter quoad hoc priuilegium Monasterij de Guadalupe adductum, nec non extensionem ipsius, consulit religiosis Suarez ne omnino illo vtantur tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 3. num. 6. & certè ita se gerere consultius erit, secundum meum consilium.

Dico 6. cum supra diximus Religiosos posse ministrare Sacramentum Eucharistiæ, necessitate

vrgente, id non eſt intelligendum de extrema neceſſitate, ſed de graui. ad quam duo requiruntur, primũ, vt proximus ſit in probabili periculo mortis, non tamen eſt expectandum donec ſit iam deſperatus, ſed ſufficit probabilis coniectura quod accedat ad mortem. ſecundum eſt, vt Parochus abſit, vel ſi adeſt, non poſſit aut nolit dare Euchariſtiam indigenti, nam tunc proximus conſtituitur in vera neceſſitate.

Dico 7. adminiſtrandam Euchariſtiam non requiritur lientia de præſenti, ſed ſufficit ratihabitio de futuro, vnde ſi quis Religioſus conferret Euchariſtiam moribundo, credens vel præſumens id gratum fore Parocho, non peccaret mortaliter. quod idem dico de eo qui miniſtraret communionem in feſto die Paſchatis.

Dico 8. cum dixímus ſupra (Religioſos non poſſe communicare fideles in alienis Eccleſiis ſine licentia eorum ad quos pertinet) illud eſt intelligendum de Communione quæ eſt in præcepto, qualis eſt quæ fit in Paſchate aut in mortis articulo, non autem de ea quæ fit ex deuotione.

CAPVT III.

Soluuntur quædam dubitationes de Communione.

DVbitabis 1. an qui prætiidet ſe non poſſe implere præceptum communionis in tempore Paſchatis ob aliquod impedimentum, teneatur

præuenire? *Resp.* quod non. ita Az. 1. parte l. 7. c. 30. q. 13.

Dub. 2. vtrum per indignam Sacramenti susceptionem satisfaciat quis præcepto communionis Paschalis? *Resp.* quod sic. ita Az. loc. cit. q. 12. Suar. 3. p. to. 3. disp. 70. sect. 2. & alij.

Dub. 3. an eo ipso quod pueri sint capaces Confessionis, sint etiam capaces recipiendi sacram Eucharistiam? *Resp.* per se quidem loquendo esse capaces illius recipiendæ, sed vsu & consuetudine introductum esse, vt non admittantur ad illam ante decenniū saltem, quia cibus ille, est cibus grandium, quem dari non decet pueris firmum iudicium nondum habentibus, ad discernendum inter hunc panem supercœlestem, & panem communem squ vsitatum. huic meæ responsioni fauet Vasques, in 3. p. to. 3. disp 214. c 4. n. 38 & alij.

Dub. 4. an qui tempore Paschatis non communicauit teneatur præcepto satisfacere quàm primum poterit? *Resp.* quod sic, quia conceditur terminus annuus non vt cesset obligatio, sed vt adimpletio diutius non possit differri, sine peccato mortali.

Dub. 5. an qui deglutiuit chartam, lignum, plumbum, aut quiduis aliud non comestibile, fregerit ieiunium Eucharisticum, ita vt non possit illa die accedere ad mensam Domini, aut ad sacrificiū offerendum? *Resp.* quòd non fregit ieiunium Eucharisticum, atque ideo potest sine scrupulo Communionem sumere. sic tenet Sancius in select. disp. 42. n. 23. Ioan. de la Crux in direct. p. 2. de Euch. q. 5. dub. 4. quod idem dicendum de eo qui deglutiuit reliquias cibi diei præcedentis, dentibus inhærentes, etiam si non casu, sed voluntariè eas deglutiret.

Digitized by Google

glutiret. ſic Ioan. de la Crux vbi ſup. concl. 2. Suar. hanc ſententiam vocat probabilem in 3. p. to.3. diſp. 68. ſect. 4. & alij. quod idem dicendum quando quis aliquantulum aquæ per nares atrahit, vel ſimilia quæ iii ſtomachum aliquando tranſmittuntur. Item quando quis aliquid atrahit per modum reſpirationis, etiamſi poſſit nutrire, vel alterare, vt muſcam vel quid ſimile. hoc inquam non impedit Sacramenti ſuſceptionem. Facundez de præcep. Eccl. præc. 3. c 5. n 14. & alij.

Dub. 6. an qui ſacram Euchariſtiam ſumpſit ex deuotione paulò ante mortis periculum, teneatur iterum communicare præſente mortis articulo ſeu periculo? *Reſp.* quod non. conſulendum tamen eſt vt Euchariſtiam per modum viatici accipiat, ſed non tenetur, cum præceptum de Euchariſtia ante inſtantem mortem ſumenda ſecundum ſubſtantiã impleuerit. Sic Layman in Theol. moral. l. 5. tract. 4. c. 5. n. 4. & alij.

Dub. 7. an poſſit Sacerdos ſe ipſum communicare extra Miſſam? *Reſp.* quod ſic, dummodo non ſit alius Sacerdos qui poſsit & velit ei miniſtrare, & abſit ſcandalum: quod quidem facilè vitare poteſt dicendo aſtantibus ſe tutâ conſcientiâ id facere poſſe. Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 72. ſect. 3. & alij. quod idem dicendum quamuis adeſſet Diaconus, qui poſſet & vellet ei miniſtrare. & hoc poteſt facere non tantùm in caſu neceſsitatis, ſed etiam deuotionis causâ, etiam præſente Diacono, & qualiber diei horâ, modò ſit ieiunus, & abſit ſcandalum. Diana tract. de celeb. Miſſarum reſol. 53. quod idem aſſerit de laico in mortis articulo conſtituto, & miniſtrum idoneum non habente, à quo Euchariſtiam ſumat: dummodo abſit ſcandalum;

imò plus addit, dicens cum Val. to.4.disp.6.q.1.p.1. laicum non solùm posse seipsum in articulo mortis communicare si desit Sacerdos, sed etiam alios, cum id nullo iuri naturali aut diuino aduersetur. quia nullum est præceptum id prohibens in casu necessitatis. ita Dian. tract. 4. de Sacram. resol.47.

Dub. 8. an possit sæpiùs dari sacra Eucharistia infirmo, qui semel in articulo mortis constiturus sumpsit per modũ viatici non ieiunus? *Resp.* quod sic, dummodo adsit eadem necessitas in aliis vicibus, quæ erat in prima. Tol.l.10.c.15.

Dub. 9. quodnam temporis interuallum seruandum est inter primam & secundam communionem, quando infirmus est iterum communicandus non ieiunus? *Resp.* sufficere tempus, sex aut octo dierum. Suar.in 3.p.to.3.disp.68.sect.4.Henriq.li.8 cap.5: Diana tract.de celeb.Missarum, resol.78.

Dub. 10. an sit danda Eucharistia per modum viatici infirmo qui ob febrim, in delirium aut amentiam incidit? *Resp.* quod sic, dummodo absit irreuerentia & periculum vomitus. quod sic probari poterit, vt primum detur ei aliqua particula non consecrata, quam si reuerenter sumat protinus porrigatur illi particula consecrata. si autem priorem non consecratam irreuerenter sumpserit, aut euomuerit, non debet Sacerdos tradere consecratam. & hoc quod diximus in responsione procedit etiam si infirmus tempore vsus rationis non petierit expressè sacram Eucharistiam, nec ostenderit signa contritionis confessionis & communionis, modo de eo non constet, quod amiserit vsum rationis in complacentia peccati mortalis.

ſic Diana loc. cit. reſol. 78. cum D. Th. in 3. p. q. 88. art. 9. & alij quos ibi citat.

CAPVT IV.

Quid valeant Religioſi, circa Sacramenti Ordinis adminiſtrationem?

CIrca hoc dubium multæ occurrunt difficultates quæ breuitate ſolitâ ſoluentur.

Quæres itaque primò, an Abbates exempti, benedicti, mitra & baculo Paſtorali vtentes, poſsint conſecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere lapides, pyxides & alia vaſa Eccleſiaſtica non ſolùm ad vſum ſuarũ Eccleſiarũ, ſed etiam alienarum? *Reſp.* quod ſic, ex priuilegio Innocent. 8. legendus Rodriques in Summ. to. 3. c. 19. n. 2. Portel. in dubiis regul. verbo Abbas, num. 3. quod idem aſſerit de Patrib. Societatis Ieſu in India quoad calicum conſecrationem.

Quæres 2. an prædicti Abbates poſsint conferre Ordines? *Reſp.* poſſe conferre Tonſuram, & quatuor minores ſuis ſubditis, & non aliis, ex cap. quoniam, diſt. 19. & ita conceſsit Iulius 2. Bulla 25. Abbatibus Ordinis ſancti Benedicti: nec hoc priuilegium eſt reuocatum per Conc. Trid. Portell. loc. cit. n. 2.

Quæres 3. an poſsint ſuperiores Regulares conferre ſuis ſubditis litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis Ordinibus? *Reſp.* quod ſic, ex declaratione Sixti 5. & decreto Clementis 8. 15. Martij anno 1592. de quo latè Diana tract. 2. Miſcel. re-

fol. 15. Portellus verbo Ordinis sacri suspensio, in addit. n. 1. idque colligit ex Alex. 4. concessione, quæ refertur à Rodriques in bullario suo fol 54. col. 1. vbi fit facultas superioribus Minorum mittendi Fratres suos ordinandos ad quoscumque Episcopos habentes communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ, quod idem licere superioribus quoad nouitios docet Suar. to. 3. de Rel. lib. 5. cap. 16. num. 17. quia Nouitij gaudent priuilegiis Religionis circa professos concessis, & de hoc asserit Suar. extare priuilegium Societatis superioribus concessum, vt videre est in compendio priuilegiorum dictæ Societatis, verbo communicatio §. 5. videndus etiam Molina to. 1. de iust. disp. 139. Diana tract. 2. de dub. regul. resol. 7.

Quæres 4. an regulares possint ordinari extra tempora? *Resp.* quod sic, ex concess. Clem. 8. facta Religiosis Congregationis sancti Ioannis Euangelistæ in Portugallia, cuius virtute possunt ordinari extra tempora per quemcumque Episcopum. Fuit autem hæc Bulla expedita anno Domini 1596. die 23. Nouembris, Portell. verbo Ordines sacri n. 4. & alij. hoc etiam patet ex priuilegiis concessis ab Alex. 6. & Eugenio 4. religionibus D. Hieronymi & D. Benedicti quæ non sunt reuocata, à Concil. Trid. Diana loc. cit. resol. 31.

Quæres 5. an superiores Regulares possint dispensare cum subditis, in interstitiis? *Resp.* quod sic, ex concess. Greg. 13. facta Societati Iesu. sic etiam tenet Ioannes de la Crux in direct. conscient. p 2. de Sacramento Ordinis, dub. 5. concl. 2. si quis autem susciperet Ordines non seruatis interstitijs nullam incurreret censurã, nec irregularitatẽ, quia in iure non continetur. Diana vbi sup. res. 32.

Digitized by Google

Quæres 6. an poſſit Regularis ordinari ante ætatem? *Reſp.* quod non, & ſi forte aliquis ordinaretur incurreret ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto, & ſi miniſtret in ordine ſuſcepto, contrahit irregularitatem in qua diſpenſari poteſt à ſuo ſuperiore Regulari, & ab eodem abſolui à ſuſpenſione. ita Portel.loc.cit.n.14.

Quæres 7. quam pœnam incurrat qui ſciens profeſſionem ſuam eſſe irritam, nihilominus permittit ſe ordinari? *Reſp.* peccare mortaliter, & incurrere ſuſpenſionem, quia ordinatur ſine titulo patrimonij. Portellus loc.cit.n.8.

Quæres 8. an poſsint Prælati Regulares benedicere paramenta, non ſolùm pro ſuis Eccleſiis, ſed etiam pro alienis? *Reſp.* quod ſic, ex conceſsione Innoc. 8. vt habetur in Compendio Minorum, verbo benedicere. & in compend.Societ. eodem verbo.

Quæres 9. an poſsint Regulares celebrare vbique in altari portatili? *Reſp.* quod ſic, ita Ioan. de la Crux in Epitome priuileg. l.2. cap 5.concl.4. verſu ſi obiicias, Portell.verbo altare num.1. Diana loc.cit.reſol.80.

Quæres 10. an Prælatus Regularis poſsit iudicare vtrum defectus corporalis ſibi ſubditi impediat celebrationem, vel inducat notabilem deformitatem? *Reſp.* quod ſic, ita Auila 7.part.de irreg. diſp.3.dub.2. §. vtrum vero. idem tenent Ang. verbo corpore vitiatus n.5. Armill.n.3.

CAPVT V.

Soluuntur quædam difficultates de sacrificio Missæ.

QVæres 1. an sacrificium Missæ habeat fructum infinitum, & prosit æquè multis ac paucis? hæc quæstio multorum animos huc vsquè vexauit quam tractant fusè Theologi in 3. p. diui Th. cui nos breuiter pro more respodemus.

Sacrificium Missæ spectatum, secundum effectum quem habet ex opere operato, quo ad gradū gratiæ impetratæ, sumptæ intensiuè, & quo ad entitatem, esse actu finitum: Ratio est, quia personæ quibus confertur effectus sacrificij sunt actu finitæ, ergo quod illis impertitur debet esse finitum, & probatur ex illo axiomate philosophiæ, quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, absurdū enim esset asserere sacrificium conferre aliquid infinitum rei actu finitæ, qualis est homo. si vero spectetur sacrificium seu fructus & valor sacrificij actualis Missæ, ratione operis operati, quatenus merita Christi nobis communicat extensiuè, quoad personas est infinitus, neque ad certum numerum restringitur, neque est maior vbi paucioribus applicatur, nec minor vbi pluribus, quia & res oblata est infinita, & primarius Sacerdos infinitâ dignitate pollens, cuius meritum nullâ vnquam ratione exhauriri potest: ac proinde consentaneum est, vt si effectus huius sacrificij non sit intensiuè infinitus, saltem sit extensiuè & syncategorematicè quoad personas infinitus, ac proinde nullo modo

minuitur fructus eius, etiam si multis applicetur, & tantùm fructus accipiunt multi quantùm vnus, & non magis vnus quam multi, ex vi sacrificij seu ex opere operato. quia totalis summa ex qua fit distributio in singulos, non est præcisè limitata & determinata. quod hoc exemplo declaratur, detur aliquis qui velit singulis pauperibus quotquot occurrerint dare singulos asses, eo casu, licet centum aut ducenti occurrant non minorem eleemosynã accipient singuli quam si pauciores essent, imò omnes æqualem sument & singuli tantum accipient. ac si essent soli. & ita se res habet in proposito: Deus statuit singulis pro quibus offertur sacrificium, tantum fructum, putà tres, vel quatuor gradus gratiæ dare singulis. Iam siue multis siue paucis applicetur, nõ maiorem quisque referet gradum gratiæ, si pro se solo offeratur, quàm si pro multis: nec multi minorem quam si pro se solo. & præterea cum sacrificium Missæ sit infinitum vt est impetratorium, quare non erit vt est satisfactoriũ? atque ita sentit Cai. in 3. p. q. 33. art. 6. Cordub. l. 1. q. 3. Canus de locis Theolog. l. 12. c. 13. ad 10. argument. Syl. verbo Miss. c. 10. q. 9. Sot de Eucharist lect. 7. Doctus Gamachæus aliquando magister meus, in 3. p. D. Th. de Miss. sacrif. c. 8. vbi etiam notat Sacerdotem posse plures Missas simul coniungere, & in vnam redigere, si honorarium seu stipendium quod pro vna Missa datur ad eius sustentationem, sit nimis tenue & exiguum, quod etiam docet Soto de iust. & iure l. 9. q. 3. Canus loc. cit. & alij. apud Dianam tract. de celeb. Miss. resol. 7. vbi benè aduertit quod hoc procedit, & est verum, quamuis promiserit pro singulis stipendiis se celebraturum Missam, quia nonobstante hoc pacto

potest se indemnem seruare. Suar. 3. p. to. 3. disp. 86. sect. 4.

Quæres 2. an Sacerdos qui ministrat alijs cum peccato mortali Sacramentum Eucharistiæ, in Missa vel extra illam peccet mortaliter? *Resp.* quod non. ita Vasq. in 3. part. tom. 2. disp. 136. cap. 3. num. 38.

Quæres 3. quâ horâ possit Sacerdos inchoare Missam? *Resp.* ex communiori sententia posse inchoare Missam per horam cum dimidia ante solis ortum. Alij verò dicunt posse inchoare Missam duabus horis ante radios solis apertos. Suar. loc. cit. dis. 8. sect. 4. ex quo infert Religiosos habentes priuilegium vt celebrẽt per horam ante diem, celebrare etiam posse per tres horas ante solis ortum. Imò asserunt nonulli posse illico post Matutinum aut post duas horas mediæ noctis Missas celebrare ex priuilegiis. ita Ioan de la Crux in direct. consc. p. 1. de sacrif. Missæ quæst. 2. dub. 1. concl. 3. comp. Diana pag. 536

Quæres 4. quâ horâ diei possit Sacerdos finire Missam? *Resp.* Sacerdotem sæcularem posse celebrare post meridiem, dummodò non attingat spatium vnius horæ. at verò Religiosi ex suis priuilegiis possunt celebrare vsque ad horam tertiam post meridiem inclusiuè. ita Ioan. de la Crux vbi sup. concl. 4. notat præterea Diana tract. de Missa. celebrat. resol. 34. ex Suare & aliis, Sacerdotem festo die ratione itineris impeditum posse Missam incipere vnâ horâ post meridiem

Quæres 5. an peccet mortaliter Sacerdos celebrans Missam ante diuini Officij recitationem?

Reſp. quod non. Ioan.de la Crux vbi ſup. p. 1.præcep.3.art.3 dub. 4.concl.2. & alij.

Quæres 6. an deficientibus particulis conſecratis poſſit ſacerdos nedum moribundo, ſed etiam alteri ex deuotione communicare volenti, partem hoſtiæ pro ſacrificio cõſecratę dare? *Reſp.* quod ſic. Emm. Sà verbo Euch.n.15.& alij.

Quæres 7. an ſacerdos peccet mortaliter celebrans in neceſſitate cum lumine olei, vel lampadis? *Reſp.* quod non. Azor.p.1.l.10.c.18.q.15.& alii.

Quæres 8. an ſacerdos peccet mortaliter celebrans ſine neceſſitate cum cingulo non benedicto, aut fracto? *Reſp.* quod non. ſic Emm. sà verbo Miſſa, n.10.& alij multi. quod idem dico de celebrante Miſſam in eodem caſu neceſſitatis ſine ſtola, manipulo, vel cingulo, vel cum illis veſtibus non benedictis, non autem extra neceſſitatem: niſi quoad cingulum, vt dictum eſt priori reſponſione, quod quidem cingulum etiam inſeruire poteſt, licet ſit ita fractum vt neutra pars ſufficere per ſe poſſit, & neceſſe ſit partes ſimul connecti.

Quæres 9. vtrum ſacerdos poſſit celebrare in patena & calice nondum conſecrato, & cum veſtibus nondum benedictis ſi alius ſacerdos bonâ fide cum ipſis Miſſam ante celebraſſet? *Reſp.* quod ſic. quia per talem Miſſam bonâ fide celebratam benedicta remanſerunt, Emm. Sà, verbo Eccleſia.

Quæres 10. an peccet mortaliter, omittens voluntarie Credo vel Gloria in excelſis? *Reſp.* quod non. Filiuc.to.1.tract. 5. c. 5.n. 155. quod idem putat de omittente in canone, nomen alicuius ſancti vel tempore Paſchali ea quæ interponuntur in communicantes, aut in actione, hanc igitur oblationem, &c.

Caput VI.

De potestate regularium, quoad administrationem Sacrmenti Extremæ Vnctionis.

Dico 1. Religiosi non habentes Ecclesiam parochialem non possunt ministrare fidelibus Catholicis Sacramentum Extremæ Vnctionis extra casum necessitatis: prima pars probatur, quia id prohibetur in Clement. 1. de priuilegiis. secunda pars probatur, quia ad id fauet concessio Pauli III. Patribus Societatis facta, supponimus enim ægrotum esse in probabili mortis periculo constitutum, & Parochum vel abesse, vel si præsens est non posse, aut nolle sacramentum ministrare, quo casu sine licentia Parochi & secluso scandalo ministrari potest hoc sacramentum à Religiosis, tum quia tunc præsumitur de voluntate Episcopi, tum quia non vsurpatur tunc ius Parochorum cum ipsi sint irrationabiliter inuiti.

Dico 2. Religiosi possunt ministrare sacramentum Extremæ Vnctionis iis qui intra septa suorum conuentuum aut domorum infirmati fuerint, Apostolica authoritate, Parochialis presbyteri vel alterius cuiuscumque Episcopi vel superioris licentia vel assensu minimè requisito. ex priuileg. concesso Benedictinis, à Nicolao Pranco Apostolicæ sedis Legato à latere vbi nota priuilegium hoc intelligi posse de iis sæcularibus qui aliquando ægrotant in Conuentibus Religiosorum, licet non sint famuli, eorũ obsequiis deputati, sed vel eò venerint,

hoſpitij cauſa, vel aliâ ratione ducti illic diutiùs commorentur, ita Suar. tom. 4. de rel. l. 2. cap. 4. num. 16.

Dico 3. Religioſi poſſunt miniſtrare ſacramentum Extremæ Vnctionis familiaribus, famulis, ac ſeruitoribus ſuis: imò & alia Eccleſiaſtica ſacramẽta quoties opportunum fuerit, eoſque ſepelire, ex conceſſione Pauli Tertij facta Patribus Societatis Ieſu, Martini V. Monachis ſancti Benedicti, & Leoni X. Minimis, idque abſque licentiâ cuiuſuis Parochialis presbyteri, aut alterius ſuperioris.

Quæres 1. an ſacerdos tempore peſtis poſſit inungere infirmum non digito, ſed virgâ oblongâ, vt eius contactum fugiat? *Reſp.* quod ſic. ſed debet eſſe virga oleo verè tincta, ita vt verè perficiatur vnctio, peracta autem vnctione virgam purgabit, & ſi ſit aurea vel argentea in ſimilem vſum eam ſeruabit, ſi verò ſit lignea eam comburet. Dian. tract. 4. de ſacram. reſol. 167.

Quæres 2. vtrum peſtis tempore ſufficiat vngere vnam tantum partem dicendo cõſuetam formam? *Reſp.* quod ſic. ita Capeauillæus de ſacram. c. 5. q. 30. & alij. meliùs tamen eſſet velociſſimè ſine forma crucis vnum oculum, vnam manum, vnam aurem, narem & os vnicâ ſententiâ partialium omnium formarum ſententias complectente inungere: dicendo, per iſtas ſanctas vnctiones, & ſuam piiſſimâ miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum deliquiſti. Diana. l. cit. reſol. 168.

Quæres 3. an vna gutta olei ſit ſufficiens in vnaquaque Vnctione, ad conferendum ſacramentum

Extremæ Vnctionis? *Resp.* quod sic. Reginal. to. 2. l. 28. c. 9. n. 13.

Quæres 4. vtrum oleum infirmorum sit renouãdum singulis annis sub peccato mortali? *Resp.* quod sic, nec licet vti veteri extra casum necessitatis vbi non est aliud, seruari tamen debet quo vsque nouũ habeatur, Diana l. cit. resol. 176. contrarium docuit probabiliter Henriq. l. 3. c. 8. n. 3.

Quæres 5. an vnctiones faciendæ sint in modum crucis, & peccet mortaliter qui illud omittit, ad vtramque quæstionem? *Resp.* quod non. ita Filiuc. to. 1. tract. 3. c. 3. n. 75. & alij.

Quæres 6. quænam sit forma huius sacramenti? *Resp.* hanc esse vsitatam in Ecclesia, per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: non tamen hæc omnia sunt necessaria de necessitate sacramenti, sed sufficiunt sequentia, per istam vnctionem, indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, &c. deliquisti. vnde verba ista (sacram, piissimam suam misericordiam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti) non sunt substantialia: Idem dicunt quidam de verbis illis, per visum, auditum, &c. vnde qui ea omitteret peccaret quidem mortaliter, conficeret tamen sacramentum. Diana loc. cit. resol. 175.

Quæres 7. an Parochus teneatur tempore pestis ministrare sacramentum Extremæ Vnctionis cum periculo vitæ? *Resp.* quod non, dummodo infirmus susceperit sacramentum Pœnitentiæ. quod idem dicendum de sacramento Eucharistiæ. Diana loc. cit. resol. 174. post Suarem & alios.

Quæres 8. an hoc sacramentum sit suscipiendum

ſub onere peccati mortalis? *Reſp.* quod non, ſecluſo contemptu & ſcandalo.

Quæres 9. an pueris dandum ſit ſacramentum Extremæ Vnctionis ſi non ſint capaces ſacramenti Euchariſtiæ, ſed tantum Pœnitentiæ? *Reſp.* quoſdam id affirmare, ſed contraria ſententia mihi videtur probabilior quæ aſſerit pueris non dandam eſſe Extremam Vnctionem niſi in ea ætate, & diſpoſitione ſint vt etiam ſacrum viaticum accipere poſſint & ita vſu receptum eſſe docet Sotus in 4. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 2. colum. vlt. verſu ſi quæras, & alij.

Quæres 10. an tempore interdicti poſſit inungi infirmus, ſenſu carens & non valens percipere alia ſacramenta? *Reſp.* quod ſic. Diana loc. cit. reſol. 171. cum aliis quos ibi citat: modò tamen non poſsit commodé adiri iudex qui poſuit interdictum.

CAPVT VII.

Quid valeant religioſi reſpectu Sacramenti Matrimonij?

DIco 1. Religioſi non poſſunt aſsiſtere nomine Eccleſiæ contractui matrimoniali, nec dare ſolemnem nuptiarum Benedictionem, niſi in locis in quibus Parochorum munus ſuſtinent, & in eis Regionibus in quibus nulli ſunt proprij Epiſcopi vel Parochi ſeu Rectores animarum. 1. pars probatur, quia de hoc nullum extat priuilegium, imò in Clement. Religioſi de priuilegiis expreſsè

illis prohibetur sub pœna excommunicationis talis sacramenti administratio.

Secunda pars probatur, quia Paulus III. concessit Patribus Societatis facultatem administrandi sacramenta fidelibus sine præiudicio alicuius tertij, at in his regionibus nulli infertur damnum, ergo, &c. quod etiam notauit collector priuilegiorum dictæ Societatis in verbo sacramenta.

Dico 2. Confessarij Regulares à suis Prouincialibus deputati possunt dispensare cum coniugatis incestuosis causa copulæ carnalis, mariti cum consanguinea vxoris, vel vxoris cum consanguineo mariti, ad petendum debitum coniugale. Idem possunt facere cum his qui facto voto simplici de castitate perpetuò seruanda, matrimonium contraxerunt, vt queant liberè petere debitum coniugale, ex concessione Pij V. facta viuæ vocis oraculo Fratribus Minoribus de Obseruātia. ipsi tamen Confessarij monere debent pœnitentes quod mortua parte innocente non possunt iterum matrimonium contrahere absque dispensatione Papæ.

Dico 3. quod diximus de dispensatione ad petendum debitum cum obstricto voto castitatis ante matrimonium contractum, hoc est intelligendum tam ante cōsummationem matrimonij quam post illam. ita vt cum iam est ratum matrimonium possint Confessarij Regulares deputati ă suis Prouincialibus dispensationem dare ad consummandum matrimonium etiam petendo & exigendo debitum. ita Portell. verbo conf. dispensans num. 8. quod si post contractum matrimonium & consummatum alter coniugum emittat votum castitatis, non possunt prædicti Regulares ex vi priui-

legij, à Pio V. conceſsi diſpenſare ad debitum petendum.

Dico 4. hoc priuilegio poſſunt vti Regulares nõ ſolùm in ſacramento Pœnitentiæ, ſed etiam extra, & per ſcriptum quando vrget neceſsitas talis diſpenſationis, & eſt magna difficultas adeundi Confeſſorem Regularem. Portell. vbi ſup. n. 14.

Dico 5. Confeſſarij Regulares non poſſunt vti priuilegio iſto diſpenſandi ad petendum debitum, niſi fuerint ad id deputati ſpecialiter à ſuis Prouincialibus, & ita tenent multi Doctores, Portell. verbo conf. erga ſæculares num. 23. Diana tract. 2. de dubiis Regul. reſol. 14. cum multis aliis quos ibi citat. non deſunt tamen qui contrarium ſentiant, vt Sayrus in Claui Regia l. 6. c. 11. n. 98. Suar. in Enchiridio caſuum conſcientiæ l. 5. verb. debitum coniugale §. inceſtuoſus coniux. & alij apud Dianã loco citato quæ ſententia mihi probabilis videtur.

Dico 6. hæc licentia data ſemel Cõfeſſori non poteſt ad nutum Prouincialis & ſine cauſa reuocari, nec expirat morte concedentis, vel eo ab officio remoto. ſic Portell. loc. cit. n. 23. & verbo Prælatus n. 20.

CAPVT VIII.

De poteſtate regularium circa abſolutiones ſæcularium, tam à peccatis quàm à Cenſuris.

DIco 1. Regulares Confeſſarij poſſunt abſoluere ſæculares à cenſuris iure cõmuni Epiſcopis reſeruatis ex cõceſsione Vrbani IV. Carmelitis

facta & ex indulto Eugenij IV. Canonicis Regularibus, ac patribus ordinis Prædicatorum communicato. Teste Armilla verbo absolutio.

Dico 2. iidem Confessarij possunt absoluere seculares ab excommunicatione ab homine generaliter lata, ex priuilegio Eugenij IV. Benedictinis concesso.

Dico 3. possunt iidem Confessarij absoluere eos qui sunt nominatim excommunicati, & denunciati, modo parti læsæ satisfecerint, & hoc pro foro interiori tantùm, nam pro foro exteriori nihil proderit ista absolutio quamuis contrarium teneat Medina in instructione Confessariorum cap. 22. n. 12.

Dico 4. possunt iidem dispensare in irregularitate quæ ex adulterio prouenit, ac in aliis irregularitatibus quæ ex minori delicto contrahuntur, vt ius commune concedit Episcopis ex concessione Eugenij IV.

Dico 5. possunt iidem Confessarij absoluere ab omnibus casibus & delictis quantumcumque grauibus, nec non à quibusuis ex ipsis resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, Sedi Apostolicæ reseruatis, ita concessit Paulus III. Patribus Societatis Iesu, anno 1545. 3. Iulij Pontificatus sui anno 2. vt refertur in eorum compendio verbo absolutio §. 1.

Quæres 1. an huius concessionis virtute possint dicti Confessarij dispensare in irregularitatibus Pontifici reseruatis? *Resp.* quod non. ita Nauarr. in manuali cap. 27. num. 25. Suar. tom. 4. de relig. l. 9. capite 2. numero 42. & sequentibus vsque ad 50. inclusiuè, contrariam sententiam te-

net

net Gutierres lib. 1. canonic. quæstion. capite 3.

Quæres 2. quid ergo nomine pœnæ Ecclesiasticæ intelligitur? *Resp.* cum Henriq. l. 7. de indulg. cap. 13. numero 6. intelligi primò pœnam quâ Confessarius vetuit ne pœnitens communicet intra mensem. 2. pœnam quam pœnitens promisit soluere si intra mensem non confiteatur, aut si cadat in aliquod peccatum. 3. pœnam qua Canones pœnitentiales arcent quosdam delinquentes à communione intra certum tempus. 4. pœnam qua per constitutionem Synodalem prohibetur peccatum, sub pœna soluendi certam eleemosynam Hospitali. 5. suspensionem ad arbitrium sedis Apostolicæ. sic & Suar. loco citato numero 50.

Dico 6. regulares Confessarij possunt in Regno Franciæ absoluere à casibus in Bulla Cœnæ contentis, quia ibi non est promulgata, nec recepta, vt supra probauimus dum egimus de censuris, solùm difficultas esse posset de hæresi an possint prædicti Regulares in eodem Regno absoluere ab hæresi? Cui difficultati respondeo quod sic. Ratio est, quia vt prima conclusione huius capitis diximus, Regulares possunt absoluere à casibus iure communi reseruatis Episcopis, sed in Gallia casus hæreticalis est tantùm iure communi antiquo reseruatus, Episcopis, vt ostendimus cum de censuris tractauimus, ergo possunt Religiosi Regni Galliæ, absoluere ab hæresi & quod dico de Regno Galliæ, idem censeo dicendum de aliis Regnis in quibus non viget prædicta Bulla.

Dico 7. regulares Confessarij possunt absol-

uere à casibus Bullæ cœnę eos qui sunt in partibus remotissimis, à quibus nō potest adiri Sedes Apostolica, ex concess. Pauli III. Patribus Societatis, quam concessionem confirmauit Iulius III. & auxit Gregorius XIII. in Bulla ad perpetuam rei memoriam, anno 1572.

Quæres an sub ista concessione generali comprehendatur crimen hæresis? *Resp* quod sic. & confirmatur ex declaratione facta Romæ in sacra Pœnitentiaria anno 1617. quam refert Filiuc. tract. de Indulgentiis cap. de Iubilæo, modò non sint hæretici denunciati. imò quantumuis essent denunciati puto quod adhuc possent absolui, saltem in foro interiori satisfactâ parte, quæ est Ecclesia, tum quia non potest sedes Apostolica adiri commodè. tum quia ibi desunt Inquisitores, tum quia ibi sunt pauci Episcopi: & quamuis sint aliqui, munus tamen suum liberè exercere non permittuntur. circa quod priuilegium & alia ferè omnia indulta Societati Iesu concessa, notandum est communicari Confessariis Societatis dependenter à Generali Præposito, cuius solius est deputare viros eruditos qui ea facultate vtantur, vtrum verò idem dicendum sit de aliis Religionibus infra dicetur.

Dico 8 quamuis ea quæ modò diximus satis certa videantur, tamen ad remouendum omnem animi scrupulum Iulius III. viuæ vocis oraculo ampliauit dictam facultatem absoluendi ab hæresi pro omnibus mundi partibus, vt dicitur in cōpendio priuilegiorum Societatis statim citando, & habetur in Bulla dicti Iulij III. 1552. quæ incipit, dilecte fili: his verbis, (& absoluendi quoscumque à casibus hæresis & aliis contra fidem

& conſequentibus cenſuris quibuſcumque:) conceditur que ſolis Generalibus Præpoſitis Societatis Ieſu, & profeſſis idoneis per illos deputatis: nec arctatur hoc priuilegium ad remotiſsimas Regiones, ſed ſimpliciter conceditur ad quoſcumque à caſibus hæreſis, & aliis contra fidem abſoluendos, & hoc modo confirmatum fuit à Greg. XIII. die 10. Martij 1584. viuæ vocis oraculo pro reliquis orbis partibus extra Hiſpaniam, vt refertur in compendio Patrum Societ. verbo abſolutio. §. 3. quo etiam die poteſtatem dedit eis abſoluendi eos qui bona naufragantium rapuerint iniuncta eis reſtitutione vbi & quando ea fieri poterit. Item abſoluendi à peccato commiſſo legendo libros prohibitos. cum eadem limitatione extra Hiſpaniam. vt refertur in eodem compendio verbo Bulla cœnæ §. 2. quæ facultates pertinent ad caſus in Bulla cœnæ contentos, in cuius fine quia reuocantur omnia priuilegia ad abſoluendum ab huiuſmodi caſibus, ideò ne cenſerentur reuocata priuilegia dictæ Societatis pro abſolutione caſuum Bullæ cœnæ, Greg. XIII. eodem die 18. Martij anno prædicto declarauit nullas Societatis facultates cenſeri reuocatas, per Bullam cœnæ, niſi reuocatio fuerit intimata, & dictis Patribus inſinuata. quo etiam priuilegio gaudet noſtra Religio cum ei à Paulo V. per communicationem fuerint conceſſa omnium aliarum religionum priuilegia. legendus Diana tract. 2. de dubiis regul. reſol. 68.

Præterea Pius V. conceſſit iiſdem viuæ vocis oraculo facultatem abſoluendi eos qui mittuntur ad triremes à quibuſcumque caſibus, non ſolùm ſine vlla exceptione, ſed etiam cum hac additione,

sicut in articulo mortis, quæ facultas amplissima est, ideoque non communicatur omnibus Confessoribus, sed superioribus & quibus eam ipsi commiserint, refertur in eorum comp. verb. absol. §. 5. de his omnibus casibus legendus etiam Suares to. 4 de rel. l. 9. c. 2. n. 16. & sequentibus vsque ad vigesimum exclusiuè.

Dico 9. prædicti Confessarij possunt vti omnibus priuilegiis præmissis, in Episcopatibus post approbationem Episcopi, non solùm cum illis qui sunt eiusdem diœcesis, sed etiam cũ aliis extraneis qui ad se venerint, licet hac de causa specialiter venerint, ex concessione Nicolai III. à Leone X. confirmata.

Dico 10. dicti Confessores quando sunt in itinere possunt omnium fidelium confessiones audire. & hoc per priuilegium à Greg. XIII. Patribus Societatis concessum, dummodo ab aliquo Ordinario semel fuerint approbati, & à Superioribus suis ad huiusmodi munera deputati, non repugnantibus tamen Curatis, & modò id non faciant in oppidis, & locis in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentiâ super hoc obtentâ; circa quam concessionem est aduertendum quod non debent excurrere per totam diœcesim data opera, sed si ad eam mittantur debent rectà tendere ad Episcopum aut ad eius Vicarium, vt ab eo petant facultatem audiendi confessiones. quod si longè absint debent petere per litteras, quod idem asserendum de Prædicatione verbi diuini.

Quæres an possint vti priuilegiis supra memoratis extra sacramentum pœnitentiæ? *Resp.* quod sic. ita Suar. loc. cit. numero 27. quod idem dicen-

Digitized by Google

dum de dispensationibus in irregularitatibus, in votis, & iuramentis, petitione debiti, & aliis huiusmodi, vt iam alibi diximus ex Diana. tract. 2. de dubiis regul. resol. 9. & resol. 20.

Quæres 2. an per facultatem concessam Patribus Societatis, à Paulo III. absoluendi quoscumque fideles comprehendantur etiam Religiosi? *Resp.* quod sic: ex vi huius facultatis, vt sentit Suares loco citato numero 9. nisi obstaret concessio, Innocentij IV. Ordini Prædicatorum facta, qua id expressè prohibet: vt videre est in monumentis Fratrum Minorum, & in eorum supplemento, quod etiam notauit Collector priuilegiorum Societatis Iesu, verbo confessio §. 5. & verbo absolutio §. 1. vbi expressè dicit Superiores & Confessores Societatis, non posse absoluere Regulares illos qui licentiam non habuerint extra suum Ordinem confitendi.

CAPVT IX.

Soluuntur quædam dubia de eadem materia.

QVæres 1. vtrum priuilegia Regularium quibus absoluere possunt sæculares à casibus reseruatis, sint hodie per Concil. Trident. reuocata? *Resp.* 1. non esse reuocata quoad facultatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis? *Resp.* 2. probabile esse fuisse reuocata quoad facultatem in casus Episcopales, & hoc declaratum fuit à Sa-

cra Cardinalium Congregatione, vt refert Roderieus tom.1.quæſt. 61. artic. 13. *Reſp.* 3. eumdem Rodericum ibidem docere eadem priuilegia fuiſſe denuò confirmata poſt Concil. Trident. à Greg. XIII. in fauorem Patrum Societatis Ieſu,& vt refertur in eorum compendio verb. abſolutio, & per communicationem, idem priuilegium extendi ad Fratres Mendicantes, ideoque poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis.

Quæres 2. vtrum Regulares Confeſſarij poſſint aperire litteras Domini Papæ, & iuxta earum tenorem abſoluere & diſpenſare, ſicut Magiſtri in Theologia, vel in iure Canonico? *Reſp.* quod ſic, ex conceſsione Gregorij XIII. Patribus Societatis: prout refertur in eorum compendio verbo Confeſſarius, §. 3. ſed de Generalis licentia duntaxat.

Quæres 3. an ſi Epiſcopus ſine iuſta cauſa deneget Regularibus approbationem ad confeſsiones audiendas poſsint nihilominus audire confeſsiones ſæcularium perſonarum? *Reſp.* Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 6. numero 4. Sotum in 4. diſt. 18. quæſt. 4.art. 3. Rodriq. tom 1.quæſt. regul. quæſt. 59,art. 2.& alios apud Dianam tract. 2. de dubiis regul. reſol. 24. docere quòd ſic, iuxta clementinam dudum, de ſepulturis, quam tenent non fuiſſe reuocatam à Trid. docet præterea Diana reſolutione 26. approbationem ſemel datam ab Epiſcopo non poſſe reuocari ab eodem Epiſcopo, etiamſi dederit illam ad libitum ſeu ad beneplacitum, quia hæc approbatio, inquit, non eſt propriè licentia audiendi confeſsiones, ſed teſtimonium, & declaratio authentica quod talis perſona eſt idonea ad audiendas confeſsiones; qua-

Digitized by Google

te hanc approbationem ſemel datam, non poteſt idem Epiſcopus ſine iuſta cauſa reuocare, alioqui iniuriosè ageret: poterit tamen ſucceſſor illius, vt aſſerunt omnes communiter Doctores, licet quidam adhuc negent ſucceſſorem id facere poſſe, Vaſq. in 3. p. tom. 4. quæſt. 92. art. 3. dub. 5. Henriq. l. 3. c. 6. n. 5. & 6. Becan. de Sacramentis c. 38. q. 11. n. 4. alij.

Quæres 4. vtrum Religioſi legitimè per ſuos Superiores Epiſcopis præſentati, & approbati, contra ſuorum ſuperiorum voluntatem poſsint audire confeſsiones ſæcularium, & ſi audierint poſsint puniri? *Reſp.* non poſſe audire confeſsiones prædictorum, licet eligerentur virtute alicuius Iubilæi, aut Cruciatæ, tum quia Religioſi non habent velle aut nolle, tum quia Iubilæum, aut Bulla Cruciatæ non præcipit Religioſis vt confeſsiones audiant. tum quia id conceſſit Iulius III. ordini Prædicatorum, reuocans licentias, & immunitates cõceſſas Religioſis eiuſdẽ Ordinis ad Cõfeſſores eligendos, & confeſsiones audiendas quas Magiſter Ordinis reuocandas iudicauerit, & vndecumque emanaturas gratias, ſine licentia ſuperioris concedendas, annullat: ponitque fortiſſimas nonobſtantias, prout continetur in dicta conſtitutione data Romæ decimo ſept. Ianuari j anno 1515.

Quæres 5. quid iuris ſi nonobſtante ſuperioris prohibitione ſe ingerant confeſsionibus audiendis, eruntne confeſsiones illæ validæ? *Reſp.* 1. quod ſi hæc prohibitio facta ſit extra iudicium, confeſsiones non erunt inualidæ, meritò tamen erit puniendus, tanquam tranſgreſſor obedientiæ

Resp. 2 quod si talis Confessarius post prohibitionem vel suspensionem iudicialem legitimè factam per eius Prælatum in iudicio, qua prohibitus est per sententiam iudicialem officium Confessoris exercere, confessiones aliquorum intentet audire, inualidæ erunt. sic sentit Syl. verbo confess. 2. n. 6.

Quæres 6. vtrum Religiosus per prælatum suum Ordinariis non præsentatus possit de sola licentia Episcoporum confessiones sæcularium audire? *Resp.* quod sic, sed tamen poterit priuari hac facultate à superiore, iuxta concessionem Iulij III. prædicatoribus factam, & quandiu superiores id tolerant, aduertere debent ipsi Confessarii sine licentia suorum prælatorum præsentati, se non posse absoluere à casibus Episcopis à iure vel consuetudine vel præcepto, & reseruatione particulari reseruatis, ac reseruandis: & multo minus à casibus Papalibus, adeo vt absolutio à prædictis casibus sit inanis, & irrita, ratio est quia Iurisdictio non illis confertur à Papa nisi à suis superioribus præsententur, antequam ab Ordinariis approbationem consequantur. iuxta formam traditam in Clem. dudum de sepult. ita tenet Henriq. l. 3. cap. 6. num. 6.

Quæres 7. vtrum Regulares per Episcopum approbati possint audire Confessiones sæcularium inuito Parocho? *Resp.* quod sic. ita Doctores multi.

Quæres 8. vtrum Confessores Regulares extra diœcesim, vbi sunt approbati, oues eiusdemmet diœcesis absoluere possint? *Resp.* quod sic, quia hoc possunt Episcopi & Parochi de iure. concessit Sixtus IV. prout habetur in monumentis ordinum, & in supplemento.

Quæres 9 vtrum priuilegia Mendicantium reuocentur per Bullam Cœnæ Domini? *Resp.* quod non. vbi Bulla non est recepta: tametsi aliqui dixerint quod non, etiam vbi Bulla est recepta. quia hæc tantum prohibet dari absolutionem sub prætexta priuilegij, at qui verè absoluit ex vi priuilegij legit mè obtenti, non absoluit prætextu priuilegij. dictio enim (sub prætextu) idem significat quod sub velamine, vel colore alicuius rei quæ non est, vel iam definit esse, vel est falsa.

Quæres 10 quomodo sint intelligenda verba illa quæ Pontifices in suis Bullis apponere solent (dummodo sacris Canonibus, & Concilio Trid. non aduersentur) *Resp.* intelligenda de Canonibus positis in eodem Conc. Trid. in illo enim sunt Canones & Decreta, ideoque non sunt intelligenda de aliis Canonibus, & Decretis in iure Canonico contentis, his enim multa priuilegia clarè sunt contraria. sic Portell. verbo priuileg. cessatio num. 65. quem citat & sequitur Diana tract. 2. de dub. regul. resol. 59.

CAPVT X.

Vtrum Confessarij Regulares possint dispensare in votis & iuramentis personarum sæcularium?

Dico 1. Confessores Regulares possunt in foro pœnitentiali, & extra illud dispensare, & commutare omnia vota sæcularium quæ possunt Episcopi, exceptis quinque illis Papæ reseruatis,

ſcilicet Religionis ingrediendæ, caſtitatis perpe-
tuæ, visitandi [illegible], Romæ, & Compoſtellæ in Ga-
[illegible] [illegible] exceptо voto peregrinationis vltra
[illegible] (id eſt 40. milliaria Italica) licet
[illegible] poſſe iuxta priuilegium Benedi-
ctiana a Martino 5. conceſſum teneat Leſſ. l. 2. de
iuſt. c. 40. dub. 18. n. 134. poſſunt item diſpenſare
in iuramentis eiuſdem materiæ, abſque tamen præ-
iudicio alicuius. Portell. v. diſpenſatio n. 18.

Dico 2. prædicti Confeſſores poſſunt diſpenſare & commutare vota pœnalia, virtute ſuorum priuilegiorum, quamuis ſint de numero ipſorum quę ſibi reſeruat Pontifex, v. g. vouet quis ieiunare ſub pœna, quod ſi non ieiunarit perpetuò ſeruabit caſtitatem, ſi eueniat quod votum tranſgrediatur erit obligatus ad votum pœnale caſtitatis, quod eſt Pontifici reſeruatum, in quo tamen poterunt Confeſſores Regulares diſpenſare, & cómutare virtute ſuorum priuilegiorum. ſic Henriq. l. 7. de indul. c. 30. n. 6. quod idem dico de votis conditionalibus, etiam poſt impletam conditionem. Diana tract. 5. Miſcel. reſol. 25.

Dico 3. Confeſſores Regulares non poſſunt diſpenſare, & commutare vota Epiſcopis iure ſpeciali reſeruata, & ſic non poſſunt diſpenſare, & commutare votum ſimplex, & abſolutum continentiæ perpetuæ, quod tamen poſſunt Epiſcopi vrgente neceſſitate, & quando ſine ſcandalo non poteſt haberi recurſus ad Papam. nam quando diximus ſup. Regulares poſſe diſpenſare, & commutare vota ſæcularium Epiſcopis reſeruata, hoc eſt intelligendũ de votis iure cómuni, non autem de votis iure ſpeciali illis reſeruatis, quia in his videtur electa induſtria perſonæ.

CAPVT XI.

Quid poſſint Regulares circa fratrum abſolutiones?

DIco 1. Generales, Prouinciales, & alij quibus ipſi commiſerint, poſſunt abſoluere Fratres & Moniales ſuæ obedientię ſubiectos ab omni vinculo excommunicationis, aliiſque cenſuris à iure vel ab homine ferendis vel latis, etiamſi ſint reſeruatæ Summo Pontifici, conceſſit Mart. 5. viuæ vocis oraculo, Priori Monaſterij ſancti Benedicti Vallis oleti. Gregor. 14. Miniſtris Infirmorum anno 1591. Eugen. 4. Ordini Ciſtercienſi, & Ordini ſancti Benedicti. & Cœleſt. 5. Ordini Cœleſtinorum.

Dico 2. poſſunt prædicti ſuperiores abſoluere ſuos ſubditos etiam nominatim excommunicatos, ſatisfactâ parte læſa in vtroque foro. conceſſit Pius V. an. 1568. 5. Calend. Nouemb.

Quæres 1. an Religioſi exempti poſſint excommunicari ab Epiſcopis in caſibus per Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. de regul. & ſeſſ. 5. c. 1. de reformat. illis conceſſis? *Reſp.* quod ſic, quia in his caſibus ſunt ſuperiores Religioſorum. gerunt enim vices Papę; ideoque quoad hos caſus poſſunt in illos exercere iuriſdictionem.

Vrgebis ad quem pertinebit abſoluere excommunicatũ ab Epiſcopo, in caſu ſibi cõmiſſo? *Reſp.* Iure ordinario pertinere ad ipſum ſolum, at ex iure peculiari, ſiue ex priuilegio Religionibus conceſſo,

spectare etiam ad ipsos Prælatos, Generales vel Prouinciales, imò etiam Gardianos, habetur in compendio Patrum Societatis Iesu, verbo absolutio, §. 10. sic Eugen 4. Benedictinis

Hic obiter est valde notandum priuilegium cõcessum à Nicolao 4. quod his verbis refertur in compend. Societ. Iesu. verbo excommunicatio. §. 3. Nicolaus 4. noluit fratres ligari vlla sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti ab homine, nisi nominatim fieret mentio illorum, vnde nec sufficeret si diceret verbis generalibus, vt perinde valeat, ac si essent nominati expressè, quia hoc priuilegium est satis magnum, si intelligatur de expressa nominatione singularum personarum regularium. si autem intelligatur de expressa nominatione talis Religionis vel Monasterij, minorem continet gratiam, sufficientem tamen ad explicationem priuilegij, si alia verba non repugnant. videtur autem prior sensus magis accommodatus, quia non dicitur propriè fieri mentio alicuius sub generali appellatione, præsertim quia ibi dicitur, non sufficere si dicatur in sententia generali, vt perinde valeat, ac si essent nominati expressè. & ita sentit Suar. to. 4. de rel. l. 2. c. 20. n. 5.

Dico 3. Prælati prouinciales Regni Franciæ possunt absoluere suos subditos à casibus Bullę cœnæ, & etiam ab hæresi. quia hæc Bulla in prædicto Regno non est recepta.

Dico 4. ijdem superiores extra prædictum Regnum possunt eosdem suos subditos absoluere à casibus in eadem Bulla contentis, etiam in locis vbi viget illa Bulla. itemque ab hæresi, exceptis quatuor, puta relapsus in hæresim, schismatis, litteratũ

Apoſtolicarum falſificationis,& delationis prohibitorum ad Infideles, ita conceſſit Sixtus 4. qui explicans in quibuſnam caſibus ſint Fideles ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, excipit tantum quatuor caſus numeratos, igitur pro aliis non recenſitis non ſunt ad eam deſtinandi,cum vt habet regula Iuris, exceptio firmet regulam in contrarium.

Dico 5. poſſunt ijdem abſoluere ſuos non ſolùm ab hæreſi, ſed etiam à relapſu in hæreſim, ex priuilegio conceſſo Patribus Societatis Ieſu, à Greg. 13. vt refertur in eorum compendio verb. abſol. §. 7. & in 9. additur eamdem facultatem conceſſiſſe Alexand.4. Minoribus de Obſeru,cum duplici tamen limitatione; ſcilicet pro ſolis vltramontanis,& dummodo relapſorum crimina publica, & notoria non ſint apud ſæculares. Gregorius verò nullam limitationem addit. præterea Adrianus 6. anno Domini 1522.ad petitionem Imperatoris Cæſaris Auguſti conceſſit Prouincialibus Indiarum Ordinum mendicantium, vt poſſint abſoluere Fratres ſuos deputatos conuerſioni Indorum ab omni cenſura Eccleſiaſtica,etiam ſi eſſet de cœna Domini, ſub qua generali conceſſione etiam comprehenditur crimen hæreſis, dummodò non ſit notoria, & in foro pœnitentiali tantùm, vt diximus cap. præcedenti in ſimili materia.

Dico 6. probabiliùs eſt prædicta priuilegia non eſſe reuocata vbique locorum per bullam Cœnæ, quæ quotannis renouatur, & publicatur Romæ. tùm quia Sixtus 5. & Clemens 8.in publicatione Bullæ cœnæ poſtquam prohibuerunt abſolutionem à caſibus in illa contentis, etiam prętextu quarumuis facultatum Ordinibus militaribus, aut

mendicantibus conceſſarum, addiderunt hæc verba, (niſi in eis etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur) ex quibus expreſsè colligitur nolle ſupradictos Summos Pontifices, in dicta publicatione derogare priuilegia dictos caſus concedentia. nec obſtat quòd alij Summi Pontifices prædictorum verborum non fecerint mentionem, nam reſpondetur huic obiectioni quod eorum non meminerunt, quia licet non exprimantur debent cenſeri expreſſa, & taciti & expreſſi idem eſt iudicium provt dicitur in iure. tum quia Greg. 13. conceſſit Societati Ieſu vt nullæ eius facultates per Bullam cœnæ cenſeantur derogatæ. tùm denique quia licet Bulla cœnæ Romæ publicetur, non tamen publicatur in multis aliis Prouinciis, Regnis aut Diœceſibus ergo ſaltem pro illis Regnis, Prouinciis & Diœceſibus ſupradicta priuilegia vigent, quia vt ait doctiſſimus Soto, l. 1. de Iuſt. q. 1. art. 3. requiritur publicatio illius in vnoquoque Epiſcopatu ad reuocationem priuilegiorum.

Dico 7. Prælati Regulares poſſunt abſoluere ſuos ſubditos, ab excommunicatione & ſuſpenſione quam incurrerunt propter ſimoniam in ordine. ita tenet Portellus verbo Prælatus ad abſoluendũ num. 29. aſſerens Bullam Sixti Quinti, quę id prohibet non eſſe vſu receptam. quod idem docet Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 35. de ſimonia dubit. 24.

Qu. 1. vtrum Prouinciales poſſint abſoluere ſuos ſubditos tam fratres quàm Moniales qui indebitè admiſerint mulieres, aut viros intra clauſuram ſuorum Monaſteriorum? *Reſp.* quod ſic. ex indulto Pij quinti Prouincialibus Ordinis Prędicatorum conceſſo. quod aliis aliarum Religionum ſuperioribus per priuilegiorum extenſionem communicatur.

Qu. 2. an ſuperiores Religionum, quocumque nomine vocentur, peccent mortaliter, admittendo intra ſepta Monaſterij Fundatrices, Dotatrices, Coniuges ſupremorum Principum, eorúmque filias cum honeſto comitatu qualitati cuiuſque competente? *Reſp.* quod non: quia Greg. 13. in Bulla quæ incipit, quæ ad ſanctimonialium quietẽ. emanata & promulgata anno 1578. Pontificatus ſui anno 13. prohibens quibuſlibet perſonis vtriuſque ſexus ingreſſum in Monaſteria tam virorum quàm mulierum, excipit expreſsè Fundatrices, Dotatrices, Coniuges ſummorum Principum, eorumque filias; imò & Ducisſas, Comitiſſas, atque Marchioniſſas. hancque Bullam minimè fuiſſe reuocatam abvllis ſucceſſorib. Greg. 13. optimè notat Portel. verbo clauſura Monialium in Additione num. 5. eſtque in vſu in noſtra Gallia quoad Fundatrices, Dotatrices, ac Coniuges ſummorũ Principum eorumque filias, non autem quoad vxores Ducum, Comitum, & Marchionum.

Qu. 3. an intra Conuentum Monialium poſſit admitti vidua honeſtę famę, cupiens honeſtatis gratiâ ibidem manere? *Reſp.* quod ſic. ex declaratione Cardinalium, quam refert Azor. 1. p. lib. 13. c. 8. q. 4. afferens etiam illam extendi primò ad fœminam vxoratam, ſi eius vita non ſit tuta. 2. ad fœminam de adulterio ſuſpectam apud virum ſuũ, vt ſibi paratum ab eo vitæ periculum declinet. quod etiam à fortiori extendendum puto ad Monialem ſiue eiuſdem ſiue alterius Ordinis in itinere conſtitutam, quæ hoſpitalitatis gratiâ peteret admitti intra Conuentũ ſanctimonialiũ, ne in domibus ſæcularium hoſpitari cogeretur. Multò enim decentius, & pudori virgineo conuenientius eſt,

huiusmodi Monialem intra Conuentum aliquem recipi de licentia tamen expressa, & in scriptis Superioris Monasterij, & non aliàs, quam hospitari apud sæculares. cùm nulla inde molestia, inquietudo, vel scandalum oriri possit: quæ sunt potissimæ rationes, quibus motus Summus Pont. Gregorius 13. prohibuit viris ac mulieribus ingressum in Monasteria tam virorum, quàm mulierum.

CAPVT XII.

An Prælati Regulares possint dispensare cum subditis in irregularitatibus?

DIco 1. Pius 5. in suo motu proprio, qui incipit, Ad perpetuam rei memoriam, concedit Prouincialibus & Prioribus Conuentualibus eãdemmet potestatem pro suis subditis, quam concedit Concil. Trid. Episcopis pro suis, sicque dat nedum facultatem absoluendi à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, sed etiam dispensandi in omnibus irregularitatibus; & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, eã exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, quæ concessio fuit etiam confirmata pro congregatione S. Bernardi. à Greg. 13.

Dico 2. Gregor. 14. an. 1591. concessit præfecto Generali Ministrorum Infirmorum, vt per se vel per alios à se deputatos possit cum suis subditis dispensare, in omnibus Irregularitatibus in foro conscientiæ, nec non si opus fuerit cum rehabilitatione, & abstersione inhabilitatis ac infamiæ

inaculæ, etiam defectum natalium tollendo ex quouis nefario coitu prouenientem.

Dico 3. Sixtus 4. conceſſit Generali, & Prouincialibus Fratrum Minorum, & eorum Vicariis authoritatem diſpenſandi cum fratibus dicti Ordinis patientib. defectũ nataliũ, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario coitu, & illicito prouenientem; nec non cum iis qui ex quauis cauſa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares forent, poſtquam ordinem profeſſi ſunt, vt priore defectu & irregularitate non obſtantibus, qui ex iis priùs erant irregulares ad quoſcumque etiam ſacros Ordines poſſint promoueri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & ad quaſcumque adminiſtrationes, & officia dicti Ordinis recipi, eligi, & aſſumi, illaque gerere & exercere liberè ac licitè. quam conceſſionem idem Summus Pontifex conceſſit Magiſtro generali, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicariis Ordinis Prædicatorum.

Dico 4. Martinus quintus anno 1431. conceſſit Prælatis s. Benedicti facultatem diſpenſandi cum ſuis, ſuper omni irregularitate etiam in iis caſibus, quos Papa ſibi reſeruat, in homicidio videlicet & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, dummodo aliquod iſtorum trium non ſit notorium.

Circa quam diſpenſationem notandum eſt primo quod diſpenſatio irregularitatis, quæ ab homicidio voluntario prouenit, intelligitur de quouis homicidio ſiue à caſu, ſiue ex propoſito perpetrato, dummodo ſit occultum, id eſt iuridicè probari non poſſit, & licet iuridicè probari poſſit, non

tamen est notorium, ac publicum, vt scandalum inde oriri possit. ita Nauar. in Manuali cap. 27. n. 255.

Notandum 2. prædictam concessionem Martini 5. intelligi solùm in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori, sic à Sorb. in suis annot. in compend. priuileg. p. 47.

Notand. 3. hanc Martini 5. concessionem fuisse reuocatam à Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. sed postea confirmatam à Pio 5. viuæ vocis oraculo dato P. Fratri Aloysio de Puteo Ministro generali Fratrum Minorum, vt refert Alphonsus de Veracrux, in suo speculo coniugatorum in fine.

Dico 5. Paulus 3. concessit Religiosis D. Benedicti Vallis Oleti, potestatem dispensandi singulis annis, primo die Lunæ Quadragesimæ, cum omnibus subditis, in omni irregularitate quauis occasione vel causa contracta, in qua concessione Pontifex non limitat si sit homicidij voluntarij, aut casualis, neque limitat si sit delictum occultum aut publicum, nec excipit bigamiam, sed absolutè, & in communi ait, quauis occasione, aut causa contracta. quæ concessio est insignis, & ampla valde. vide Dianam tract. 2. de dub. reg. resol. 45. Portell. verb. dispensare in additione. num. 1. & num. 5.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Soluuntur quædam difficultates de eadem materia.

QVæres 1. an ſuppoſitis priuilegiis ſupra enumeratis quibus conceditur facultas Prælatis Regularibus ad abſoluendum ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris Papæ reſeruatis, & diſpenſandi in irregularitatibus, poſsint nihilominus Religioſi ſe ſubmittere Epiſcopis ad petendam abſolutionē, vel diſpenſationem in ijs caſibus, ſibi per Concil. Trid. aut per alia priuilegia conceſſis abſque licētia ſuorum Prælatorum? *Reſp.* negatiuè, quia ex quo Religioſi exempti ſunt à poteſtate Epiſcoporum, non poſſunt ab ijs abſolui aut diſpenſari, maximè quia exemptio non eſt facta in fauorem priuatum Religioſi, ſed in fauorem totius Religionis, & in fauorem etiam Prælatorum eius, ergo nullus Religioſus poteſt cedere iuri ſuo, nec ſibi iudicem conſtituere extra Prælatos ſuos, iuxta cap. ſignificaſti de foro competenti. ita ſentit Abbas in cap. Monachi. de ſentent. excommunicat. num. 4. vbi refert Ioan. Andream. Syl. verb. abſol. 5. n. 2. Suar. to. 4. de relig. l. 2. c. 12. n. 17. & cap. 23. numero 2.

Quæres 2. an abſolui poſſint Religioſi ab Epiſcopis ſaltem de licentia ſuorum Prælatorum à dictis caſibus & irregularitatibus? Dico quod ſic. ita Suar. lor. cit. c. 12. n. 15.

Quæres 3. vtrum in caſu neceſſitatis in quo

Religiosus non potest conuenire Prælatum suum, possit adire Episcopum si præsens est, vel non multùm distet à loco in quo moratur? *Resp.* quod non, excepto casu necessitatis extremæ, id est periculi mortis, dicit enim Conc. Trid. sess. 14. c. 7. loquẽs de casibus reseruatis, extra illum articulum inferiores Sacerdotes nihil posse, vocatur autem inferior Sacerdos respectiuè, omnis ille qui est inferior comparatione reseruantis, & ab illo non habet commissam facultatem, ita verò se habet Episcopus in eo casu, quia est inferior Papa reseruante, & ab illo non habet commissionem ordinariam. ita Suar. loc. cit. c. 23. n. 4.

Instabis quo igitur modo succurri potest tali Religioso, & debitè prouideri animæ suæ, cum nec possit adire Prælatum, nec Episcopum in absentia Prælati? *Resp.* tunc posse absolui ab alio, non tamen ita vt maneat liber à reseruatione, sed vt absoluatur cum onere comparendi corã Summo Põtifice, aut corã suo Prælato, qui respectu sui vices illius gerit. quæ responsio fundatur, in generali principio ex iure deducto, relato à Suar. to. 4. tertiæ partis, disp 30. sect. 3. scilicet in casibus Pontificiis quoties non patet aditus ad Summum Pontificem vel Commissarium eius nisi cum magna difficultate & mora, tunc posse peccatorem absolui ab inferiori Sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice, vel habente iurisdictionem ab illo circa tales casus, respectu talis personæ. legatur idem author tom. 4. de rel. lib. 2. cap. 23. n. 5. & 6.

Quæres 4. vtrum Religiosi virtute bullę Cruciatę possint absolui à casibus reseruatis? *Resp.* negatiuè, ex prohibitione facta Minoribus, & Mi-

nialibus ſanctę Clarę per Leonem 10. à Pio 5. Fratribus Ordinis Prædicatorum anno 1571. ab Alexandro 6. Ciſtercienſibus, à Greg. 13. Patribus Societ. Ieſu, vt habetur in compendio ipſius Societatis verb. abſol. §. 4. & verb. gratiarum vſus §. 2. quam prohibitionem extendit etiam ad Iubilæos, & quaſuis alias conceſſiones ſub quacumque derogatione conceſſas, vel in poſterum concedendas.

Quæres 5. vtrum Religioſi quibus conceſſa eſt facultas vt confeſſiones omnium generaliter audiant, poſsint audire Religioſos pœnitentes alterius Religionis ſine Prælati pœnitentium licentia? *Reſp.* quod non, ita declarauit, Innocent. 4. in fauorem Ordinis Prædicatorum, vt refertur in monument. Minorum. fol. 72. & in eorumdem ſupplemento f. 15. ad principium. idem conceſſum eſt ab Innocent. 8. & Iul. 2. ordini Heremitarum ſancti Auguſt. vt refertur in compendio Mendicantium. verb. confeſsio, & Confeſſor. §. 6. & 7, à Clemente 7. ac Greg. 11. ordini Ciſtercienſi, vt habetur in eius compendio verbo Confeſſor §. 3. præterea Benedictus 11. limitationem illam expreſsè poſuit in extrau. inter cunctas, de priuilegiis dicens non abſoluant Religioſos, qui ſecundū ſtatuta ſuorum ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis ne confiteantur aliis, prohibentur; quod etiam extenditur ad Moniales, ideoque congregatio Cardinalium circa cap. 10. de regul. ſeſſ. 25. Concil. Trid. declarauit etiam extraordinarios Confeſſarios qui aliquoties dandi ſunt Monialibus à Prælatis illarum, eſſe approbandos, ita vt ſi Monaſteria ſint ſubiecta Regularibus Epiſcopi approbatio non ſufficiat.

Quæres 6. an Religiosus peregrinus, teneatur confiteri socio suo si Sacerdos sit? *Resp.* quod sic.

Quæres 7. cuinam teneatur confiteri Religiosus peregrinus si hospes sit in alia domo vel Monasterio eiusdem Religionis? *Resp.* vel prælato domus, vel alteri de eius licentia, vel Confessori cõuentuali, qui est quasi ordinarius illius loci: non tamen aliis Religiosis eiusdem domus, si ad audiendas confessiones non sunt deputati à prælatis.

Quæres 8. quando Religiosus habens socium Sacerdotem, in aliquo Monasterio suæ Religionis est hospes, cui debet confiteri, an socio vel Confessario domus? *Resp.* posse vel socio, vel Confessario domus nisi aliud Superior declarasset, vel ordinasset; quod sine dubio facere potest, vel per specialem regulam, aut consuetudinem Religionum aliquid etiam definitum esset, nam illud obseruare semper est necesse.

Quæres 9. an Religiosus peregrinus possit absolui à reseruatis, à socio Sacerdote, vel ab alio electo de licentia Superioris? *Resp.* quod non, nisi de hoc specialis potestas data sit à prælato.

Quæres 10. an statutum quarumdam Religionum quo præcipitur iter agentibus vt quam primùm redierint ad Monasteria confiteantur omnia quę gesserunt ab vltima confessione in Monasterio ante discessum facta, obliget in conscientia? *Resp.* quod non. ita Suar. loc. cit. c. 17. n. 10. nisi aliud expressè declaretur.

Quæres 11. an hospites Religiosi alterius prouincię possint absolui à prouinciali prouincię ad quam diuerterunt? *Resp.* quod sic, imò & dispen-

ſari ſuper irregularitatibus, ex priuilegio Clement. 4.

Quæres 12. an poſsint Donati ſeu Oblati abſolui ab omnibus cenſuris & peccatis horum priuilegiorum virtute? *Reſp.* quod ſic, ex conceſsione Pauli 3. Religioſis Benedictinis Vallis Oleti. quam refert Portell. loc. cit. n. 1.

CAPVT XIV.

Vtrum nouitij poſsint abſolui à peccatis, & cenſuris omnibus virtute priuilegiorum?

DIco 1. virtute priuilegiorum ſupra poſitorum poſſunt Nouitij abſolui à prælatis Religionum ab omnibus peccatis, ante vel poſt ingreſſum commiſsis, & ab omnibus Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis, vt refertur ex priuilegio Sixti 4. in compendio Societatis Ieſu, verb. abſolutio. §. 6. & ex priuilegio Clem. 4.

Dico 2. hæc facultas non tantùm conceditur pro Nouitiis qui iam habitum ſuſceperunt, ſed etiam pro his qui ingredi volunt. quod etiam Paulus 3. conceſsit Societati Ieſu in bulla vltima, cum hac tamen limitatione his verbis expreſſa, volentes ingredi Societatem ſeu Religionem, qui niſi mox ingrediantur eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus abſoluti fuerint, reincidant, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis Religionum concedantur. vbi per ingreſſum non debet intelligi emiſsio profeſsionis, vt ſentit Viuald. 1. p. Sum-

mæ, titulo de absolutione, num. 22. sed susceptio habitus, vt subtiliter notauit Suar. ex verbis Pontificiis quæ priùs loquuntur de volentibus ingredi Religionem, & deinde de ijs qui iam sumpserunt habitum aut professionem emiserunt, deinde in Bullâ Societatis Iesu euidenter constat, sermonem esse de ijs qui volunt ingredi priusquam recipiantur. ex prædicta verò limitatione, fit vt si quis potulat ingredi sine animo ingrediendi, sed solùm vt absoluatur, absolutionem esse nullam. Imò nisi habeat animum ingrediendi & profitendi, saltem bonâ fide ingrediendo ad probandum, cum animo profitendi, si iusta causa ad illum statum mutandum non occurrerit, absolutio nulla est. vnde in illo priuilegio Societatis Iesu expressè dicit Paulus 3. reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingrediantur, & peractis experientiis secundum constitutiones Societatis vota emittere parati sint: ergo qui non habet hunc animum, & bonam fidem, non consequitur absolutionem, & idem est proportionaliter in aliis Religionibus.

Dico 3. hæc absolutio data Nouitio qui bonâ fide in religone versatur cum animo profitendi, non est ad reincidentiam, etsi non sequatur professio, sed omnino absoluta, ac permanens: data verò ei qui vult ingredi antequam Nouitius sit, est ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur, si autem cum effectu ingrediatur omnino firmatur absolutio, ita vt licet casu postea non profiteatur non reincidat. hæc omnia videntur satis probari ex Pauli 3. indulto, prius enim concedit

facultatem absoluendi omnes, & singulos socios Societatis, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes. sub quibus verbis clatum est Nouitios comprehendi, & de eorum absolutione nulla conditio ponitur, postea vero ponitur conditio circa eos qui ingredi volunt, & eo titulo absoluuntur, priùs nimirum quam ad habitum recipiantur.

Dico 4. quia hæc quæ immediatè præcedenti cõclusione diximus non sunt certa satis, aliâ viâ poterunt Nouitij liberari à periculo reincidendi, si nimirum non absoluantur titulo huius priuilegij sed absolutè vt sæculares per facultatem quam cõcedit idem Paulus III. religiosis Societatis, ad absoluendum quoscumque fideles à quibuscumque censuris, extra Bullam cœnæ, & hæc absoluto sic data etiam ante receptionem habitus, est omnino absoluta & sine periculo reincidentiæ, quia non datur titulo religionis: sed sicut dari potest cuicumque sæculari. est tamen magna differentia inter has facultates, & absolutiones, nam hæc quæ communis est omnibus sæcularibus non extenditur ad casus Bullæ cœnę, alia vero quæ datur titulo Religionis, extenditur ad omnes casus Pontificios; iuxta ea quæ supra diximus. item alia est differentia, quia facultas pro sęcularibus solùm est ad absolutionem; alia vero extenditur ad dispensationem in aliquibus Irregularitatibus.

Dico 5. præter hæc priuilegia sunt etiam alia per quę possunt Nouitij absolutè, & sine vlla conditione absolui à censuris reseruatis, vt est illud Eug. IV. & Cœlestini V. quod refertur in com-

mæ, titulo de absolutione, num. 22. sed susceptio habitus, vt subtiliter notauit Suar. ex verbis Pontificiis quæ priùs loquuntur de volentibus ingredi Religionem, & deinde de ijs qui iam sumpserunt habitum aut professionem emiserunt, deinde in Bullâ Societatis Iesu euidenter constat, sermonem esse de ijs qui volunt ingredi priusquam recipiantur. ex prædicta verò limitatione, fit vt si quis potulat ingredi sine animo ingrediendi, sed solùm vt absoluatur, absolutionem esse nullam. Imò nisi habeat animum ingrediendi & profitendi, saltem bonâ fide ingrediendo ad probandum, cum animo profitendi, si iusta causa ad illum statum mutandum non occurrerit, absolutio nulla est. vnde in illo priuilegio Societatis Iesu expressè dicit Paulus 3. reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingrediantur, & peractis expèrientiis secundum constitutiones Societatis vota emittere parati sint: ergo qui non habet hunc animum, & bonam fidem, non consequitur absolutionem, & idem est proportionaliter in aliis Religionibus.

Dico 3. hæc absolutio data Nouitio qui bonâ fide in religone versatur cum animo profitendi, non est ad reincidentiam, etsi non sequatur professio, sed omnino absoluta, ac permanens: data verò ei qui vult ingredi antequam Nouitius sit, est ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur, si autem cum effectu ingrediatur omnino firmatur absolutio, ita vt licet casu postea non profiteatur non reincidat. hæc omnia videntur satis probari ex Pauli 3. indulto, prius enim concedit

facultatem absoluendi omnes, & singulos socios Societatis, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes. sub quibus verbis clarum est Nouitios comprehendi, & de eorum absolutione nulla conditio ponitur, postea vero ponitur conditio circa eos qui ingredi volunt, & eo titulo absoluuntur, prius nimirum quam ad habitum recipiantur.

Dico 4. quia hæc quæ immediatè præcedenti cõclusione diximus non sunt certa satis, aliâ viâ poterunt Nouitij liberari à periculo reincidendi, si nimirum non absoluantur titulo huius priuilegij sed absolutè vt sæculares per facultatem quam cõcedit idem Paulus III. religiosis Societatis, ad absoluendum quoscumque fideles à quibuscumque censuris, extra Bullam cœnæ, & hæc absoluto sic data etiam ante receptionem habitus, est omnino absoluta & sine periculo reincidentiæ, quia non datur titulo religionis: sed sicut dari potest cuicumque sæculari. est tamen magna differentia inter has facultates, & absolutiones, nam hæc quæ communis est omnibus sæcularibus non extenditur ad casus Bullæ cœnę, alia vero quæ datur titulo Religionis, extenditur ad omnes casus Pontificios; iuxta ea quæ supra diximus. item alia est differentia, quia facultas pro sęcularibus solùm est ad absolutionem; alia vero extenditur ad dispensationem in aliquibus Irregularitatibus.

Dico 5. præter hæc priuilegia sunt etiam alia per quę possunt Nouitij absolutè, & sine vlla conditione absolui à censuris reseruatis, vt est illud Eug. IV. & Cœlestini V. quod refertur in com-

pendio Ciſtercienſi.verbo abſolutio.§. 1. vbi datur facultas reformatori Generali Regularis Obſeruantiæ, abſoluendi Monachos , & Nouitios, & poſtea extenditur etiam ad diſpenſationem ,in Irregularitatibus , & nulla conditio ad reincidentiam ponitur:per illam tamen ſemel tantùm in vita poteſt dari hæc abſolutio. extat etiam priuilegium Benedictinis conceſſum per quod eis tribuitur poteſtas abſoluendi omnes qui in Religione propoſuerunt perpetuum reddere Deo famulatũ, à quibuſcumque peccatis. vbi expendendum eſt verbum(propoſuerunt)quo Pontifex vtitur ad deſignandum extendi priuilegium ad Nouitios qui iam habitum ſuſceperunt , & Religionem ingreſſi ſunt,& non ad eos qui adhuc ſunt extra Religionem,licet animum habeant ingrediendi, & habitum ſuſcipiendi, quia verba indulti diriguntur ad eos qui iam ſunt in Religione.

Quæres 1. an Nouitij poſſint abſolui à caſibus Bullæ cœnæ,horum virtute priuilegiorum ? *Reſp.* quod ſic.ita Suar. to. 4.de relig.l.2. cap. 24.numero 8.

Quæres 2.an Prælati regulares poſsint diſpenſare,& commutare vota Nouitiorum ? *Reſp.* quod ſic.ita Henriq. l. 7.de indulg. cap. 22. numero 7. Leſſ.l.2.cap.40. dub.13.n.8. & alij quos refert & ſequitur Diana tract. 2. de dubiis regul.reſol.71.

CAPVT XV.

Vtrum mendicantes gaudeant priuilegiis Societatis Ieſu?

Reſp. quod ſic, ex conceſſione Clement. 7. anno 1525. die 30. Maij concedentis Ordini Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, vt poſſit frui indultis conceſſis, & concedendis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus. probatur 2. ex conceſſione facta Ordini Ciſtercienſi à Greg. XIV. qua definit Summus Pontifex, dictũ Ordinẽ frui etiam priuilegiis Societ. Ieſu, cũ ipſi concedat cõmunicationẽ priuileg. omnium Ordinũ. 3. probatur ex cõceſſione facta ab eodem Greg. XIV. Congregationi Fratrum Crucigerorum, in qua ſpecialiter eis concedit vt poſſint frui priuilegiis, , & indultis factis Presbyteris Societatis Ieſu. ex quibus duabus vltimis conceſſionibus (quia de 1. videtur eſſe dubitatio an ſe extendat ad priuilegia Societatis, cum tunc temporis nondum eſſet inſtituta) ſic colligitur argumentum in confirmationem noſtræ ſententiæ, Mendicantes gaudent priuilegiis conceſſis, & concedendis aliis Religionibus etiam non Mendicantibus à Clement. VII. ſed Religioni Ciſtercienſi, & Congregationi Fratrum Crucigerorum, fundatis ante Clement. VII. ſunt de nouo conceſſa priuilegia Societatis Ieſu, ergo eademmet ſunt conceſſa Mendicantibus ita vt ipſis vti poſſint.

Quæres 1. an priuilegia conceſſa à ſede Apoſto-

lica Religiosis Societatis, ita vt Religiosis aliorum Ordinum minimè communicentur, modò communicentur per nouas concessiones posteriores Summorum Pontificum, in quibus conceditur ipsis Religiosis, vt possint gaudere, priuilegiis dictæ Societatis? *Resp.* quod sic. si apposita sit clausula, non obstantibus quibuscuis clausulis exceptiuis, restrictiuis, &c. & probatur, quia Gregorius XIV. in duabus concessionibus superiùs adductis absolutè, & sine aliqua limitatione concedit, quod Cistercienses, & Crucigeri fruantur omnibus aliis priuilegiis, concessis aliis Ordinibus etiam Societatis Iesu; & à concessione Generali non est recedendum, vbi constat de voluntate concedentis, præcipuè cum hoc sit beneficium Principis, & per consequens latè interpretandum: vnde etiamsi à Sede Apostolica sit aliquod priuilegium concessum Societati, ita vt aliis Religiosis aliorum Ordinum minimè communicetur, cum successores Summi Pontifices priuilegia sine aliqua limitatione aliquibus Ordinibus communicauerint, cum quibus communicant Mendicantes: clarum est ipsos Mendicantes priuilegiis Societatis Iesu, modo sine aliqua limitatione vti posse. Diana de dub. reg. resol. 81.

Quæres 2. an attẽto quod Religiosi Societatis Iesu, non possunt vti gratiis, & facultatibus, directè aut indirectè per viacõmunicationis ipsis cõcessis, nisi à Præposito Generali aut aliis per ipsũ cõmunicentur, prout concessit illis Greg. XIII. possint Religiosi aliarum Religionum vti illis priuilegiis directè, aut indirectè sibi per cõmunicationẽ concessis sine eo quod ipsis à suis Præpositis Generalibus, aut ab aliis nomine ipsorũ cõmunicẽtur? *Resp.*

Digitized by Google

quod ſic: nam Greg. XIV. Crucigeris, aut Religioni Clericorum Miniſtrantium infirmis, communicationem priuilegiorum Societatis, conceſſit, ſine eo, quod illarum religionum profeſſores à ſuis Generalibus ea mendicarent præterea dicta priuilegia fuerunt illis communicata abſolutè, & nobis etiam abſolutè ac ſi fuiſſent noſtra conceduntur: nec per communicationem imponuntur reſtrictiones, & limitationes, quæ ab aliis Ordinibus propter eorum peculiare regimen à Sede Apoſtolica fuerunt impetratæ, cuiuſmodi reſtrictus eſt vſus priuilegiorum in Societate, quòd ſcilicet non poſsit ſortiri effectum, niſi prout à Generalibus fuerit diſpenſatus à quo pendet tota ipſius Societatis gubernatio, etiam quoad peculiaria quæ ab aliarum religionum Præpoſitis Generalibus non exequuntur. huc referri poteſt indultum Pauli V. ſupra relati, concedentis Ordini Minorum de Obſeruantia, & nobis Tertiariis facultatem vtendi priuilegiis conceſsis omnibus Ordinibus, tam Mendicantibus quàm non Mendicantibus, nō modò ſine vlla reſtrictione, ſed cum additione, nonobſtantibus quibuſuis clauſulis exceptiuis, reſtrictiuis, &c. quod priuilegium fuerat ſub iiſdem omnino verbis datum à Greg. XIII. iiſdem religioſis de Obſeruantia, & nobis, vt continetur in compilatione priuilegiorum ad calcem ſtatutorum adiecta. concluſionem hanc tenet etiam Diana loc. cit.

Ex his colliges non eſſe improbabilem eorum opinionem, qui dixerunt Confeſſores regulares poſſe diſpenſare Coniugatos inceſtuoſos, ad petendum debitum, licet non ſint ſpecialiter deputati ad hoc à ſuis Superioribus prouincialibus, quia

priuilegium hoc est illis absolutè, & absque vlla restrictione, atque etiam sine vlla limitatione, & dependentia à suis superioribus communicatum.

Caput XVI.

Vtrum Tertiarij sancti Francisci sint verè & propriè Religiosi, & gaudeant priuilegiis aliorum Ordinum?

VT quæstionis propositæ sensus clare intelligatur, sciendum est, Tertiarios sancti Francisci de Assisio, esse in duplici differentia: alij enim viuunt in propriis domibus & familiis, nulla emittentes vota, nullisque subiecti superioribus. Alij verò viuunt in communi, tribus votis substantialibus cuicumque Religioni astricti, ac per omnia superiorum obedientiæ mancipati. hoc ita prænotato quæstioni propositæ satisfaciemus per conclusiones sequentes, quarum

Prima est, Tertiarij sancti Francisci viuentes extra communitatem in domibus propriis, non sunt verè & propriè Religiosi, tum quia possunt matrimonio coniungi, quod repugnat statui Religioso propriè dicto: imò de facto multi eorum sunt coniugati. vt patet ex iis qui degunt in Italia, Hispania, Flandria, & in quibusdam Galliæ nostræ Prouinciis, tum quia non emittunt tria vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ. tum quia nulli superiori obediunt, nec sunt personæ Ecclesiasticæ, sed merè sæculares, viuentes vt alij sæcu-

Digitized by Google

lares in propriis domibus cum vxoribus, filiis & famulis. vnde nec tenentur ſub peccato mortali aut veniali obedire vllis ſuperioribus regularibus, nec ſunt exempti à Gabellis, Talliis, decimis, primitiis, vectigalibus, tributis, & aliis oneribus publicis dominis temporalibus vel Eccleſiaſticis, ſoluendis: ſed per omnia, & in omnibus ſubiacent viſitationi, & correctioni Ordinariorum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium, & quamuis aliquo modo videantur ſubiici ſuperioribus Fratrum Tertij Ordinis ſancti Franciſci, à quibus etiam admittuntur ad habitum, & profeſſionem Regulæ Nicolai IV. ex conceſſione Pauli V. data anno 1613. eorum tamen poteſtas in prædictos Tertiarios ſæculares non eſt coercitiua, ſed tantùm directiua: & planè ſimilis illi quam habent alij Confeſſarij in ſuos Pœnitentes, quos ſolùm poſſunt docere, dirigere & adiuuare in confeſſionibus, & aliis exercitiis ſpiritualibus, non autem corrigere, punire, vel plectere.

Secunda Conc. Prænominati Tertiarij viuentes in propriis domibus, licet promittant ſeruare mandata Dei, tamen ex vi huius promiſſionis ſeu quaſi voti, non peccant particulari circunſtantia voti in confeſſione declaranda ſi violent aliquod præceptum diuinum. quia illa promiſſio ſeu votum non eſt propriè & ſtrictè votum, ſed tantùm analogicè: non inducens particularem obligationem peccati, etiam venialis, ſicut declaratũ fuit Conimbricæ anno 1608. à ſex Doctoribus Academiæ illius vrbis, ex quibus vnus erat Doctiſsimus Suarez: quorũ dicta refert Carrillus lib. 3. Tertiariorum, teſte Portello verbo Tertiarij numero 5.

priuilegium hoc est illis absolutè, & absque vlla restrictione, atque etiam sine vlla limitatione, & dependentia à suis superioribus communicatum.

CAPVT XVI.

Vtrum Tertiarij sancti Francisci sint verè & propriè Religiosi, & gaudeant priuilegiis aliorum Ordinum?

VT quæstionis propositæ sensus clare intelligatur, sciendum est, Tertiarios sancti Francisci de Assisio, esse in duplici differentia: alij enim viuunt in propriis domibus & familiis, nulla emittentes vota, nullisque subiecti superioribus. Alij verò viuunt in communi, tribus votis substantialibus cuicumque Religioni astricti, ac per omnia superiorum obedientiæ mancipati. hoc ita prænotato quæstioni propositæ satisfaciemus per conclusiones sequentes, quarum

PRIMA est, Tertiarij sancti Francisci viuentes extra communitatem in domibus propriis, non sunt verè & propriè Religiosi, tum quia possunt matrimonio coniungi, quod repugnat statui Religioso propriè dicto: imò de facto multi eorum sunt coniugati. vt patet ex iis qui degunt in Italia, Hispania, Flandria, & in quibusdam Galliæ nostræ Prouinciis, tum quia non emittunt tria vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ. tum quia nulli superiori obediunt, nec sunt personæ Ecclesiasticæ, sed merè sæculares, viuentes vt alij sæcu-

lares in propriis domibus cum vxoribus, filiis & famulis. vnde nec tenentur ſub peccato mortali aut veniali obedire vllis ſuperioribus regularibus, nec ſunt exempti à Gabellis, Talliis, decimis, primitiis, vectigalibus, tributis, & aliis oneribus publicis dominis temporalibus vel Eccleſiaſticis, ſoluendis: ſed per omnia, & in omnibus ſubiacent viſitationi, & correctioni Ordinariorum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium, & quamuis aliquo modo videantur ſubiici ſuperioribus Fratrum Tertij Ordinis ſancti Franciſci, à quibus etiam admittuntur ad habitum, & profeſſionem Regulæ Nicolai IV. ex conceſſione Pauli V. data anno 1613. eorum tamen poteſtas in prædictos Tertiarios ſæculares non eſt coercitiua, ſed tantùm directiua: & planè ſimilis illi quam habent alij Confeſſarij in ſuos Pœnitentes, quos ſolùm poſſunt docere, dirigere & adiuuare in confeſſionibus, & aliis exercitiis ſpiritualibus, non autem corrigere, punire, vel plectere.

Secunda Conc. Prænominati Tertiarij viuentes in propriis domibus, licet promittant ſeruare mandata Dei, tamen ex vi huius promiſſionis ſeu quaſi voti, non peccant particulari circunſtantia voti in confeſſione declaranda ſi violent aliquod præceptum diuinum. quia illa promiſſio ſeu votum non eſt propriè & ſtrictè votum, ſed tantùm analogicè: non inducens particularem obligationem peccati, etiam venialis, ſicut declaratũ fuit Conimbricæ anno 1608. à ſex Doctoribus Academiæ illius vrbis, ex quibus vnus erat Doctiſsimus Suarez: quorũ dicta refert Carrillus lib. 3. Tertiariorum, teſte Portello verbo Tertiarij numero 5.

Tertia Conc. dicti Tertiarij viuentes in sæculo, more aliorum sæcularium, non gaudent priuilegiis & immunitatibus, Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus concessis vel concedendis à sancta sede Apostolica in foro externo, & iudiciali, sed solummodò fruuntur indulgentiis aliisque bonis spiritualibus, & gratiis pro foro interiori. ita collector priuilegiorum verbo Tertiarij. Hieronymus à Sorbo in annotat. ad idem verbum, & Portellus loc. cit. n. 2. & 3.

Quæres vtrum prædicti Tertiarij sæculares gaudeant priuilegio canonis, si quis suadente diabolo? *Resp.* Collectorem & Portellum locis citatis, cum aliis quibusdam docere quod sic. quia illorum Ordo est ab Ecclesia approbatus. sed reuera hoc non est in vsu. non desunt etiam qui asserant mulieres Tertiarias sæculares continentiam vouentes, licet non sint Religiosæ, nihilominus gaudere omnibus priuilegiis, & immunitatibus aliorum Fratrum Religiosorum, absque vlla differentia. Idque ex priuilegio Leonis X. sed neque hoc est in vsu. imò censeo cum à Sorbo loco supra citato, hæc omnia priuilegia dictis mulieribus concessa, esse reuocata à Pio V. anno 1568. & à Gregorio decimo tertio, anno 1575.

Quarta Concl. vtriusque sexus Tertiarij sancti Francisci, viuentes in communi sunt verè, & propriè Religiosi, tum quia vouent tria vota omnibus Religiosis communia. tum quia, nullomodo possunt deserere statum quem semel assumpserunt, & professi sunt, vt se conferant ad viuendum sæculariter modo: vnde nec matrimonia valent contrahere

contrahere, nec proprium aliqua ratione retinere, & possidere in particulari, & si secus facere eos contigerit, tanquam proprij instituti desertores seuere plectuntur. tum quia sic declarauerunt plures Romani Pontifices. Martinus quintus, Eugenius quartus anno 1442. Nicolaus quintus anno 1447. Paulus secundus 1459. Sixtus quartus 1471. Iulius secundus 1508. Leo decimus 1517. & 1521. Clemens septimus 1526. Paulus tertius 1547. Greg. decimus tertius 1575. Sixtus quintus 1586. Clemens octauus 1595. 1600. & 1603. Paulus quintus 1610. & 1613. Gregorius decimus quintus 1621. & tandem Vrbanus octauus, qui hodie Clauum Ecclesiæ fœliciter moderatur, anno 1626. qui quidem omnes agnoscunt Tertiarios vtriusque sexus tria vota emittentes, & vitam in communi degentes pro veris, & propriè dictis Religiosis, illisque prohibent transitum ad alios Ordines, excepto Carthusiensi. huc etiá spectant priuilegia, & libertates illis concessæ à principibus laicis Carolo quinto Augusto. anno 1519. Andrea Ventamino Venetorum duce anno 1477. Henrico tertio Maximo Galliarum Rege Christianissimo anno 1604. & 1608. & Ludouico decimo tertio hodie summam Regni tenente, qui omnes illos vt verè Religiosos, & habuere & tractauere, eisque quoties opus fuit opem dedere, & quoniam his nonobstantibus quidam huius Ordinis supra modum osores adhuc verbis malignis garrire ausi sunt, & impudentius proclamare prædictos fratres non esse verè & propriè Religiosos, & posse ab eo statu resilire & matrimonio copulari: ideò Sixtus quartus vehementer insurgens in huiusmodi calumniatores, gladio excō-

munionis omnes illos percutit, qui hunc Ordinem in posterum insequerentur, & asserent non esse verè & propriè Religiosos, declarans insuper vota à prædictis fratribus nuncupata habere vim, & validitatem votorum solemnium, ac omnem inducere effectum quem inducit votum solemne factum in quacumque Religione ex approbatis, à sede Apostolica, ac impedire matrimoniũ contrahendum, & dirimere contractum: quod idem fecit Leo decimus anno 1517. pro monialibus siue sororibus Tertij Ordinis. eamdem assertionem confirmant multi Doctores Alphonsus de Casarubios collector priuileg. Fratrum Minorum, in verbo ingredi Monasteria Fratrum, & verbo Tertiarij. Carrillus lib. 1. de Tertiariis. Portell. verbo Tertiarij n. 1. Hieron. à Sorto annotationibus ad comp. in verbo Tertiarij. Corduba ibid. Pater Yuo Capacinus tom. 1. de fœlici successu pietatis cap. penultimo editionis quartæ. vbi disertis verbis declarat se toto illo cap. nullomodo loquutũ de patribus pœnitentibus Tertij Ordinis S. Francisci, qui sunt verè & propriè Religiosi, & vt tales ab Ecclesiæ Pontificibus semper habiti. quorũ bonis (inquit) moribus, cõcionibus, & laudabili vita plures in eamdẽ Ecclesiam fructus exuberant. sed tantùm de sæcularibus Tertiariis, qui nulla vota emittunt, & in propriis domibus Deo famulantur, normam aliquam bene viuendi à sancto Patre & Seraphico Francisco præscriptum seruantes.

Ex quibus omnibus colliges, quòd quando nonnulli authores, cuiusmodi sunt Syluester verbo matrimonium 8. §. 5. Nau. consil. 38. Cardinalis Toletus l. 6. 7. c. 8. Emm. Sà verbo Religio. n. 41. & alij dicunt Tertiarios S. Francisci, non esse Religiosos

eorumque vota nō irritare matrimonium: ſunt intelligendi de Tertiariis primæ differentiæ, id eſt, ſæcularibus quorum votum nō eſt propriè & verè votum, ſed analogicè tantùm. vt diximus non autē de Tertiariis poſterioris generis, de quibus ſi locuti fuerint toto cœlo aberauerunt à via veritatis, nec vllomodo audiendi ſunt quoad hoc, cum à tot Pontificibus ſuprà enumeratis contrarium fuerit determinatum: quorum oraculis contradicere, aut acquieſcere nolle, tamquā ſcelus idololatriæ eſt, & peccatum atiolandi: ac hæreſi valdè proximum.

Quinta concluſio, Tertiarij vtriuſque ſexus in cōmuni vjuentes ſub obediētia Patris Generalis Fratrum Minorum de Obſeruantia, gaudent omnibus priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, exēptionibus, indulgentiis & gratiis conceſſis, & cōcedēdis omnibus ordinibus tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, tam pro foro externo, & iudiciali, quā pro foro interno & extraiudiciali. hoc patet ex variis cōſtitutionibus à pontificibus ſuprà memoratis emanatis, quas videre eſt in compēdio Fratrum Tertiariorum: quarum aliquæ etiam referuntur à Roderico in ſuo Bullario. ita & ſentiunt collector priuileg. Hier. à Sorbo, Corduba, Portel. & alii locis citatis.

Vbi rectè notat Portellus n. 9. Moniales Tertij Ordinis quæ ſubduntur Ordinariis locorum, non gaudere priuilegiis cōceſſis aliis Religiombus, ſed illas duntaxat quæ ſubiiciūtur regimini Fratrum ſancti Franciſci.

Quæres an Fratres Oblati ſiue ſeruiētes prædicti Tertij Ordinis S. Franciſci qui in communi viuunt intra eumdem Ordinem, ſint verè & propriè Religioſi? *Reſp.* quod ſic. tum quia profitentur Regulam

& emittũt tria vota ſolemnia, tũ quia ſic declaratur in conſtitutionibus generalibus eiuſdem Ordinis ab Vrbano octauo nunc ſedente approbatis anno 1626. quod ita eſt manifeſtum vt non indigeat maiori probatione.

Ex quo infero 1. prædictos Oblatos ſine ſeruiẽtes poſt votorum nuncupationem non poſſe redire ad ſæculum, nec matrimonia contrahere, & inane ac irritũ eſſe quicquid quoad hoc attẽtare cõtigerit.

Infero 2. eoſdem Oblatos ſiue ſeruientes gaudere omnibus priuilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, quibus fruuntur alii eiuſdem Ordinis Religioſi, ſiue ſacerdotes ſint, ſiue laici tam in foro externo quàm interno. legendus Portel. n. 8. l. cit.

CAPVT XVII.

Vtrum Concil. Trid. ſit receptum in Gallia?

CVm in hoc & ſuperioribus tractatibus ſæpiùs mentionem fecerimus Concil. Trident. placet hîc loco coronidis diſcutere an aliquam vim habeat in Gallia: quod vt intelligatur notandum eſt 1. leges canonicas vſu minimè receptas in cõſcientia non obligare, cap. in iſtis, §. leges diſt. 4. leges inſtituuntur cum promulgantur, & firmantur cum moribus vtentium approbantur.

Notandum 2. conſtitutiones Concil. Trid. eſſe diuerſi generis, quædam enim ad ius naturæ ſpectant, vt prohibitio duelli opera dæmonis inter homines introduct. aliæ ad ius diuinum in veteri, & nouo teſtamento exaratum, vt quæ ad fidem & ſacramenta ſpectant: Aliæ quæ declarant aliqua

de iure diuino, de quibus antea dubitabatur an eſſent iuris diuini, quales ſunt quæ contra Lutheranos, Caluiniſtas, cæteroſque Hereticos ſancite ſũt. Aliæ ad ius antiquum poſitiuum ſeu Eccleſiaſticum olim à Pontificibus vel Conciliis præſcriptum ſpectantes: vt Clauſura Monialium, Clericorum immunitates, & reliqua id genus: Aliæ denique quibus nouum ius humanum poſitiuum inducitur, quibus ita prænotatis.

Dico 1. eas conſtitutiones quæ ius naturale continent in conſcientia quoſcumque fideles, Gallis minimè exceptis, aſtringere. quia hæ nulla promulgatione aut publicatione indigent, cum Creator naturæ humanæ eius notitiam à principio creationis ipſi ſufficienter indiderit, & veluti promulgauerit, iuxta illud Pſalm. 4. multi dicunt quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: quod etiam docet D. Tho. 1. 2. q. 90. art. 4. ad 1.

Dico 2. conſtitutiones iuris diuini noui vel veteris teſtamenti, quæ per Euangelium aut alias leges iuſtas qualis eſt obſeruatio Sabbati, ſublatæ non fuerunt, quoſlibet Chriſtianos in conſcientia obligare. hæ enim per Patriarchas Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos ſufficienter promulgatæ ſunt. Pſalm. 18. in omnem terram exiuit ſonus eorum.

Dico 3. Conſtitutiones eiuſdem Concilij declarantes aliqua de iure diuino, de quibus antea à nõnullis dubitabatur, fideles omnes atque etiã Gallos pariter obligare. tũ quia nullâ deſuetudine aut cõſuetudine, vel alia occaſione aut ratione humanâ diuinæ legi poteſt derogari. cap. quæ cõtra diſt. 6. tum quia huiuſmodi conſtitutiones non ſunt introductoriæ noui iuris, ſed ſolùm antiqui declara-

toriæ. lex autem declaratoria iuris antiqui nõ indiget noua promulgatione ad inducendam nouam obligationem quia retrotrahitur ad præterita, vt saltem obliget quoad futura, per Authenticam, de fi'iis ante dotalia instrumẽta natis. legendus Turrecremata dist. 4. §. leges.

Dico 4. idem dici debere de his constitutionibus iuris canonici & positiui quæ vsu in Gallia receptę sunt. idque propter rationem initio allatam. legi enim vtentium moribus receptæ nihil ad actualem obligationem deest.

Dico 5 constitutiones prædicti Concilij, quibus ius nouum inducitur Gallos in cõscientia minimè obligare: tum quia numquã promulgatæ fuerũt in præcipuis Regni Gallici ciuitatibus. promulgatio quippe est de natura legis actualiter obligantis: est enim lex vt præclarè docet D. Thom. ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata. tum quia non fuerunt receptæ: etsi enim lex aliqua debitè sit promulgata vbi tamen vtentium moribus non firmatur nec recipitur post decennium, saltem ab ipsa debita promulgatione de init obligare. vt tradũt Calderinus & Immola in cap. 1. de Treuga & pace, relati & approbati à Felino ibidem. tum quia vel Pontifex expressè consensit dilationi siue retardationi receptionis earum ad Regum Galliæ supplicationem, ne tranquillitati publicæ Regni, vel alteri bono impedimento essent, aut si expressè non consenserit, saltem implicitè consensisse nulli est dubitandum. cum enim Pontifices videant has constitutiones non esse in Gallia receptas, & tamen taceãt, interpretatiuè receptionis dilationi consentire censentur: atqui ad tollendam legem aliquam

hondum receptam tacitus legislatoris consensus sufficit Glossa in §. leges dist. 4.

Quæres 1. an in Gallia moribus vtentium receptũ sit vt leges tam Pontificiæ quàm Regiæ ante debitam in præcipuis ciuitatibus promulgationem nó obligent in conscientia? *Resp.* quod sic. vnde sequitur quod licet promulgatio Concil. Trid. facta fuerit Tridenti, non tamen sufficit vt obliget Gallos in conscientia ad eorũ obseruationem, quæ de nouo in eo sancita sunt nisi simul in præcipuis Regni ciuitatibus fiat promulgatio. quam opinionem receptam esse in Gallia constat ex concordatis inter Leonem X. & Franciscum 1. Francorum Regẽ, in verbo receptæ, & titu. de collatio §. præfatique Ordinarij. in verbis, post præsentium acceptationem & publicationem.

Quæres 2. an Galli decreta Conc. Trid, quæ sunt noui iuris non seruantes, sint tuti in conscientia? *Resp.* quòd sic. propter rationes in Conclusione quinta allatas.

Quæres 3. an aliqua decreta Conc. Trid. moribus vtentiũ sint recepta in Gallia? *Resp.* quòd sic. in primis vi statuti Cõcilij DD. Episcopi super irregularitatibus ex delicto occulto profectis, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario procedit, dispẽsant. 2. eiusdem virtute Matrimonia Clandestina inualida censentur. 3. ante Concilium multò plura erãt matrimonij impedimenta quæ nunc in Gallia, vi statuti Concilij impediméta amplius non censentur. vt impedimentum cognationis carnalis quod ad septimum gradum protẽdebatur nunc ad quartum inclusiuè est redactum, &c. 4. eadem virtute nec libri argumenti Theologici sine Doctorum subsignatione, & approbatione typis mãdãtur, nec

viri aut mulieres clauſtra monialium in gredium: turſicut antea, ſed clauſura iniuria temporũ miſerè collapſa multis in locis reſtituitur. ſunt alia multa decreta moribus vtentium approbata in Gallia, quę ſcienter prætermitto breuitatis gratia, remittendo Lectorem ad ea quæ habet Andreas Duuallius lib. de ſuprema Pontif. Rom. poteſt, p. 3. q. 7.

Quæres 4. an ſi Rex Francorũ permitteret duellum fieri in terris ſibi ſubiectis incurreret pœnas iuris in Conc. Trid. taxatas? *Reſp.* quod non. quia ibi agitur de illis vrbibus & caſtris quæ Imperatores, Reges, Duces, &c. obtinent ab Eccleſia, & in quæ Eccleſia directum ſibi vendicat dominium, at verò Rex Galliæ ne minimũquidem Regni ſui oppidulum ab Eccleſia tenet, ſed à Deo per hæreditariam ſucceſſionem accepit imperium, & à nullo præter ipſum in tẽporalibus dependet. ita Duuallius vbi ſuprà.

TRACTATVS NONVS,

DE RESTITVTIONE IN GENERE.

CAPVT I.

Quid ſit reſtitutio, an ſit neceſſaria ad ſalutem?

DIco 1. reſtitutionem eſſe actum iuſtitiæ commutatiuę quo redditur alicui quod ab eo vel volente, vel inuito eſt acceptum, ac etiam quo cõpenſatur damnum alicui illatum. ita communiter Doctores omnes.

Dico 2. reſtitutionem eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſsitate præcepti, non autem medij. ſic Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 2. Leſſ. l. 2. de iuſt. cap. 7. dub. 10. Illud dicitur neceſſa-

rium neceſsitate medij, quod ita eſt neceſſarium ſecundum legem Dei ordinariam, vt eo prætermiſſo ſalus non obtineretur: ſiue prætermittatur ex ignorantia, ſiue alia de cauſa, & hoc modo baptiſmus ſaltem in voto eſt neceſſarius, itemque Sacramentum pœnitentiæ.

Illud vero eſt neceſſarium neceſsitate præcepti, quod ex præcepto, neceſſariò exequendum eſt ad obtinendam ſalutem, eo tamen prætermiſſo, vel ob ignorantiam, vel ob impotentiam non impeditur ſalutis conſequutio: quia præceptum tunc temporis non violatur. ſicque neceſſarium dicitur Sacramentum extremæ vnctionis, itemque reſtitutio bonorum proximi. hoc autem præceptum eſt affirmatiuum, non negatiuum. lege Val. loco citato.

Caput II.

De radicibus ex quibus naſcitur obligatio reſtituendi.

Dico 1. ex ſola iuſtitia commutatiua oritur obligatio reſtituendi, & nullo modo ex iuſtitia diſtributiua: & ſi quando videatur obligatio reſtituendi oriri, ex iuſtitia diſtributiua, non tamen oritur ex illa præcisè, ſed quia habet adiunctam ſibi iuſtitiam commutatiuam. v. g. ſi Dux, aut Magiſtratus aliquis pecuniam haberet in ſingulos ciues, vel milites diſtribuendam, & vni plus daret quàm ſibi debetur, teneretur quidem reſarcire damnum aliis, quibus facta eſt iniuria: ſed hoc non proce-

dit ratione ſolius iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed etiam quia illi coniungitur iuſtitia commutatiua. ſic S. Tho. 2.2. qu. 62. art. 1. ad 2. & 3. Az. 3. par. l. 4. c 1. q. 4.

Iuſtitia in communi eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi: id eſt, iuſtitia eſt virtus inclinans, & firmans voluntatem ad perpetuo tribuendum vnicuique ius ſuum, id eſt, quod ei debetur. ſiue ſit dominiũ rei, ſiue vſus, ſiue vſusfructus, ſiue poſſeſſio: ſiue quod debetur ex contractu, vel quaſi contractu, vel ex delicto, aut quaſi delicto, quo quis alteri iniuriam, vel damnum intulit. & hæc iuſtitia eſt duplex, vna appellatur diſtributiua, alia vero commutatiua. Iuſtitia diſtributiua eſt qua redditur alteri quod eſt ei debitum iuxta proportionem Geometricam, quia non datur, tantumdem omnibus, ſed proportione quadã, & hæc verſatur in diſtribuendis præmiis, muneribus, dignitatibus, officiis, beneficiis, & cæteris omnibus communibus bonis: vnde etiam ad eã pertinet imponere tributa, penſiones, cenſus & alia onera ſingulis ciuibus. ſic Az. 3. part. l. 1. c. 10. q. 2. Filiu. to. 2. tract. 31. c. 2. q. 11. & 12. Et in hac iuſtitia, perſonarum merita ſemper attendi debent: Iuſtitia commutatiua eſt quæ reddit alteri quod ſuum eſt iuxta porportionem Arithmeticam: quia datur omnino per eam tantumdem quantum erat acceptum, vel ablatum. & hæc verſatur in tribuendo cuique quod ſuum eſt, vel ratione contractus, vel quaſi contractus, vt ex Depoſito, ex Commodato, ex Mutuo, ex venditione & emptione, ex officio publico, ex tutoria, &c. vel ratione delicti, aut quaſi delicti, vt ex furto, homicidio, detractione, exilio, &c. Ita vt in hac Iuſtitia nullo modo habeatur

respectus ad personam, aut ad eius merita, sed solummodo vt tantum reddatur in numero, pondere, & mensura, quantum est acceptum. vel tanta pœua quisque puniatur, vel tanta mercede, aut præmio afficiatur, quantum deliquit, vel laborauit, vel meruit. Az.loc.cit.c.11.& alij.

Proportio Geometrica est, quæ attendit præcisè æqualitatem proportionis, inter personas, earumque merita: ita vt qui plus laborauerit pro Republica vel pro Societate, debeat secundum Iustitiam distributiuam maius præmium reportare. nam si æquale præmium daretur minus laboranti & merenti, ac magis merenti, nõ seruaretur æqualitas proportionis meritorum inter personas: vt si v. g. meritum vnius Militis vinceret quatuor gradibus, meritum consocij militis, & sex aurei essent inter eos diuidendi quatuor deberentur vni, & alteri tantùm duo, & si vtrique darentur tres, esset peccatum contra iustitiam distributiuam.

Proportio Arithmetica est, quæ attendit æqualitatem quantitatis non considerando proportionem personarum, id est, sintne personæ nobiles, vel ignobiles, bonæ, vel malæ, nihil enim differt quantum ad Iustitiam commutatiuam; si aliquis bonus priuauit per furtum, vel rapinam aliquam virum peruersum re sua, vel è conuerso. neque etiam refert si bonus vel malus commisit adulterium, sed attenditur ad differentiam nocumenti, vt scilicet qui plus nocuit, plus recompenset, cuiuscumque conditionis sit. legendus D. Tho. comment. in librum 5. Ethic. Arist. lect. 6.

Dico 2. quatuor esse remotas radices restitutionis, quarum 1. est, ex contractu, vt ex mutuo, emptione, &c. 2. ex quasi contractu, vt ex nego-

Digitized by Google

iis geſtis, ex tutela, ex officio publico. 3. ex delicto, vt ex furto, homicidio. 4. ex quaſi delicto, vt ex imprudentia, ignorantia, vel negligentia culpabili.

Quæres ex quo delicto naſcatur obligatio reſtituendi? *Reſp.* ex ſolo peccato mortali. ita Leſſ. l. 2. c. 7. dub. 6. nu. 27. Filiuc. tract. 32. c. 2. qu. 6. ex quo deducit eum qui non peccauit mortaliter non teneri ad reſtitutionem in quauis materia, ſaltem ſub mortali, nec etiam in reſtitutione famæ. Item deducit 2. eum qui ſubitâ irâ aliquem percuſsit, vel etiam occidit, ita vt non exceſſerit primum vel ſecundũ motũ qui dicitur ſecũdo primus, non teneri ad reſtitutionem: quia hoc damnum cenſetur fortuitò euenisse. vt ait Leſſ. loco cit. numero 28.

Dico 3. tres eſſe alias radices reſtitutionis magis proximas. Prima eſt ex iniuſta acceptione tantùm. ex qua oritur illa regula, quicumque eſt cauſa Iniuſtæ acceptionis, vt furti, vſurę, homicidij, infamię, &c. tenetur ad reſtitutionem in ſolidum.

Secunda radix ſe tenet ex parte rei acceptæ tantùm. ex qua oritur hæc regula quicumque habet rem alienam, tenetur eam reſtituere: & ſi habeat eam malâ fide, tenetur eam reddere, tum ratione iniuſtæ acceptionis, tum etiam ratione rei acceptę. quia illa retentio dicitur iniuſta acceptio: ſi vero habeat rem bonâ fide, & cognoſcat poſteà rem nõ eſſe ſuam, ſed alterius tunc ſi adhuc extet in ſeipſa, tenetur illam reddere, ſi vero non extet apud eum ſolùm tenetur ad id in quo factus eſt locupletior ex illa. vt ſi illam vendidit maiore pretio quàm emerat, vel ſi res ſuas non conſumpſit, alioqui cõſumpturus ſi rem alienam non habuiſſet.

Digitized by Google

Tertia radix se tenet tam ex parte rei acceptæ, quam ex parte iniustæ acceptionis. ex qua oritur hæc tertia regula, quicumque est causa iniustæ acceptionis, & retinet rem alienam, tenetur ad reddendam rem, itemque fructus eius tum naturales, tum industriales mixtos, atque etiam ad damna sequuta. vt si iniustè accepisti equum proximi tui quem cuiuis petenti locare solebat, eumque per mensem apud te retinuisti, teneris non solùm restituere equum, sed etiam lucrum quod ex locatione percepisset Dominus, etiam si tu nihil inde lucri percepetis.

Præterea notandum est, triplicem esse differentiam inter primam & secundam radicem, quarum prior est, qui tenetur ex re accepta tantùm, si ea casu pereat, vel sine culpa, imo, & cum culpa eius qui eam apud se retinet bonâ fide, ad nihil tenetur: qui verò obligatur restituere ex iniusta acceptione, si pereat tenetur restituere, nisi fortè apud Dominum eodem modo peritura fuisset, tunc enim tantùm teneretur refundere Domino proprio interesse, seu damnum quod passus est ex carentia rei propriæ, vsque ad illud tempus in quo periit.

Secunda differentia, qui tenetur tantùm ex re accepta, obligatur solùm ad reddendum fructus extantes, vel in se, vel in alio, quatenus in his factus est ditior: vt si dono habuit agrum furtiuum, postquam resciuit esse alienum, tenetur vltra agrũ ipsum, reddere etiam fructus extantes, & ad valorem eorum quos receperit, quatenus non consumpsit proprios, quos consumpsisset si alienos non habuisset: at verò qui obligatur restituere ratione iniustæ acceptionis, etiam tenetur restituere fructus perceptos, & eos qui percipi potuissent.

Digitized by Google

Tertia differentia, qui tenetur ex iniusta acceptione, tenetur resarcire damna sequuta, & omnia lucra quæ cessarunt ei cui damnũ intulit: contrà vero qui tenetur ex re accepta tantùm, non obligatur ad reficienda damna vel lucra. hæc Filiuc. tom. 1. in instruct. confessionum excipiendarum c. 2. art. 4. & tom. 2. tract. 32. cap. 1. quæst. 9. & decima.

CAPVT III.

De possessore bonæ fidei ad quid teneatur?

QVamuis iam proximo capite de hoc nonnihil dictum sit, tamen maioris explicationis gratiâ, quædam dubia hîc libet proponere.

Quæritur ergo 1. ad quid teneatur Possessor bonæ fidei? *Resp.* cum Azorio l. 4. c. 2. teneri ad restituendos omnes fructus in vniuersum, tùm naturales, tum mixtos, siue eos possideat ex titulo, siue absque titulo, dummodo adhuc extent, nec sint consumpti: si enim sunt consumpti, tunc possessor bonæ fidei debet solum reddere id, in quo factus est locupletior ex eis: putà quia rem donatam vendidit, & pretium habet, vel tantumdem de suo fuisset consumpturus, vel aliquid emit quo patrimonium suum auxit, debet reddere omne incrementum, quia in eo factus est ditior. dixi (possessorẽ bonæ fidei debere restituere fructus mixtos) quia nõ tenetur restituere eos qui sunt merè industriales. quod vt intelligas, Notabis fructus esse in triplici differentia, quidam dicuntur naturales, qui beneficiò naturæ principaliter, non diligentiâ, & operâ

hominis náſcuntur, vt arbores, poma, vituli, agni, lana, &c. ex l. fructus, ff. de vſuris. Quidam fructus dicuntur induſtriales tantùm, qui proueniunt ex ſola hominis cura & opera, vt eſt lucrum ex negotiatione pecuniæ alienæ, & hi non ſunt reſtituendi à poſſeſſore bonæ fidei. Quidam fructus dicuntur mixti, id eſt qui producuntur partim ab ipſa natura, & partim ex labore & cultura hominum quales ſunt ſegetes, vinum, oleum, &c. & fructus hi ſicut etiam naturales ſunt reſtituẽdi ſi adhuc extent. Is dicitur Poſſeſſor bonæ fidei qui iuſto titulo, & iuſtâ cauſâ putat ſe eſſe dominum rei quam poſſidet, cum tamen non ſit.

Quæres 2. an Poſſeſſor bonæ fidei acquirat dominium fructuum, tam naturalium, quam mixtorum, ſi eos continuo triennio bonâ fide poſſederit? *Reſp.* quod ſic. & hoc per vſucapionem. ita Paulus Iuriſc. in leg. ſequitur §. fructus ff. de vſucapionibus.

Quæres 3. vtrum Poſſeſſor bonæ fidei poſſit deducere impenſas quas fecit pro conſeruãdis, quærendis, & colligendis fructibus? *Reſp.* quod ſic. Panormit. cap. de vſuris, ſiue illæ expenſæ ſint vtiles, ſiue voluntariæ. Azor. loc. cit. c. 5.

Quæres 4. vtrum bonæ fidei Poſſeſſor teneatur aliquid reſtituere quando rem alienam, vel deteriorem fecit, vel deſtruxit, vel fructus non percepit ſuâ culpâ, vel perceptos diſſipauit? *Reſp.* quod non. Az. loc. cit. q. 6. ſub finem niſi in aliquo eſſet factus locupletior.

Quæres 5. vtrum Poſſeſſor bonæ fidei teneatur aliquid reſtituere quando dominus non eſt factus deterior, ex carentia rei propriæ? *Reſp.* quod non, etiam ſi factus eſſet ditior. Az. loc. cit.

Quæres

Quæres 6. vtrum quando emptor emit bonâ fide rem furtiuam, teneatur eam reddere domino proprio, an vero venditori seu furi, vt ab eo recuperet suum pretiũ? *Resp.* nõ obligari reddere vero domino, sed posse eam reddere venditori, vt se indemnem seruet, & pretium ab eo recuperet. quod si fur qui vendidit non inueniatur, nec vlla sit spes recuperandi pretium pro re empta datum, tenetur in conscientia bonæ fidei Possessor eam rem restituere vero domino, nec potest alteri illam vendere, postquam cognouit esse furtiuam, nec repetere pretium à domino, quia nullum ius habet in eam. ita Less. l. 2. c. 14. dub. 3. & ex parte Tolet. l. 5. c. 17. sub finem. quod si quis rem aliquam furtiuam acceperit dono, tenetur eam reddere Domino proprio, non autem furi. ita Filiuc. loc. cit. tract. 32. c. 4. n. 85. quod si rem furtiuam dono sibi datam vendiderit, tenetur pretium Domino redere. quia in hoc factus est ditior. ita Tol. loc. cit. n. 6.

CAPVT IV.

De possessore malæ fidei ad quid teneatur?

POssessor malæ fidei dicitur qui rem alienam scienter possidet, absque vllo iusto titulo. & hic tenetur 1. ad restitutionem omnium fructuum naturalium, & mixtorum, tam extantium quam consumptorum. quamuis quoad consumptos collectos singulari industria, existimet Couarr. 2. parte. §. 6. n. 3. teneri solùm ad id ex quo factus est locupletior, & hanc opinionem putant quidam esse

probabilem. vt Less. c. 12. dub. 17. n. 119. quam tamē non sequitur.

2. Tenetur restituere rem ipsam omnesque fructus, quos Dominus eius percepisset, vel percipere potuisset, adhibita diligenti curâ, vel industriâ. & in hoc omnes conueniunt.

3. Res & fructus perceptos etiam si casu fortuito perierint, cogitur in conscientia restituere, dando eorum valorem. si tamen apud Dominum casu etiam fortuito perijssent, probabile est non teneri, & ita sentit Couar. ad regulam peccatum p. 2. § 6. n. 3. assentit etiam Less. c. 12. dub. 15. nu. 92. addens n. 93. furem non teneri ad restitutionem rei, etiam si aliqua sua culpa perierit, vt si eam negligentia perdiderit, vel etiam vastauerit, aut consumpserit: dummodo eam perdat aut deuastet in eodem loco, & intra illud tempus quo apud Dominum periisset. dico eodem loco & eodem tempore, quia si eam perdat aut deuastet alio in loco, & in alio tempore quibus apud Dominum non periisset, tenetur ad compensationem: vt si abstulerit equum è domo alterius, quæ paulò post casu conflagrauit cum tota supellectili, in qua etiā equus ille periisset, & posteà hic equus apud eum perit, vel casu surripitur, tenetur equi valorem restituere. quia cum euaserit incendium, rursus cœpit esse suo Domino: quia semper fuit suus, ergo quāuis casu pereat transacto periculo incendij, tenetur refundere rem, & fructus eius, si aliquos percepit, vel percepturus erat Domino.

4. Tenetur malę fidei possessor restituere omnes fructus quos percipere potuisset, sed negligentia sua non percepit. itemque omnes fructus quos percepit, etiam si dominus non percepisset, sed

percipere potuiſſet, adhibitâ communi diligentiâ, dummodo non ſint merè induſtriales. hinc ſentit Az. loc. cit. c. 4. eum qui furatus eſt torquem vel annulum aureum, quem poſtea locauit, debere dominò reſtituere penſiones ex locatione perceptas, quia hæ penſiones profluunt ex vſu rei. & hoc etiá habet locum in caſu quo Dominus rem iſtam non locaſſet.

5. Tenetur fur ſeu quiuis malæ fidei poſſeſſor, rem vſu conſumptibilem in numero, pondere, & menſura conſiſtentem reſtituere ſi adhuc extet, nec eſt commixta cum aliis eiuſdem generis, vel ſi eſt commixta poteſt tamen adhuc diſcerni & ſeparari. ſi verò non amplius extet, vel ſi cum aliis eiuſdem gèneris ita eſt commixta, vt nequeat ſeparari & diſcerni, cogitur tantumdem reſtituere in re eiuſdem generis & functionis, quantùm fuit id quod ex aliena re miſcuit cum ſua. Az. loc. cit. c. 3. & 4.

6. Tenetur reſtituere quæſtus inhoneſtos quos ex re aliena percepit. vt ſi domum locauit meretrici ex qua lucrum percepit. ſic Azor. loco citato.

7. Non tenetur fur reſtituere fructus induſtriales, vt iam dictum eſt, poteſt etiam deducere impenſas neceſſarias, vtiles, & voluntarias, modo id commodè fieri poſſit ſine rei deſtructione. ſic Ang. verbo expenſæ §. 3. Az. loc. cit. c. 5. poteſt etiam retinere pretium ornamentorum, ſi dominus velit, quod ſi nolit, non poteſt.

8. Qui malâ fide emit rem aliquam à fure poteſt eam reddere latroni, vt pretium poſſit recuperare debet tamen monere, & hortari furem ad reſtituendum quamprimùm poterit. ita Tol l. 5 c. 17.

n.9. cui fauere videtur Less.c.14.n.21.dicens hanc opinionem videri probabilem.hanc etiam tuentur Syl. verbo rest. 3. §. 7. Alex.4. part. q. 86. art. 5. Gab.& alij.

9. Tenetur fur vel malæ fidei Possessor resarcire omnia damna, & interesse quæ passus est dominus ex iniqua rei suæ retentione. Less. c. 12. dub. 17.n.16.

Quæres quid dicendum sit de eo qui dubitat an res quam habet sit alterius? *Resp.* 1. si is qui bona fide rem aliquam possidet, incipiat postea dubitare an sit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio post inquisitionem, potest eam retinere & alienare. Syl. verb. rest.3. q.7. §. tertium, & alij. & si postea dominus comparuerit, nihil tenetur ei restituere,nisi ex ea factus esset ditior, vel nisi adhuc extaret apud se.

Resp. 2. eum qui dubitat vtrum res sit aliena, posse nihilominus eam recipere titulo donationis, permutationis, venditionis, &c. modo eo animo accipiat vt eam domino si post diligentem inquisitionem inuenerit, restituat. quia in hoc nulli facit iniuriam.quòd si non eo animo recipiat,peccat quidem, sed tamen non tenetur statim restituere. sed mutato animo, debet diligenter inquirere an sit aliena,& si certus moraliter fuerit esse alienam, debet illam integrè reponere cum fructibus perceptis, si adhuc extent. ita Sot.l.4.q.7.art.1. Caiet. q.62. art.5. & alij.

CAPVT V.

Qui nam obligentur ad reſtitutionem?

PRæter iniuſtum rei alienæ Detentorem, & Raptorem, ſunt adhuc perſonæ nouem quæ tenentur ad reſtitutionem, & continentur his verſibus.

Inſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Ex quibus ſex primæ perſonæ dicuntur cooperari malo poſitiuè, & directè, tres autem reliquæ dicuntur cooperari negatiuè, & indirectè. Per primã particulam, quæ eſt (Iuſſio) intelligitur iubens ſeu mandans; de quo

Quæritur 1. vtrum Mandans teneatur ad reſtitutionem damnorum quæ ex mandato ſequuta ſunt? *Reſp.* quod ſic. ſiue expreſsè mandauerit dãnum inferri, ſiue tacitè & implicitè. ſic Syl. verbo mandatum.

Quæritur 2. vtrum Mandans teneatur aliquid reſtituere, ſi poſtquam reuocauit mandatum, nihilominus Mandatarius non deſtitit, à damno inferendo? *Reſp.* quod non: dummodo reuocatio mandati peruenerit ad notitiã Mandatarij, priuſquàm damnum inferret. ſic Az. c. 10. de reſt. q. 2. vbi notabis quod duobus modis poteſt mandatum reuocari. 1. explicitè, quando ſcilicet mandans exprimit ſuam contrariam voluntatem Mandatario verbis, litteris, aut nuncio. 2. tacitè, vt cum ſigno nutu, vel facto ſignificat contrariam vo-

luntatem: vt si redierit in amicitiam cum inimico cuius iniuriam vel damnum mandauerat. ita Syl. loc. cit.

Quæres 3. vtrum qui ratum habet damnum suo nomine factum, teneatur aliquid restituere? *Resp.* quod non. Filiuc. tract. 32. c 3.

Quæres 4. vtrum Mandans teneatur restituere Mandatario damna quæ propter mandati exequutionem passus est? *Resp.* quod sic, si probabiliter contingere poterant: vt si mandatarius occisus est, vel vulneratus dum parat exequi mandatum. tenetur pariter ad ea damna quæ ex vi mandati probabiliter erant euentura, vt si quis mandaret vulnerari tantùm quempiam, & postea acciderit, vt taliter vulneratus moriatur, cogitur Mandans ad damna inde sequuta, vel si vnum pro alio Mandatarius occiderit, tenetur etiam Mandans damna resarcire. Az. loc. cit. c. 10.

Per particulam, (consilium & consentiens) intelliguntur ij qui malum consulunt, vel consentiunt ita vt animent, & inuitent efficaciter ad damnum inferendum.

Per particulam (Palpo) significatur is qui adulando, vel laudando inducit ad actionem iniustam. Verbo (Recursus) comprehenditur is qui receptat aliena accipientem, nam eo ipso illum mouet ad iniustam acceptionem, & in ea iã facta confirmat & fouet. Verbo (Participans) indicatur socius criminis quocumque modo, siue vt exequutor, siue vt mediator, siue vt explorator. Verbo (Mutus) indicatur qui potest, & ex officio tenetur impedire iniustam actionem loquendo, vel dissuadendo, vel prohibendo, vel reprehen-

dendo, &c. & tamen tacet. (non obſtans) intelligitur eſſe is qui ex officio tenetur, & poteſt impedire, & non facit. vt iudex, Princeps, &c. (Non manifeſtans) eſt is qui iniuſtam actionem dum fit vel facta eſt, poteſt & ex officio tenetur manifeſtare, & non facit. vt Teſtis, qui proinde tenetur ad reſtitutionem damni, quod aliter incurrit ob celatam veritatem. licet quidam contrarium ſentiant, vt dixi tract. 1. c. 22.

Vt autem perſonæ ſupradictæ teneantur reſtituere, duo requiruntur: primum eſt, vt res aliena effectu ipſo ſit ablata, vel damnum illatum: alioqui nulla inde naſceretur obligatio reſtituendi, quantumcumque quis in eius ablationem conſenſerit, aut de ea conſilium, vel mandatum dederit. 2. quod requiritur eſt vt reuera propter tuum imperium, conſilium, conſenſum, vel laudem, ablatio rei alienæ ſubſequuta ſit. nam quamuis conſentias, vel imperes, conſulas, vel laudes, tamen ſi alter non propter conſilium, vel laudem tuam, ſed aliunde ad id motus rem alienam abſtulit, non eris tu cauſa ablationis eius, nec damni inde ſequuti.

CAPVT VI.

De conſulente ad quid teneatur?

PEr conſulentem intelligitur is qui conſilium dat, hortatur, inſtruit, vel dirigit. Conſilium datur aliquando alteri, vel vt delictum perpetret: v. g. vt furetur, vel vt quaſi delictum committa

v. g. vt habeat domi lupum, aut aliud animal indomitum non ligatum, sed liberum: vel vt contractum, aut quasi contractum cum altero ineat: v. g. vt vendat, vt negotia alterius gerat. hoc posito

Dico 1. Consulentem teneri reuocare consilium à se datum de nocumento inferendo per delictum, aut quasi delictum, vel per contractum aut quasi contractum, alioqui tenebitur ad reparationem omnium damnorum. quod si consilium reuocarit, & reuocatio innotuerit illi cui dederat tale consilium, & cauerit diligenter ne damnum inferretur, tunc ad nihil tenetur. sic Az. c. 11.

2. Qui parato furari centum suasit vt ducenta raperet, tenetur tantùm centum restituere. Couar. Medina, & alij.

3. Qui parato furari centum, suasit vt quinquaginta tantùm subriperet ad nihil domino tenetur, quia rem eius vtiliter gessit.

4. Qui parato furari centum Petro v. g. suasit vt minori summâ contentus ea auferret ex bonis Pauli, tenetur ex conscientia restituere quidquid fur abstulerit, quia vt Petrum seruaret indemnem, Paulum damno affecit. Idem dicendum quando furto commisso Consulens monet furem vt restituat, nam si non restituat etiam si promisisset, tenetur Consulens restituere. quia sicut eius consilio damnum est efficaciter patratum, ita eius consilio debet efficaciter reparari, nec est liber donec actu fiat restitutio. Az. loco cit.

5. Etiam si lege iustitiæ teneatur reuocare consilium, vt diximus, si tamen nihil persuadeat, non tenetur eâdem lege monere eum contra quem de nece aut alio damno consilium dederat, vt sibi

caueat, ſed ſolâ lege charitatis ad id obligatur, ſi cõmodè poſſit: & proinde ſi reuocato, vt dictum eſt conſilio, & reuocatione cognitâ delictum fuit commiſſum nihil tenetur reſtituere. ſic Leſſ. c. 13. dub. 3. n. 18.

6. Quando conſulens non modò dedit conſilium de contractu vſurario, aut alio delicto patrãdo, ſed etiam demonſtrauit modum, & artem quâ poſſit perfici, non eſt ſatis vt reuocet conſilium, ſed adhuc tenetur inſtrumenta quibus maleficium eſt committendum auferre, nec ſatisfacit officio ſuo, niſi id præſtiterit, quia ſi is qui conſilium petiit eo vtatur damnum meritò conſulenti imputatur: & in eo caſu vera erit ſententia Angeli verbo conſ. 24. & aliorum dicentium conſulentem obligari monere eum contra quem conſilium dedit vt ſibi caueat, quod ſi non fecerit ex iuſtitia tenetur omne damnum compenſare. Leſſ. loco cit.

CAPVT VII.

De conſentiente, palpante, receptatore, & participante, & ad quid teneantur hi omnes?

DIco 1. conſenſum præbentem vt delictum aliquid perpetretur in damnum alterius, vel ne reſarciatur damnum illatum, tenetur ad reſtitutionem faciendam. ſic Azor c. 12. ſi verò poſt datum damnum conſentiat, nec vllomodò conſuluerit, aut mandauerit, nec impediat reſtitutionem fieri, ad nihil tenetur. Medina de rebus reſtituen-

disq. 7. esto suo nomine delictum sit commissum.

Dico 2. palpantem, seu laudantem alium ex quo efficaciter mouetur ad delictum perpetrandum, teneri ad restitutionem totius damni. hinc sequitur eum qui non tantum laudando, sed etiam exprobrando ignauiam, vel pusillanimitatem permouet ad maleficium, dicendo v.g. indignus es qui tali iniuriâ afficiaris ab illo homine, valde enim dedecet statum tuum, conditionem, & honorem, nisi vlciscaris: vel si quis exprobraret marito adulterium vxoris, quo irritatus occideret vxorem, vel adulterum, teneretur ad restitutionem omnium damnorum ex tali laude, vel exprobratione sequutorum. Less. loc. cit. n. 25.

Dico 3. qui receptat aliquem apud se, refugium, vel securitatem præbendo, ex quo mouetur efficaciter ad nocendum alteri, vel post maleficium perpetratum, impedit ne dominus rem suam recuperet, eam occultando, tenetur ad restitutionem. ita communiter omnes Doctores. quod si tantùm amicitiæ causa post damnum illatum illum apud se recipiat, ad nihil tenetur, dummodò ex hoc securior non reddatur ad similia mala in posterum committenda.

Dico 4. participantem (quo nomine comprehenduntur socij criminum, Mediatores, Exploratores, & quicumque instrumenta præbent ad maleficium) si sponte suâ iuuet ad maleficium, tenetur ad restitutionem: sic obligantur ad restitutionem, qui scalas apponunt muro, vel eas sustinent fure ascendente, qui excubias agunt, instrumenta suppeditant, qui furem comitantur defendendi

cauſâ, qui iuuant effringere, aſportare de vno loco in alium, qui remos in triremibus hoſtium impellunt, qui tormenta ad incendia, vel propugnacula hoſtilia pertrahunt, & ſimiles: maximè quando aliàs damnum non fuiſſet ſequuturum. ſic Leſſ. n. 28.

Dixi (ſi ſponte iuuet) quia ſi graui metu coactus fecerit, non tenetur, modò id quod facit non ſit per ſe malum. hinc excuſantur à peccato Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum, vel eorum qui iniuſtum bellum gerunt contrà alios, quia id metu mortis faciunt; nam remigare ex ſe non eſt malum. excuſantur pariter, qui graui metu inſtrumenta præbent, apponunt ſcalas, eaſque tenent fure conſcendente, iniuſtas prædas militum aduehunt, pecora iam furto ſublata deducunt. Azor capite 15. Leſſ. loco citato.

Dixi (ſi id quod faciunt non ſit per ſe malum) quia ad hoc nullo mortis metu debet quis moueri. hinc non excuſaretur à reſtitutione qui domum alienam perfringeret, vel per feneſtram ingrederetur, res foras proiiceret, vel pecora è ſtabulo abigeret, quia hæc omnia ſunt per ſe mala & contra iuſtitiam. Leſſ. loc. cit.

Caput VIII.

Vtrum hi omnes, puta Iubens, Consulens, consentiens, palpans, receptans, & participans teneantur ad restitutionem in solidum?

TEneri ad restitutionem in solidum, est, teneri ad totum soluendum, & non obligari in solidum, est obligari tantùm ex parte. Itaque duos esse obligatos in solidum est vtrumque eorum obligari in totum, ita vt vno deficiente vel non soluente, alter teneatur soluere in totum. hoc posito

Dico 1. omnes qui cooperantur ad vnam, & eamdem numero actionem iniquam, ita vt quilibet indifferenter sit causa totius damni per eam illati, teneri in solidum ad totius damni compensationem. vt si omnes ex æquo concurrunt ad incendendam vnam domum, vel ad occupandam vnam ciuitatem in bello iniusto, quia tunc quilibet est concausa totius damni, quamuis non solus. ita Caiet. verb. restitut. capite 1. Azor capite 19. & alij.

Si verò plures ita inferunt aliquod damnum vt non quilibet sit causa totius damni, sed tantùm partis, quisque tenebitur pro sua parte ad resarciendum damnum quod intulit: vt quando plures ciuitatem ita diripiunt vt vnus vnam, alius aliam expilet. Azor loc. cit. Less. c. 13. dub. 4. Val. disp. 5. q. 4. punct. 3.

Dico 2.ſi vnus ex pluribus illorum qui in ſolidũ tenebantur ad reſtituendum reſarciuerit totum damnum,alij minimè obligantur ad reſtituendum aliquid ei qui damnum paſſus eſt. ſic D.Thom.2.2. q.22.art.7.ad 7.

Dico 3.quando vnus totum reſtituit, tenentur reliqui pro rata parte illi refundere,quod pro illorum parte dedit. ſic D. Th. loc.cit. & comuniter omnes Doctores.

Quæres quo ordine teneantur reſtituere? *Reſp.* 1. loco teneri eum apud quem res extat, quod ſiſit conſumpta, tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior.ita Leſſ.loc.cit.dub.5.2.loco tenetur executor quatenus eſt executor.3.loco tenentur qui conſilium dederunt, conſenſerunt, laudauerunt, qui prębuere recurſum,præſtiterũt obſequium,inſtrumenta, comitatum. vnde ſequitur 1. quod ſi executor reſtituerit totum, omnes illos ſolùm teneri pro rata parte illi aliquid refundere, dummodo illorum nomine damnum intulerit, & illum induxerint ad incommodum patrandum, quia ſi non induxerint ad facinus committendum,nihil ei reſtituere tenentur.vt ait Caiet.verb. reſt.c.1.& poſt eum Val.loc.cit.contra Leſſ.loc.cit.n.45.

Sequitur 2.quod ſi executor noluerit vel non potuerit ſoluere prædicti omnes tenentur in ſolidum obligabitur tamen executor (ſecundum veriorem ſententiam) illis refundere totum, Item ſi executor ſoluerit (, Mandans cuius nomine nocumentum datum eſt, tenebitur executori reponere totum quod ſoluit.Leſſ.loc.cit.n.46.

CAPVT IX.

De tacente, non manifestante, & non obstante ad quid teneantur?

Resp. hos omnes teneri in solidum ad restitutionem quando non impedierunt damnum quod ex officio tenebantur impedire. (dixi ex officio) quia si ex charitate tantùm tenebantur impedire, non obligantur ad restitutionem esto peccarint mortaliter, si damnum sit notabile: nisi etiã expositi ipsi fuerint periculo incõmodum aliquod magnum patiendi. sic comuniter omnes Doct. Syl. verbo rest. 3.q.6. Sot. l.4. de iust.q.7.art.3. contra Caiet. verbo rest.c.1.& alios. Hinc sequitur 1. Principes, Magistratus, Prætores, & Duces belli teneri ad restitutionem si non impediant latrocinia, furta, iniusta monopolia, cum possunt, sine notabili detrimento honoris, famæ, & aliorum bonorum.

Sequitur 2. Custodes iustum stipendium accipientes pro seruandis syluis, teneri restituere dãnum quod infertur illis scientibus, & non manifestantibus, dummodo sit notabile, nisi forte permitterent admodum pauperi, & egeno pro sua tantum graui necessitate subleuanda. idem dicendum de Custodibus domorum, vinearum, & hortorum, quibus cura commissa est domus, vineæ, vel horti.

Tertio idem extenditur ad Tutores, & Curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum, & Minorum. item testes iuridicè interrogati si

non aperiant veritatem tenentur reſtituere, modò illis non impendat periculum honoris, famæ: vel rei familiaris. Leſſ. loc. cit. n. 7. contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, vt oſtendi ſuprà tract. 1. c. 22.

Infertur 4. famulos non habentes curam domus aut alterius rei, non teneri ex officio clamare, ſi videant ſuos Conſeruos aliquid exportare è domo domini, ſecus ſi eſſent extranei, quia tunc eſſent obligati ad impediendum damnum omni modo meliori quo poſſent, quia eo fine à Domino elocantur, ſtipendia accipiunt vt fideliter ſeruiant, & dominum ab iniuriis extraneorum tueantur. ita Sot. l. 4. quæſtione 7. articulo tertio.

Quæres an Confeſſarij omittentes iniungere reſtitutionem teneantur ipſi reſtituere? *Reſp.* quod non, ſiue audiant confeſſiones ex officio vt Epiſcopi, & Parochi, ſiue ex charitate Religioſi, vt Capellani, & alij qui non gerunt curam animarum. ſic Leſſ. loc. cit. n. 78. Val. loc. cit. Aduertit tamen Azor. c. 16. q. 7. quod ſi Confeſſarius interrogatus reſpondeat aut aliter ſignificet Pœnitenti non eſſe eum obligatum ad reſtituendum, cum tamen reuera ſit obligatus, tunc tenetur Confeſſarius reſtituere ex falso conſilio. vt ſuprà diximus de conſulente.

Caput X.

Quid sit restituendum?

NOn est quod hîc multum immoremur, quia suprà satis diximus quid sit restituẽdum c.3. & cum de possessore bonæ,& malæ fidei, & infrà plura sumus dicturi Deo dante cum de restitutione in particulari.

Caput XI.

Cui debeat fieri restitutio?

Resp. cum communi sententia rem alienam siue malâ siue bonâ fide acceptam aut retentam Domino proprio si agnoscatur, esse reddendam. per proprium intelliguntut qui proprium rei dominium habent, vel vsum fructum, vel vsum, vel possessionem, quales sunt Administrator, Dispensator, Procurator, Custos, Depositarius, Commodatarius, Curator, Tutor,& omnis qui iusto titulo rei alienæ est possessor, qualis est sartor vestis conficiendæ,& lotor lauandæ vestis. sic Nau.c. 17.n.28.

Quæres 1. quando dominus est incertus, cui faciendа sit restitutio? *Resp.* 1. quod si sint plures vt tres aut quatuor, quorum vnus est dominus, res est restituenda de illorum consensu, aut sorte danda cui obtigerit, aut diuidenda inter omnes.

Resp.

Resp. 2. quod si dominus sit communitas aliqua aut maior pars communitatis, vt contingit in iis qui fraudant vel in pondere, vel in mensura, vel pretio, tunc tantum est augendum pondus vel mensura, quantum est diminutum. *Resp.* 3. quod si dominus est omnino incertus tunc facta diligenti inquisitione si non appareat quis sit dominus, debet dari pauperibus, & si ipse qui rem detinet sit pauper, potest sibi applicare aut cognatis aut amicis, si etiam ipsi sint pauperes. Azor. c. 16, Less. c. 14. n. 41. Filiuc. tract. 32. c. 4. & alij. & quando res est applicata pauperibus facta inquisitione diligenti si postea dominus comparuerit ad nihil tenetur qui illam illis distribuit, vel sibi retinuit titulo veræ paupertatis, quia censetur in vtilitatem domini restituta. sic Petrus Nau. l. 4. c. 2. n. 57. Henriq. cap. 34. de Indulg. n. 8. teste Lessio. qui tamen contrariam sequitur opinionem loc. cit. n. 44.

Vbi aduertes nomine pauperum intelligi omnia opera pia, Ecclesias, Monasteria, omnes pauperes mendicantes siue sint Religiosi, siue non. Itemque omnes qui indigent rebus ad congruam, & decentem vitæ suæ sustentationem necessariis. ita Nau. in Apol. de reditibus Eccleſiast. q. 1. admonit. 77. n. 4. & admonit. 28. n. 1. & post eum. Azor. loc. cit. qu. 3.

Quæres vtrum quando rei dominus est certus, sed tam longè distat vt ei commodè non possit fieri restitutio, ea res tutò dari queat pauperibus? *Resp.* quod sic. ita Nau. cap. 17. num. 29. Couar. ad regulam peccatum, p. 3. & alij. Idem est omnino dicendum quando res restituenda est modica, & dominus rei distat. Item quando est certus, sed nescitur vbi habitat, tunc enim si veri-

Caput X.

Quid sit restituendum?

NOn est quod hîc multum immoremur, quia suprà satis diximus quid sit restituẽdum c.3. & cum de possessore bonæ,& malæ fidei, & infrà plura sumus dicturi Deo dante cum de restitutione in particulari.

Caput XI.

Cui debeat fieri restitutio?

Resp. cum communi sententia rem alienam siue malâ siue bonâ fide acceptam aut retentam Domino proprio si agnoscatur, esse reddendam. per proprium intelliguntut qui proprium rei dominium habent, vel vsum fructum, vel vsum, vel possessionem, quales sunt Administrator, Dispensator, Procurator, Custos, Depositarius, Commodatarius, Curator, Tutor,& omnis qui iusto titulo rei alienæ est possessor, qualis est sartor vestis conficiendæ,& lotor lauandæ vestis. sic Nau.c. 17.n.28.

Quæres 1. quando dominus est incertus, cui faciendu sit restitutio? *Resp.*1. quod si sint plures vt tres aut quatuor, quorum vnus est dominus, res est restituenda de illorum consensu, aut sorte danda cui obtigerit, aut diuidenda inter omnes.

Resp.

Digitized by Google

Reſp. 2. quod ſi dominus ſit communitas aliqua aut maior pars communitatis, vt contingit in iis qui fraudant vel in pondere, vel in menſura, vel pretio, tunc tantum eſt augendum pondus vel menſura, quantum eſt diminutum. *Reſp.* 3. quod ſi dominus eſt omnino incertus tunc facta diligenti inquiſitione ſi non appareat quis ſit dominus, debet dari pauperibus, & ſi ipſe qui rem detinet ſit pauper, poteſt ſibi applicare aut cognatis aut amicis, ſi etiam ipſi ſint pauperes. Azor. c. 16, Leſſ. c. 14. n. 41. Filiuc. tract. 32. c. 4. & alij. & quando res eſt applicata pauperibus facta inquiſitione diligenti ſi poſtea dominus comparuerit ad nihil tenetur qui illam illis diſtribuit, vel ſibi retinuit titulo veræ paupertatis, quia cenſetur in vtilitatem domini reſtituta. ſic Petrus Nau. l. 4. c. 2. n. 57. Henriq. cap. 34. de Indulg. n. 8. teſte Leſſio. qui tamen contrariam ſequitur opinionem loc. cit. n. 44.

Vbi aduertes nomine pauperum intelligi omnia opera pia, Eccleſias, Monaſteria, omnes pauperes mendicantes ſiue ſint Religioſi, ſiue non. Itemque omnes qui indigent rebus ad congruam, & decentem vitæ ſuæ ſuſtentationem neceſſariis. ita Nau. in Apol. de reditibus Eccleſiaſt. q. 1. admonit. 77. n. 4. & admonit. 28. n. 1. & poſt eum. Azor. loc. cit. qu. 3.

Quæres vtrum quando rei dominus eſt certus, ſed tam longè diſtat vt ei commodè non poſſit fieri reſtitutio, ea res tutò dari queat pauperibus? *Reſp.* quod ſic. ita Nau. cap. 17. num. 29. Couar. ad regulam peccatum, p. 3. & alij. Idem eſt omnino dicendum quando res reſtituenda eſt modica, & dominus rei diſtat. Item quando eſt certus, ſed neſcitur vbi habitat, tunc enim ſi veri-

simile est non redituru̇m, sufficit rem pauperibus restituere. sic Angel. verbo restit. 2. §. 7. & 8.

CAPVT XII.

Cui debeat fieri restitutio bonorum inuentorum, & eorum quæ sunt accepta ob turpem causam; vt homicidium, sententiam iniustam, &c.

DIco 1. bona inuenta quæ nunquam habuerunt dominum, vt sunt lapilli, gemmæ, feræ, & alia id genus sunt primò occupantis. ita Doctores.

Dico 2. bona inuenta quæ aliquando dominum habuerunt, sed cum inueniuntur creduntur non habere, vt thesauri, monilia, &c. huiusmodi si arte magica, aut alia prohibita inueniantur pertinent ad fiscum post latam sententiam. Nau. c. 17. num. 175. si inueniantur bonis artibus, & locus in quo reperiuntur sit inuentoris, totum est ipsius iure communi. instit. de rerum diuisione. §. thesauros. Quod si locus est alterius dimidium est inuentoris, & dimidium Domini loci, modò casu sit inuentus. nam si de licentia Domini, & de industria, totum est inuentoris. si sine licentia, totum Domini, saltem post sententiam. nam ante in conscientia totum potest retineri ab inuentore.

Dico 3. bona inuenta quæ habent Dominum sed incertum, si facta diligenti inquisitione Do-

Digitized by Google

minus non inueniatur, aut non compareat, debent dari pauperibus. Leſſ. cap.14. num.49. probabile etiam putant nonnulli inuentorem poſſe ſibi retinere, ſi facta diligenti inquiſitione Dominus non compareat. ita Sot. l.5. de Iuſt.q.3.art. 3. ad ſecundum.

Dico 4. accepta propter turpem cauſam ſeu propter opus quod eſt peccatum opere implete, nullo iure naturali aut poſitiuo neceſſario ſunt reſtituenda: ſiue illud opus ſit contra iuſtitiam, ſiue non. id colligitur ex D. Tho.2.2. q. 32.art.7. hoc etiam docet Caiet. comment. in eumdem locum. hinc colliges 1. meretrices non obligari ad reſtitutionem pretij quod accipiunt propter vſum ſui corporis conceſſum, cuiuſcumque ſint conditionis, ſiue coniugatæ, ſiue virgines: modò pretium commune non exceſſerint. vt ſi meretrix quæ vſuram ſui ſolet concedere vno aureo, ab aliquo iuuene extorſerit quinquaginta, tanquam pretium, vel fingat ſe virginem cum non ſit, vel ſi mentiendo dicat ſe locari conſueuiſſe tantum nobiliſſimis, & ob id maius pretium exigat. in his enim caſibus tenetur ad reſtitutionem. niſi interueniat titulus liberæ donationis, vt ſolet contingere in his caſibus: item tenebitur meretrix ad reſtitutionem, ſi accipiat compenſationem turpis actus à filio familias, vel à Religioſis, aut aliis qui non habent alienandi facultatem. ita Tolet. l.9.cap.19. num. 2. & 3. & poſt eum multi alij. ſecus eſt dicendum de honeſta matrona, coniuge vel puella quæ acciperet centum aureos pro vſu corporis ab eo qui dare poterat, eos enim retinere poteſt, nam tanti, & pluris æſtimare poteſt pudicitiam ſuam.

Colliges 2. iudices accipientes pecuniam pro iniusta sententia lata, testes pro veritate celata, Aduocatos pro defensione causæ iniustæ, non teneri restituere quidquid acceperint, sed posse retinere ante sententiam Iudicis. sic Tol. loc. cit. c. 21. n. 5. ex Syl. verb. restit. 2. §. 3. & aliis apud illum. ratio est, quia pretium dátur non propter turpem actum præcisè, sed pro labore, sumptibus, vel pro periculo suscepto, vel pro pacto oneroso, & fide obligata, quæ omnia sunt pretio æstimabilia.

Colliges 3. Iudicem accipientem aliquid pro iusta sententia; teneri restituere quidquid acceperit, nisi detur instar muneris liberalis, vel pro iusto stipendio laboris quem impendit in exequendis officij sui actibus, ob bonum Reipublicæ: præsertim quando sufficiens stipendium ad sustentationem congruam non est ei æstimatum à rep. vel à principe. Idem dico de Aduocato, Procuratore, Testibus, nam Aduocatus sicut & Procurator nihil possunt accipere præcisè pro suscepta vel suscipienda causa iusta, nec Testis pro veritate aperienda. secus si pro labore aut sumptu subeundo, vel pro periculo damni quod metuit euenturum pro veritate reuelata. Less. cap. 14. dub. 8. & 9. Dixi in conclusione (opere impleto) quia ante opus impletum debet restitui. eo quod opus propter quod datur debet omitti. ita Less. loc. cit. num. 55. & latiùs cap. 18. dub. 3.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Quantum sit restituendum?

PRo regula generali dico tantum restitui debere quantum satis est ad æqualitatem, vel debiti, vel damni dati compensandam: ita vt si quãtitas damni dati vel debiti sit certa, tantumdem restitui debet: si verò sit incerta, tantũ restitui debet quantũ iudicabitur arbitrio prudentis, & boni viri, deductis impensis, quas facere potuisset dominus in re, vel conseruanda, vel acquirenda. pensatis item circunstantiis rei, loci, temporis, & personæ, vt fieri debet in restitutione famæ, honoris, homicidij, fructuum speratorum, & satorum, seminum, iurium, lucri cessantis, damni emergentis, & similium. lege, certi conditio ff. de rebus creditis. Nau. c. 17. n. 27. considerando semper commodum, & vtilitatem speratam minus valere, quando res certò non speratur, & poterat variis modis impediri: iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 22. art. 4. quæ enim actu existũt pluris valent, quã quæ in potẽtia tantum & in spe. monet etiam Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 5. habendam esse rationem iniuriæ quam Dominus patitur, per hoc quod inuitus priuetur spe suâ, & re quam habet in potentia, vt ea etiam iniuria ipsi compensetur.

CAPVT XIV.

Quando sit restituendum?

DIco 1. quicumque rem alienam habet, debet esse animo paratus ad restitutionem faciendam statim atque commodè poterit. quoad executionem verò debet restituere quando commodè potest, nisi fuerit è conuentione aliqua tempus restitutioni destinatum. Cum autem dicitur (restitutionem statim fieri debere quando cõmodè potest) telligitur consideratis omnibus circumstantiis rectæ rationis: nec enim statim è lecto surgere, vel inchoatam lectionem Missam, vel mensam, & alia huiusmodi debet relinquere vt statim quis restituat. Az. c. 34. Val. disp. 5. q. 6. punct. 7.

Dico 2. qui nonnisi per partes vult restituere cũ possit totam summam commodè reddere, non satisfacit, nec absolui potest. ita Fil. c. 4. n. 117. Nau. & Az. loc. cit. & alij. si tamen ex mora debitoris nullum vel paruum detrimentum incurreret creditor ex eo quod debitor, numquam restituet aliter quam per partes, tunc potest absolui iuxta mentem Angeli & Hostien. quod si pluries promiserit se facturũ restitutionem non debet absolui si cõmodè restituere queat. Quod idem dicendum de eo qui habet animum non restituendi in vita, sed solùm in periculo seu articulo mortis. sic D. Ant. part. 2. tit. 2. c. 1. §. 15. Sot. l. 4. de iust. q. 7. art. 4. similiter non est absoluendus qui dicit se in testamẽto relinquere, vt hæres quamprimùm restituat: cum tamen

morti sit ipse vicinus,& commodè restituere statim possit. ita Nau.c.17. n.67. aliquando tamen ex circunstantiis personæ poterit contingere,vt in testamento sufficiat relinquere restitutionem. Ang. verbo rest.3. art.2. Syl.eodem verbo.

CAPVT XV.

Vbi sit facienda restitutio?

TRes afferuntur regulæ ex quibus generatim colligi potest quo in loco facienda sit restitutio.quarum

Prima est, quando bonâ fide aliena res possidetur,& solum ratione rei alienæ restitutio est debita, tunc restitutio est facienda in eo loco vbi est res. nec enim possessor bonæ fidei damnum pati debet, vnde nec obligatur mittere rem ad locum vbi est Dominus. & si mittat debet creditor satisfacere expensis. ita communiter omnes Doct.

Secunda regula, quando restitutio facienda est ratione delicti,vel ratione iniustę acceptionis,tunc restitutio est facienda in eo loco vbi est Dominus rei,licet res sit alibi. quia Dominus rei debet indēnis seruari,nec est ratio cur damnum patiatur in re sua ex alio loco deferenda vbi ipse est, sed totum huiusmodi damnum debet pati is qui accepit vel possidet eam: vnde colliges malę fidei possessorem debere rem reddere suis expensis,quantumuis magnæ sint futuræ, si tamen rei Dominus ante acceptionem erat eam secum transportaturus,& in asportanda re,esset expensas facturus,fur non est cōdemnandus ad restitutionem rei,cum tantis impē-

sis quantas fuerat Dominus facturus, si autem Dominus rem suam erat asportaturus cum nullis aut paruis expensis, tunc condemnandus esset fur vt mittat rem ad locum suis expensis, poterit tamen deducere eas quas alioqui facturus erat Dñs, siue paruas, siue minores. Syl. verb. rest. 4. q. 4.

Præterea addit Couar. quod si creditor seu Dñs rei de loco migrauit, & non erat secum rem sibi sublatam asportaturus, sed venditurus in eo loco vnde est accepta, tunc in conscientia iniustum detentorem minimè obligari rem mittere suis expensis, ad eum locũ in quem se transtulit Dñs rei, sed satis est vt restituat in eo loco vnde accepta est, certiore facto Dño rei quod ibi est res eius vt eã recuperet.

Notat præterea Less. c. 15. n. 5. quod si res nõ possit sine magnis impensis restitui, posse differri restitutionẽ, modo Dñs nihil vel parum inde detrimenti capiat. & idem dicendum si spes sit vt aliquando restituatur sine tanto sumptu. & si res sit tam parui momenti, vt sine duplo vel triplo sumptu restitui nequeat, probabile est pauperib. dari posse: præsumi enim potest Dño id nõ displicere. Tol. c. 14. l. 5 n. 7.

3. Regula, quando ex contractu inito inter partes res debet restitui in certo loco de quo est conuentum, tunc restitutio est facienda in loco de quo est conuentum, quia assignatus est locus de communi consensu contrahentium.

Quæres 1. an restitutio fieri possit per alium? *Resp.* quod sic.

Quæres 2. quid faciendum quando debitor commisit personæ fideli, & securæ rem restituendam, sed postea accidit vt illa persona non reddat, sed aufugiat: Manetne tunc debitor liber à restitutione? *Resp.* 1. quod si res huiusmodi sit restitu-

tioni obnoxia, quia commodata, depoſita, vel pignorata, tunc ſi pereat in manibus internuncij, perire Domino ſuo, quia res illius erat quoad dominium. *Reſp.* 2. ſi res huiuſmodi reſtituenda ſit ex mutuo vel ex venditione; tunc perire in damnum debitoris quocumque modo pereat, ſiue caſu fortuito, ſiue ex malicia nuncij infidelis quia ad eum ſpectat dominium rei. Quod idem dicendum quando res debita eſt ex delicto. leg. Tol. l. 5. c. 34. Az. c. 33. Med. in cap. de rebus reſtituendis, q. 2. verſ. ad id.

CAPVT XVI.

Quomodo ſit reſtituendum?

RESp. 1. debita ex occulto crimine prouenientia etiam occultè reſtituenda eſſe per aliquē tertium, ne temerè alioqui diffametur perſona. ſic Caiet. verbo reſt. c. 7. debita verò publica ſunt publicè reſtituenda. ſic vſurarius publicus publicè reſtituere debet, vt ſic tollatur ſcandalum cuius occaſio fuit.

Reſp. 2. eum qui propter incertitudinem creditorum debet reſtituere pauperibus, id poſſe facere abſque opera Epiſcopi vel Confeſſarij. Val. loco cit. p. 9.

Reſp. 3. bona inferioris ordinis non deberè reſtitui cum graui detrimento bonorum ſuperioris ordinis. ſic non ſunt reſtituenda bona forunæ, vt opes, diuitię, cum diſpendio famæ, vel honoris. nec fama, vel honor cum periculo libertatis, ſalutis & vitæ: ita communiter omnes Doctores.

CAPVT XVII.

Quo ordine ſit reſtituendum?

DIco 1. quando debitor habet ſufficienter vnde ſatisfaciat omnibus creditoribus, nõ opus eſt aliquo certo ordine in reſtituendo, ſed arbitratu ſuo poteſt debitor cui voluerit priùs ſoluere. quia nullus creditor tunc fraudabitur. ſic omnes Doctores.

Dico 2. debita certa, & quæ adhuc extant ſunt prius reſtituenda quam incerta.

Dico 3. debita certa quorum Dominus eſt certus, ſunt etiam priùs reſtituenda quam ea quorum Dominus eſt incertus.

Dico 4. debita contracta ex licito contractu ſunt priùs reſtituenda, quam quæ ex illicito, & ex delicto. Item debita contracta ex grauiori delicto priùs ſunt reſtituenda quam quæ ex minori. vt ait Med.q. 2. de reſt. dub.5. legend. Leſſ.c.15 n.21. & ſequentibus. Tol.l.5.c.25. Val.loc. cit. p.10. Filiuc. cap.6. Az. part.3. lib. 4. cap.36. & alij permulti.

CAPVT XVIII.

De cauſis excuſantibus à reſtitutione.

VAriæ ſunt cauſæ excuſantes à reſtitutione, vel ſtatim, vel ex parte, vel in totum. quindecim numerantur à Val.loc.cit. p.7. quarum præcipuas hîc enumerabimus nonnullis omiſſis.

Digitized by Google

1. Eſt ignorantia probabilis ſeu inuincibilis quod res ſit aliena, & non propria. Nau. cap. 17. num. 28.

2. Eſt dubium an res ſit aliena, vel propria poſt adhibitam diligentiam conuenientem ad id indagandum. nam in dubio melior eſt cõditio poſſidentis, & ita poteſt quis retinere rem licitè quandiu dubitat.

3. Eſt inopia, cum quis non habet vnde reſtituat, nec aliunde probabiliter poteſt commodè acquirere, nam is moraliter cenſetur impotens, & tunc dominus non debet eſſe rationabiliter inuitus ſi non fiat illi reſtitutio. addidi (neque aliunde probabiliter, & commodè poteſt acquirere) nam ſi poſtea commodè & probabiliter poſſit acquirere vt labore, induſtria, vel arte aliqua tenebitur ad reſtitutionem.

4. cauſa eſt neceſſitas, cum ſcilicet quis etſi habeat vnde reſtituat, tamen eo indiget ad ſubleuãdam ſuam neceſſitatem, vel extremam, vel etiam grauem: vt conſeruet decentiam honeſti ſui ſtatus. de qua cauſa latiùs dicemus cap. ſequenti.

5. cauſa eſt damnum graue quod debitor incurreret in rebus proprijs ex ipſa reſtitutione, dũmodo tamen creditor æquale damnum in aliis rebus propriis non incurrat. tunc damnum graue incurreret debitor in rebus propriis quando de ſuo aliquid magnum deberet amittere vt vitam, libertatem, ſalutem animi, incolumitatem, inſtrumenta artis famam, honorem. Itemque ſi poſſeſſiones cogeretur vendere vili pretio, vt haberet vnde reſtituat, non autem hoc eſt intelligendum de damno quod debitor pateretur ex eo quod priuandus eſſet magna ſumma ſi eam reſtituat, aut

magno lucro quod poterat facere cum magna ſumma pecuniæ alienæ. iſta enim non ſunt grauia damna in propriis. & ſic ſentiunt Nauar. c. 17. n. 59. Leſſ. c. 16. n. 24. Caiet. & alij.

6. cauſa eſt compenſatio facta creditori per æquiualens aliquod commodum eidem ipſi creditori collatum. Tol l. 5. c. 26.

7. Compenſatio itidem facta creditori ſoluendo tantumdem non ipſi, ſed alteri de conſenſu creditoris. Ita vt primus creditor liber ab obligatione reſtituendi ſuo illi creditori maneat.

8. Cauſa eſt præſcriptio rei legitimæ, hoc eſt talis qualis debet eſſe ſecundum Canones, ad quam reuocatur vſucapio, de qua infra.

9. Cauſa eſt condonatio ſeu remiſſio debiti liberè facta à creditore, per ſe aut per alios rogante debitore: aut etiam eo non rogante, modo ea remiſſio fiat ab eo qui donare poſſit, & ſpontanea planè ſit, neque vlla ſit circumſtantia quæ arguat coactè creditorem remittere abſque voluntate transferendi dominium, ſed ſolùm animo non repetendi propter metum, aut reuerentiam. ita Tol. loco cit. cap. 26. Caiet. in 2. 2. q. 22. art. 6.

10. Cauſa eſt damnum ſpirituale, aut corporale quod incurreret creditor ſi ei tali tempore, vel loco reſtitutio fiat. Sic furioſo non eſt reddendus gladius, ne ſe vel alios occîdat, nec reſtituenda pecunia ei qui illa ad aliqua facinora in perniciem Reip. aut aliorum, aut ſuam abuſurus eſt Nau. c. 17. n. 62. & 63.

11. Cauſa eſt deperditio ſeu interitus rei alienæ ſine culpa, & mora eius qui eam apud ſe habebat, & debebat determinatè illam eamdem numero reſtituere. ſic non tenetur reſtituere bonæ fidei

Poſſeſſor, nec Depoſitarius, aut Commodatarius, malæ fidei autem Poſſeſſor tenetur, quia ſemper eſt in mora · niſi fortè res eſſet eodem modo peritura apud Dominum, vt dictum eſt ſuprà, & notauit Nau.c.17.n.8.

Quæres vtrum qui ingreſſus eſt Religionem liberetur à reſtitutione? *Reſp.* 1. quod ſi ingrediendo Religionem erat impotens ad ſoluendum, nec erat ſpes quòd facilé poſſet breui tempore, & conſuetis laboribus ſatisfacere creditoribus, eſt liber à reſtitutione. quòd ſi breui tempore ſperat ſe ſatisfacturum, quia vel habet bona in potentia proximá, vel ſuâ arte ſperat ſe habiturum intrà paucos annos, non debet ingredi Religionem: & ſi ingrediatur & profiteatur, peccat, quamuis profeſſio valeat, nec poſſit reuerti ad ſæculum. ita D.Tho. loc.cit.q.vlt.art.6.Nauar.l.4. c.4.n.94.& 95. ponamus igitur quod ſit ingreſſus cum debitis quibus ſatisfacere poterat, quid iuris erit nunquid tenebitur laborare, vt ſoluat? *Reſp.* tunc probabilem eſſe ſententiam Medinæ q. 3. cauſa. 8. docentis eum qui ingreditur Religionem debitis non ſolutis cũ poſſit, & labore ſuo, vel arte ſi quam nouit debere conari ſoluere. legend. Leſſ.c.16.dub.8. per totam. contrariam ſententiam tuetur Syl.verbo Religio 2.q.4.

Quæres 2. vtrum ceſſio bonorum liberet à reſtitutione? *Reſp.* quod in foro conſcientiæ nõ magis excuſat, quàm neceſſitas ſine ceſſione. Nauar. c.17.n.86. ſed tamen prodeſt in foro externo adhoc vt non conijciatur in carcerem qui bonis ombus ceſſit, & ne ſi poſt ceſſionem aliquid acquirat, ei poſſit auferri, quando eſt neceſſarium ad ſuam, vel ſuorum ſuſtentationem.

Quæres 3. vtrum qui ceſſit bonis teneatur ſe ſpoliare neceſſariis alimentis ita vt cogatur mendicare, an verò poſſit retinere quæ ſunt ſibi neceſſaria, ſpectatâ ſuâ & eorũ quos alere tenetur conditione? *Reſp* non teneri mendicare, ſed poſſe ſibi & aliis quos alere tenetur retinere neceſſaria, quod etiam verum eſt ſi debeat ex delicto. quamuis ſi delictum eſſet notorium non tantum retinere poſſit quantum ſi ex contractu deberet, & caſu aliquo in grande infortunium incidiſſet. Nau. loco cit. Leſſ. dub. 3. n. 42. & ſequentibus.

CAPVT XIX.

Quæ neceſſitas excuſet à reſtitutione?

NEceſſitas eſt niultiplex, eſt enim neceſſitas vitæ, alia famæ, alia libertatis, alia rei ſeu bonorum, & alia ſtatus ſeu conditionis. hoc poſito.

Dico 1, neminem teneri cum periculo famæ, vitæ, honoris, & libertatis, reſtituere bona fortunæ, eſto res reſtituenda ſit magni momenti, vt Ducatus, Regnum, Imperium, Marchionatus, &c. & hæreditas ſit deuoluenda ad ſpurium, ſiue illegitimum. ita Cajet. 2. 2. qu. 63. art. 2. Nau. c. 17. nu. 98. Az. loc. cit. c. 39. diff. 4. quia res inferioris ordinis non debent reſtitui cum detrimento rerum ſuperioris ordinis. nec refert quod perſona infamanda, aut vitâ priuanda per reſtitutionem, ſit vilis & infimæ ſortis: nam ad hoc non tenetur. Tol. lib. 5. cap. 27.

Dico 2. quando debitor, & creditor ſimul in

extremam necessitatem deuenerunt, potest debitor sibi retinere debitum, nec tunc temporis obligatur restituere, sed excusabitur quandiu durabit necessitas. si tamen ad pinguiorem venerit fortunã tunc tenebitur. Val. l. cit. punct. 7. restituere. Aliter est dicendum de eo qui in extremam deiectus necessitatem aliquid ab aliquo abstulit, vt sibi succurreret: Is enim non tenetur restituere etiam transacta necessitate. quia in extrema necessitate omnia sunt communia iure naturæ. ita Syl. verbo furtum q. 5. & Angel. eod. verbo. q. 37. & alij.

Dico 3. si Parentes Debitoris, vxor, filij, & fratres, sint in extrema necessitate, possunt præferri creditori etiam in extrema necessitate constituto. ita Less. c. 16. n. 14.

Dico 4. Grauis necessitas propria, vel proximi excusat etiam à restitutione quandiu durat, nisi creditor sit in pari necessitate. nam tunc est illi restituendum, cum in pari necessitate (præter extremam) conditio creditoris sit potior. Less. loc. cit. n. 15.

Idem dicendum si debitor ex restitutione pateretur notabilem iacturam sui status, & familiæ: vt si vir nobilis, vel diues ex restitutione statim facta, cogeretur se priuare omni famulorũ, & equorum obsequio. & hoc est verum non solùm quando status est iustè acquisitus, sed etiam quando ex delicto: dummodo tamen debitor passim habeatur vt probus & honestus, & non possit statum suum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet: tunc enim posset restituere sensim, & per partes, cum periculum infamiæ excusaret eum à restitutione statim facienda. ita Nau. c. 17. n. 63. Less. loc. cit. n. 26. & 29. In hoc tamen casu non est licitum debi-

tori expendere & viuere, ſicut eſt licitum alteri ſimilis ſtatus viro ære alieno minimè oppreſſo, ſed tantùm debet expendere ea quæ ſunt præcisè neceſſaria ad ſtatum conuenientem, & parce viuere intra ſui ſtatus limites, vt creditori paulatim ſatisfaciat, ſi poteſt. vt notat Az. loc. cit. ex Syl. & Armilla.

Atque hinc colliges 1. debitorem non teneri ex mendicato viuere, aut artificio & labore ſibi & familiæ victum quærere, ſi ex mendicato, labore, aut artificio viuere ſit illi ignominioſum, aut contra ſtatum ſeu conditionem eius: ſecus ſi infimæ ſortis homo eſſet, & ex mendicato viuere alioqui conſueuerat. non tenetur etiam debitor vendere inſtrumenta ſuæ artis, quibus ſibi & familiæ victū pro ratione ſui ſtatus, & conditionis congruentem comparat.

Colliges 2. vxores & filios quorum mariti, & parentes ſiue culpa ſua, ſiue aliquo infortunio ad magnam penuriam ſunt redacti, ſi poſt mortem inueniantur non eſſe ſoluendo, poſſe ex bonis relictis, tantùm ſubtrahſtere & occultare, quantum ſatis eſt ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, & mediocrem ſtatus ſeu conditionis conſeruationem. imò licet in iudicium vocati, compellerentur ſub iuramento aperire ſi nihil abſtulerint ex bonis maritorum, vel parentum, tamen non tenerentur in conſcientia veritatem dicere, ſed poſſent dicere ſe nihil omninò occultaſſe (ſupple) quod non ſit ipſis debitum, & neceſſarium ad vitæ, ſeu ſtatus conſeruationem. imo amplius dico, nec etiam obligarentur ſe ipſos manifeſtare vi & virtute quarumcumq; excommunicationum: quia rem alienam iniuſtè non retinent, & ſicut ſubſtrahendo quæ ſunt neceſſaria

ceſſaria ad congruentem ſtatum non peccent, ita neque peccant, aut incurrunt excommunicationem non reuelando. hæc P. Bauny c. 11. l. 1. de cauſis excuſantibus à reſt. cauſa 5.

Addo præterea ex ſententia plurium Doctorum, filium ſuccedentem patri, auo, vel matri in bonis acquiſitis per vſuram, ſiue per alios contractus illicitos, vel delictum, non teneri reſtituere cum graui detrimento ſui ſtatus: ſiue bonâ fide adeat hæreditatem, ignorans ea bona eſſe iniuſtè acquiſita: & in hoc conſentiunt Sotus, Caiet. & alij. ſiue malâ fide, ſciens ea bona eſſe iniuſtè acquiſita. & huic ſententiæ fauent Scot. in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 4. Ang. verbo reſtit. 3. numero 4. Nauar. cap. 17. num. 62. eamque probabilem indicat Azor. loco cit. ſi tamen delictum eſt notorium, non tantum retinere poteſt quantum alius debitor, qui ex contractu licito, vel ex delicto occulto, in graue infortunium incidiſſet. Leſſ. num. 42.

Cenſetur vero grauis neceſſitas morbus, periculum famis, nuditatis, & ſimilis mali. grauis vero iactura cenſetur ſi v. g. vir nobilis cogeretur dimittere omnes equos, & famulos, vir diues cogeretur exercere artem mechanicam.

CAPVT XX.

De præscriptione, & vsucapione quomodò excusent à restitutione.

COmmunis omnium Doctorum tam Theologorum quàm Canonistarũ, & Iurisconsultorũ sententia est, præscriptionẽ & vsucapionẽ esse iustos titulos acquirendi rerum aliquarũ dominium: atque ideo qui his titulis aliquid possident non tenentur restituere. ad quod requiruntur aliquæ cõditiones quas, præmissâ definitione vtriusque nominis breuiter hîc subiiciemus.

Præscriptio itaque est acquisitio dominij rerum immobilium bonâ fide, & iusto titulo, per continuationem possessionis, tempore à lege definito.

Vsucapio verò est acquisitio dominij rerum mobilium bonâ fide, & iusto titulo, per continuationem possessionis, tẽpore à lege præscripto. ex quibus definitionibus patet præscriptionem in eo distingui ab vsucapione, quòd præscriptio versetur circa res immobiles, domum, agrum, &c. vsucapio verò circa res mobiles, & vsu ipso consumptibiles, equum, pecuniam, vestem, &c. & vt aliquid acquiratur per præscriptionem vel vsucapionem,

Primò necessarium est, vt res ipsa per se sit præscriptibilis: multa enim sunt quæ iure præscribi nõ possunt. nam homo liber, ius decimarum, aut aliæ res sacræ à laicis præscribi non possunt. Item nec tributa debita Principi, nec res furto ablatæ, nec

illæ quæ malâ fide tenentur, nec res vi poſſeſſæ, & multa alia. de quibus Syl. verb. præſcrip. 2. n. 2. & ſequent. Tol. l. 5. c. 26.

Secunda conditio eſt vt res actu poſsideatur ab eo qui præſcripturus eſt, nam ſine poſſeſsione non præſcribitur, neque vſucapitur. vt patet tùm ex regula iuris, tùm ex leg. ſine poſſeſsione de vſucapione.

Tertia conditio, vt res poſsideatur iuſto titulo; eſt autem iuſtus titulus, qui transfert rei dominiũ in perpetuum: vt titulus hæreditatis, emptionis, vel donationis legitimæ. ex cuius conditionis defectu, qui rem poſsidet per furtum, rapinam, vſuram, aut alium iniuſtum titulum, nunquam præſcribit. item mutuum non præſcribitur, quia non transfertur dominium eius in perpetuum, ſed ad certum tempus. Tol. loc. cit.

Quarta conditio eſt, vt res poſsideatur bonâ fide ſeu bonâ conſcientiâ. bona autem conſcientia eſt, cum quis [non modò iuſto titulo rem acquiſiuit, initio contractus, ſed etiam poſtea illam tanquam ſuam poſsidet, neſciens eſſe alienam. patet ex cap. poſſeſſor de regul. iuris, & ex cap. vigilanti, & cap. ſi diligenti, extr. de præſcriptionibus. vbi aduertes dubitationem ſitne res tua, vel alterius, non impedire præſcriptionem. ita Medina q. 17. de rebus reſtituendis. Panormit. cap. vltimo de præſcriptionibus, & alij permulti.

Quinta conditio eſt, vt tanto tempore duret poſſeſsio rei cum iuſto titulo, & bonâ fide, quanto ex legum præſcripto pro rerum ipſarum varietate, neceſſe eſt. Itaque bona immobilia laicorum præſcribuntur ſpatio triginta annorum, Eccleſiaſticorum quadraginta, & bona Eccleſiæ Romanæ centum;

bona vero mobilia ſpatio trium annorum. ita communiter omnes Doctores. vbi notabis hæredes furis, raptoris, vel vſurarij ſi bonâ fide adeant hęreditarem poſſe præſcribere ſicut alij, modo poſsideant actu hæreditatem bonâ fide, ſpatio temporis legibus definito. ita Val. diſp. 5. q. 6. p. 5.

Sexta conditio eſt, vt bona fides nunquam interrumpatur in prædictis temporum ſpatiis. vt patet cap. illud autem, & cap. quoniam omne, extra de præſcriptionibus. hæ ſunt igitur conditiones ad præſcriptionem & vſucapionem neceſſariæ, quæ ſi omnes adſint, legitima erit præſcriptio & vſucapio, neque res per eas acquiſitæ erunt reſtituendæ: quod ſi aliqua defuerit, inualida erit præſcriptio & vſucapio, ideoque erit reſtituendum quidquid per eas acquiſitum fuerit: vt autem eas memoriæ facile mandare queas, ſummatim omnes ſimul complectemur: ad pręſcriptionem, vel vſucapionem requiritur vt res ſit præſcriptibilis, actu poſsideatur, iuſto titulo, & bonâ fide, nunquam interrupta, toto illo temporis ſpatio, per leges, & canones præfinito. & hæc ſatis de reſtitutione in commun. qui plura voluerit legat. Leſſ. Filiuc. Sotum, Bonac. & alios pene innumeros cum agunt de hac materia.

TRACTATVS DECIMVS, DE RESTITVTIONE IN PARTICVLARI.

CAPVT I.

De reſtitutione ex peccatis, contra bona alterius ſpiritualia.

DIco 1. eum qui vi, mendacio, dolo, fraude, metu, vel minis, aliquem læſit in bonis animæ, inducendo ad peccatum, vel hæreſis, vel aliud, teneri retractare id quod mentiendo conſuluit, eum monendo, & veritatem aperiendo. Item tenetur vim tollere ſi quam intulit, item omnem fraudem, dolum, & mendacium diſſoluere, ſi ſuo conſilio dolosè decepit. Item metum auertere ſi quem incuſſit, & minas ſi quas adhibuit, quia

hæc omnia ſunt contra iuſtitiam. ſi verò precibus & pollicitationibus aliquem induxit ad peccandũ abſque vi, vel fraude, vel mendacio, licet peccauerit mortaliter contra charitatem, non tenetur tamen reſtituere aliquid: quia nihil peccauit contra iuſtitiam. vnde ſi peccatum ad quod ſuo conſilio induxit nondum ſit perpetratum, non tenetur lege iuſtitiæ eum monere ne peccet, ſed tantùm lege charitatis. Tol. l. 5. c. 19. Syl. verbo reſtit. 3. n. 1. Sot. 4. de iuſt. q. 6, art. 3. & alij.

Dico 2. qui ſolis precibus, vel pollicitationibus, vel odio, aut ira auertit aliquem ab ingreſſu Religionis in quam ingredi volebat, aut nouitium aut profeſſum, nullam tenetur facere reſtitutionem illi Religioni. de ingreſſuro & nouitio. ita ſentit Sotus loco cit. de profeſſo verò ſic loquitur Toletus, loc. cit. ad quid ergo tenetur qui modo prædicto aliquem extrahit à religione? *Reſp.* ex vi præcepti correctionis fraternæ, ſolùm teneri ad eum reducendum in priſtinum ſtatum.

Dico 3. qui vi, metu, dolo, vel fraude, aut mendaciis abducit Nouitium à Religione, vel impedit aliquem ne ingrediatur, non ſolùm tenetur vim, metum, vel fraudem auferre: ſed etiam tenetur reſtituere Religioni emolumenta quæ alioqui erat ex nouitio, vel ingreſſuro perceptura, quia eſt peccatum contra iuſtitiam. ſic Azor. p. 3. l. 5. c. 2. quod idem dicendum à fortiori de eo qui extrahit profeſſũ à Religione vi fraude, vel metu. ita Tol. & Sot. locis cit. non tamen tenetur talis auertens à Religione, ſeipſum Religioni tradere, aut alium ſubſtituere. ita Doctores cit.

Quod idem dicendum de eo qui aliquem impedit vi, dolo, vel fraude à conſequutione beneficij,

vel ne teſtamento hæres relinquatur, qui alioqui beneficium habiturus erat, vel hæres relinquendus. vnde ſi Epiſcopus firmiter decreuerit dare alicui beneficium ad quod accepturus, habebat certum ius, ſiue perfectum (quod vocant) ius in re, ſiue imperfectum (quod vocant) ius ad rem, & alius impedit detegendo crimen eius omnino occultũ, vel falſum teſtimonium ei imponendo, vel illum cogendo, aut decipiendo ne compareat, tenetur ei reſtituere omnem valorem beneficij, licet actu nõ haberet: quod ſi ius ad beneficium erat tantum probabile, & in ſpe, ceſſante impedimento, nihil tenetur reſtituere. ita Tol. loc. cit. n. 5. poſt Sotum loc. etiam cit. Idem dicendum ſi tantum ſolis precibus, promiſsis, vel odio id impediat.

CAPVT II.

De reſtitutione famæ, & honoris.

PRo ſolutione omnium dubiorum quæ de hac materia tractantur à Doctoribus aſsignamus hanc regulam generalẽ, qua facile quis cognoſcere poterit, quandonam ſit reſtitutio facienda pro famæ ablatione.

Quicumque contra iuſtitiam verè famam alicui abſtulit per detractionem, & infamiam, tenetur ex conſcientia ad famæ reſtitutionem, ſi is cui eſt detracta eam nondum recuperauerit. hinc

Primò ſequitur eum qui per detractionem nihil nocuit famæ alterius, etiam ſi animo nocendi detraxerit, ad nihil teneri. vt ſi quis de aulico dicat ad duellum cum alio deſcendiſſe, de publica mere-

trice quod lenoneni ad corrumpendam puellam miserit: quia huiusmodi personæ pro nihilo habent huiusmodi peccata. Idem dicendum quando detractio est de re leui, vel quando detractor non est fide dignus, quando aliquis iuridicè accusat malefactorem, vel seruato ordine euangelico duos, vel tres testes adhibet ad correptionem fraternam faciendam: vel alicui detegit improbitatem alterius, ne eam in coniugem accipiat, vel consulens, amico criminosum aut infidelem seruū manifestat, ne eum admittat in suum obsequium, aut ne nimium ei fidat. ita communiter omnes Doctores.

Sequitur 2. eum qui crimen occultum refert viro prudenti amico, & fideli absque animo detrahendi, licet ex leuitate, & loquacitate, non teneri ad restitutionem, nec peccare mortaliter: modo vir ille prudens apud se retineat crimen illud nec vlli patefaciat. sic sentit Caiet. & Cordubensis in annotationibns super Sotum de ratione tegendi, vel detegendi secretum. Idem dicendum de eo qui consilij capiendi gratia vt sibi caueat vel alteri crimen occultum alterius detegit, vel qui inter confitendum peccata alterius imprudenter & inconsideratè aperit. ita Caiet. in 2. 2. quæst. 23. art. 3

Sequitur 3. eum qui detraxit non teneri restituere, quando is cui famam abstulerat recuperauit eam, vel ij apud quos detraxerat obliti sunt criminis detecti. ita sentiunt Sotus loc. cit. Nau. c. 18. n. 47. & alij qui etiam addunt quod quando multum temporis est elapsum non esse obligationem restituendi: si crimen detectum semel tantum fuit relatum, nec est de eorum munero quæ audita cō-

muniter ſolent firmiter memoriæ inhærere, nec etiam tenetur eos interrogare an recordentur eorum quæ olim ipſis narrauit.

Sequitur 4. eum qui famã abſtulit alteri falſum crimen ei imponendo, teneri ad retractandũ dictũ ſuum, dicendo coram ijs apud quos falſum crimen reuelauit ſe eſſe mentitum ſiue falſum dixiſſe, etiam adhibito iuramento ſi opus ſit ad fidem faciendã, ſi tamen ij in quorum præſentia crimen falſum impoſuit, aliis propalauerunt, non tenetur primus ipſe detractor coram illis ſe retractare niſi ipſe cauſa fuerit, vt aliis crimen referretur.

Quæres quomodo reſtituere debet famam qui eam abſtulit, verum quidem crimen detegendo, ſed occultum? *Reſp.* debere laudare virtutes, & cætera bene facta eius cui detraxit, ita vt quotieſcumque ei commoda occaſio fuerit oblata, laudet & commendet eum cui eſt detractum.

Quæres 2. an qui refert peccata alicuius audita abſque aſſeueratione teneatur ad aliquam reſtitutionem? *Reſp.* quod non, ita Nau. c. 18. n. 47. &alij. modo ita referat vt nihil addat vel augeat, ſiue ſua authoritate confirmet quæ audiuit: idem dicendũ de eo qui occultum crimen alicuius detexit, ſed poſtea accidit, vt manifeſtetur omnibus tunc liberabitur detractor à reſtitutione.

Quæres 3. an quis teneatur cum periculo vitæ famam ablatam alteri reddere? *Reſp.* quod ſic, quãdo is cuius peccatum reuelauit, vel falſum impoſuit, exponitur etiam periculo mortis, quod ſi non exponitur periculo mortis, non tenetur cum eodẽ periculo ſe retractare, nec etiam cum periculo mutilationis aut amputationis membri corporalis, etiam ſi perſona infamata ſit illuſtris valde. ita

sentit Caiet. 2. 2. q. 62. art. 2. Tol. loc.cit.c.70. n.2.Nauar. c.17.n.8. & 9. & c.18.n.47. quia vita longè est pretiosior omnibus aliis bonis. est præterea sciendum eum qui famam abstulit debere cũ periculo famæ propriæ eam reparare, nisi infamator esset persona quædam publica, & illustris aut magni momenti, & infamatus, persona mediocris conditionis, quia tunc non teneretur restituere famam, licet iniustè ablatam, tenebitur tamen sicut & quiuis alius infamator compensare omnia damna quæ quis passus est in bonis temporalibus ex famæ ablatione, vt si ob infamiam beneficio priuatus fuit, hæreditate, & aliis. Tolet. loc.cit.c.69.n. 3.& cap.70 nu.1. dicto 2. post Scotum in 4. dist. 15.

Quæres 4 an qui mutuò se infamarunt excusentur ab obligatione restituendi sibi inuicem famam per compensationem? *Resp.* quod sic, cum infamia est æqualis: si tamen vnus vult alteri famam reddere, alius etiã tenetur vicissim restituere, quod si nolit non etiam tenetur alius.

Quæres 5. an si infamatus remittat obligationem restituendi liberetur detractor à restitutione? *Resp.* quod sic, dummodo fama sit ita propria, vt non cedat in alterius infamiam, sæpe enim accidit, vt fama nostra sit fama aliorum quibus præsumus, vel cum quibus degimus v. g. infamia Prælati, vel Religiosi alicuius ordinis sæpe cedit in detrimentum Ecclesiæ, vel Ordinis Regularis. hinc patet quid sit respondendum ad quæstionem qua quæritur vtrũm qui se infamauit teneatur dictum suum retractare, vt si quis accusatus per falsos testes vi tormentorum, aut metu mortis crimen impositum confessus est? ad hoc enim *Resp.* teneri 1.

ſe retractare quando detrimentum vergit non ſolum in ſui dedecus, ſed etiam aliorum. 2. quando vi tormentorum ſibi falſum crimen impoſuit, tenetur retractare, ſi iterum extra tormenta, & liber ab omni metu interrogetur. 3. ſi retractando crimen impoſitum ſibi liberandus ſit à morte cui adiudicatus eſt, tenetur reuocare, etiamſi non interrogetur, non obligatur autem, ſi non ſit ſpes euadendi nec interrogetur, ſicut nec quando dictum ſuum redundat in detrimentum ſolius ſuæ famæ propriæ. ita Sotus de iuſt. q. 10. art. 2. & l. 4. q. 2. art. 3.

Quæres 6. quid dicendum de teſte qui falsò aliquem in iudicio infamauit tenetur ne dictum ſuũ reuocare etiam ſi ſciat nihil profuturũ? *Reſp.* quod ſic.

Quæres 7. quid dicendum de Reo qui accuſatus de vero crimine, negat ſe illud commiſiſſe, & negando infamat accuſatorem? *Reſp.* quod ſi ſit iuridicè interrogatus, ita vt crimen probari poſſit, eum teneri reſtituere ſi neget quia verè infamat: quòd ſi crimen probari non poſſit, non tenetur reſtituere quamuis peccet mendacium dicendo, & mortaliter ſi ſit periurus. Toletus loc. cit. c. 69.

Quæres 8. an teneatur reſtituere aliquid qui infamatum in vno loco, in alio infamat? *Reſp.* 1. ad nihil teneri quando alius infamatus eſt iudicis authoritate propter delictum in iudicio probatũ. *Reſp.* 2. quando fama non eſt ſublata iudicis authoritate, ſed tantum per euidentiam facti, & manifeſtationem publicam, non eſt etiam peccatum infamatum in vno loco in alio manifeſtare, & infamare, ſi propter loci vicinitatem probabiliter infamia diuulganda credatur, ſi autem loca non ſint

adeo vicina, vt infamia ex vno in alium minimè sit peruentura, tunc obligatio est restituendi famam. quia in eo loco vbi nihil scitur, & difficilè admodum, & vix sciri potest, famam suam retinet. Tol. loc. cit. c. 65. n. 6. concl. 4. Idem dicendum si infamatus siue per crimen publicum, siue per sententiam iudicis iam famam suam recuperauit: nisi fortè hoc vergeret vel in detrimentum spirituale, aut corporale alterius, vel in iacturam Reip. aut Ecclesiæ alicuius, vt si inhabilis quispiam esset beneficium, aut officium consequuturus, si ignarus Medicæ artis vellet Medicinam exercere, vel periculum esset ne hæreticus ignotus in loco vbi est, alios peruerteret. Non desunt tamen qui asserunt absolutè nullum esse peccatum siue contra charitatem, siue contra iustitiam detegere nouum crimen alterius, quod sit notorium iuris vel facti, hoc est per sententiam iudicis, vel per rumores, aut famam publicam in alio loco & regione vbi ignorabatur, siue fama illuc breui, siue post longum tempus, siue nunquam sit peruentura. ita sentit Diana miscel. 5. resol. 17. post Facundes, præcepto 2. lib. 5. c. 3. n. 14. & alios multos quos ipse Diana citat. sed credo id semper esse intelligendum quando durat infamia, nec est recuperata fama.

Quæres vltimò quomodo sit honor restituendus? *Resp.* 1. quod quandocumque personæ offensæ sunt paris conditionis, sufficit veniæ petitio. *Resp.* 2. quando persona quæ læsit est superioris conditionis, aut vir illustris & clarissimus, & personæ læsæ sunt inferioris conditionis, aut infimæ sortis, non debet fieri veniæ petitio, nec enim Pater tenetur veniam petere à filio, Prælatus à subdito, Dominus à seruo, Princeps à Vasallo, &c.

Digitized by Google

CAPVT III.

De reſtitutione propter homicidium ad quid teneantur homicida & mutilator?

DIco 1. homicidam teneri 1. ad impenſas factas in curatione morbi ſiue vulneris illati. 2. ad omnia damna ex nece ſequuta. 3. ad lucrum ceſſans, deductis iis quæ ipſe conſumpſiſſet in victu, & veſtitu: æſtimatio autem debet fieri arbitrio boni viri, & prudentis.

Dico 2. quando occiſus eſt ſeruus, tenetur homicida reddere Domino pretium illius, & expenſas in illo curando conſumptas. ſi autem liber homo eſt, tenetur reddere familiæ, & hæredibus, qui cum defuncto ſunt vna perſona: quales ſunt filij, parentes, vxor, damnum quod ex morte incurrerunt. vt ſi erant pauperes, & occiſus eos alere tenebatur, ad idem tenebitur occidens, ſi non manent occiſi bona, vnde illi alantur, non tamen tenetur eos alere quos occiſus ſpontaneè nutriebat. nihil item reſtituere hæredibus qui non ſunt parentes, vxores, aut filij, cuiuſmodi ſunt fratres, aut alij. neque item creditoribus. Filiuc. tract. 32. c. 8. Sotus 4. de iuſt. q. 9. art. 3.

Dico 3. homicidã non teneri reſtituere, quando occiſus remiſit debitum. ſic Filiuc. loc. cit. 2. quando erat aliàs iuſtè occidendus per ſententiam iudicis. Nau. c. 15. n. 23. 3. quando occiſus prouocauit ad duellum. 4. quando fuit aggreſſor, & aggreſſus non exceſſit fines inculpatæ tutelæ. quod ſi

excessit tenetur restituere, minus tamen restituere debet, quam ipse inuasor, quia est minus culpabilis. Azor loc. cit. c. 3. q. 8.

Dico 4. pro vulnere vel amputatione membri aut mutilatione restituendas esse 1. impensas omnes in curatione membri, aut vulneris factas. 2. lucrum quod facere poterat deductis expensis. 3. æstimationem damni quod inde sequutum est. sic Azor. c. 4. Tol. cap. 19. Filiuc. loc. cit. an verò sit restituendum aliquid præcisè pro ipsa deformitate aut cicatrice? *Resp.* cum communi sententia nihil esse restituendum, si homo sit liber, & si sit seruus Domino esse restituendum quanti minoris venderetur seruus, quod hanc habeat deformitatem, cicatricem vel careat membro. similiter si fœminæ vulneratæ relicta sit cicatrix, totum est restituendum damnum quod ea patitur ob cicatricem, si ob eam non nupsisset pari.

Ex his colligi potest quid sit restituendum pro libertate alicui adempta iniustè, necesse est enim eum in libertatem restituere pecuniis illum redimendo, vel aliter pro illo satisfaciendo.

CAPVT IV.

Quid restituendum pro stupro?

DIco 1. qui vi, dolo, vel mendaciis corrumpit virginem, tenetur eam in coniugem assumere, si promisit coniugium, etiam si fictè promiserit, quod si non promiserit eam se ducturum, tenetur dotare aut saltem procurare vt pro status sui conditione ac si virgo esset, nubat, vel habeat qui-

bus poſſit commodè nubere.

Quæres quid dicendum de eo qui habens votum caſtitatis vel religionis, vi, vel fraude, vel metu vitiauit puellam ſub pacto, vel ſpe coniugij? *Reſp.* huiuſmodi hominem teneri procurare diſpenſationem voti, deinde eam ducere in vxorem, & matrimonium conſummare, & hoc verum eſt ſi puella neſciuit amaſium habere tale votum, quia fuit decepta, nam ſi ſciebat eum habere tale votum non poteſt eum cogere ad nuptias ſecum ineundas. Leſſ. c. 10. n. 33. idem dicendum ſi virginem non conſtupraùit, ſed ſub ſpe coniugij ſic cum ea familiariter ſe habuit, vt in plebe ſuſpicio magna ſit concepta quod eam corruperit: nam tunc perinde eſt ac ſi corrupiſſet: ideoque tenetur eam ſibi aſſumere vxorem habita prius voti diſpenſatione. quod pariter eſt extendendum ad eum qui priùs puellam vitiauit ſub ſpe coniugij, deinde votum caſtitatis emiſit. ſic Az. c. 5.

Dico 2. qui virginem ſine vi, fraude, vel metu, ſed liberè, & ſponteneè conſentientem violauit, nullam tenetur ei facere reſtitutionem, licet adhibuerit, preces importunas. ſic tenet Sotus l. 4. q. 7. art. 1. idem dicendum ſi virgo vi, vel fraude violata forte poſtea æque commodè potita eſt nuptiis, ita vt nihil detrimenti acceperit. Leſſ. c. 10. n. 15. Nau. c. 16. n. 17. & 19.

Quæres quibus in caſibus deflorator virginis non tenetur eam ducere in vxorem, etiam ſi ſub ſpe coniugij eam cognouerit? *Reſp.* in ſequentibus.

Primus, ſi ſunt valde diſpares tam in vita, quam in ſtatu, & diuitiis idque ſciuerit puella. quod ſi neſciuerit ſunt qui dicunt eum teneri ducere, alij vero probabilius negant. ita D. Thom. in 4. diſt.

28. art. 2. Filiuc. loc. cit.

Secundus casus, si sit aliquod impedimentum, vt si sint affinitate coniuncti, si stuprator sit sacris initiatus, si pater nolit, si alium ducit per verba de præsenti tunc sufficiet eam dotare.

Tertius casus, si ex coniecturis poterat virgo cognoscere facilè, eum non seriò promittere, vt si verbis exaggeratoriis, ambiguis, & inconstantibus vsus sit, ita S. Tho. loc. cit. Less. c. 10. n. 24. & alij.

Quartus casus, si inde sequutura sint magna scandala, incommoda, & damna in familiis, etiam à stupratore præuisa, sufficiet enim tunc honestè dotare puellam.

Quintus casus, est si promisit puellæ se ducturum eam ea conditione, vt se non tradat alteri cognoscendam, nam si alium cognouerit, non tenetur.

Sextus casus, si coniugium promisit puellæ quã virginem putabat, & tamen postea inuenit fuisse corruptam. sic Cordub. in suis quæstionib. l. 1. q. 13. dicto 4. & alij.

Quæres ad quid teneatur qui vi, vel fraude violauit corruptam quidem, sed hominum opinione habitam vt virginem? *Resp.* teneri ad sarciendum damnum si inde aliquod patratur, vt æque commodè postea nubere possit: sicut antea poterat; quantum autem debeat dare pro compensatione damni relinquitur arbitrio boni viri.

Præterea multi Doctores existimant eum qui vt extorqueret copulam à vidua quadam honesta, aut à puella quam nouerat esse corruptam, promisit connubium deceptoriè & fictè, teneri eam sibi assumere in vxorem, nisi essent notabiliter disparis

condit ionis,

conditionis, aut aliquod esset impedimentum.

CAPVT V.

De restitutione propter adulterium.

DIco 1. neque adulterum neque adulteram teneri cum periculo vitæ, aut famæ, crimen suum prodere marito adulteræ, etiam si hæreditas à spurio accipienda esset valde ampla, & copiosa, qualis est v. g. Regnum, Imperium, Ducatus, &c. imò quando adulteri essent personæ viles, & infimæ sortis, modò tamen sint honestæ vitæ & famę non tenentur crimen reuelare. & hoc tenent communiter omnes Doctores Az. c. 6. cum multis aliis quos ipse citat contra Sotum, Adrianum, & Maiorem. notat tamen Less. c. 10. nu. 57. & 58. quod si adultera sit iam suspecta, & adeo vilis vt fama ipsius prudentum iudicio sit parui pretij, famam in eo casu esse postponendam hæreditatis æstimationi. Item quando maritus esset valde probus, & prudens, & filius pariter ipsique rem silentio essent compressuri neque mulierem osuri, neque probris vexaturi, tunc consideratis omnibus his circunstantiis posset adultera delictum aperire, sed quia hoc est rarissimum non debet Confessarij adigere mulierem ad id agendum, licet sit in articulo mortis constituta, neque ipsi suscipere onus rei seriem aperiendi marito postquam fuerit defuncta: accidit enim aliquãdo vt maritus occiderit filium spurium, & adulterum ipsumque Confessarium, qui

detexerat marito adulterium, & hoc est sanum cõsilium meo iudicio.

Dico 2. adulterum & adulterã si ex cõmuni consensu conuenerint in adulteriũ teneri quẽque pro parte restituere, imò etiam in solidum, 1. impensas factas in educatione filij adulterini à marito insciõ adulterij. 2. teneri soluere impensas factas ab hospitali domo in eius educatione, nisi parentes eius ita pauperes fuerint vt eum alere nequierint. 3. restituere debent dotem datam à marito filiæ adulterinæ, quam putabat legitimam. 4. refunderè hereditatem quam maritus reliquit filio adulterino quem existimabat legitimum. dixi (si ex communi consensu conuenerint in adulterium) quia si adulter vi, vel fraude adegit, induxit, aut prouocauit ad adulterium vxorem alterius, tenetur ille solus ad omnia damna inde sequuta, si adultera nolit partem suam conferre Az. c. 6.

Quæres 1. quomodo adultera poterit facere restitutionem? *Resp.* 1. si commodè potest procuret vt adulterinus filius ingrediatur Religionem aliquam quæ non sit capax hæreditatis, vel vt fiat Clericus & beneficium Ecclesiasticum obtineat, 2. si hoc non possit, & habeat parafernalia bona aut alia, tenetur ea filiis legitimis relinquere, vt tantumdem augeatur illorum pars quantum satis sit ad impediendum damnum hæreditatis. 3. curet labore, arte, & industria augere bona mariti. 4. imminuat sumptus solitos in vestibus, & aliis quantùm poterit commodè citra status, & valetudinis dispendium. quòd si his modis non possit obuiare detrimento filiorum legitimorum, ad nihil amplius tenetur quàm ad agendam pœnitentiam de peccato. vt colligitur ex cap. officij 9. de pœniten-

tia, & remiss. neque enim obligatur reuelare crimen filio adulterino, nisi moraliter certa sit de damno auertendo, nec filius adulterinus tenetur credere matri dicenti se ex adulterio progenitum, si tamen crederet matri affirmanti se esse ex adulterio procreatum, vel quia tempore conceptionis pater putatiuus erat absens, vel ita ægrotus vt matrem cognoscere non posset, hæreditatem adire vnà cum aliis filiis legitimis, & hæredibus minimè valeret. vbi notabis adulteram teneri filium alere vsque ad tertium annum si possit, quod si non possit tenetur adulter suppeditare necessaria ad victũ, sicut etiam à tertio anno & deinceps, donec possit ipse filius labore, aut arte de alimento sibi prouidere.

Quæres 2. vtrum adulter teneatur credere mulieri coniugatæ affirmanti prolem ex eo esse genitam? *Resp.* non teneri si tempore quo fuit conceptio fœtus maritus habitabat cum vxore, vel si ipsa rem habebat cum alio amatore, si tamen cognoscat esse suã nec vllo modo dubitet tenetur, vt diximus, educare filium in integrum à tertio anno, & præterea pro rata parte damna inde emergentia compensare. legendus Less. dub. 6. per totam.

CAPVT VI.

De restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.

DIco 1. si feræ ita sunt factæ propriæ alicuius, vt Dominus arbitratu suo possit eas capere &

vſurpare cum velit (vt ſi eſſent in piſcina, ſtagno, viuario, horto muris circumſepto) vel ſi ita ſunt ad locũ aliquẽ aſſuefactæ, vt quamuis egrediantur tamen certis temporibus redeunt, & manẽt, vt colũbæ ad columbariũ, apes ad alueare in quo iam fuerunt, itemque nonnulli cerui manſuefacti, tunc quiſquis hæc rapuerit tenetur ea reſtituere Domino, & ſi conſumpſerit eorum valorem ſic Sotus 4. de iuſt. q. 6. art. 4. Nau. c. 17. n. 28. & alij.

Dico 2. acquiſita per venationem, piſcationem, vel aucupium eſſe reſtituenda quando eorum venatio, piſcatio vel aucupium eſſet legitimè prohibita certis temporibus, locis, aut perſonis ſub hac conditione, vt quiſquis ea ceperit eorum dominium ſibi non acquirat, ſed adiudicentur fiſco, vel alicui alij. ſic Couar. relect. in reg. peccat. p. 2. §. 8. n. 6. qui autem hanc prohibitionem conſtituit debet eſſe talis, vt vel ſuperiorem non agnoſcat, vel authoritatem illam præſcripſerit, vel de conſenſu populi habuerit, & deinde cauere debet ne ſubditi ex ea re damnum patiantur, & ſi quod incurrant tenetur reſarcire, niſi in ea illi conſentiant. Nau. n. 120. Couar. vbi ſupra n. 11.

Dico 3. quando prohibentur venatio, piſcatio, vel aucupium non quidem impediendo acquiſitionem dominij, ſed ſub pœna eas reddendi fiſco, aut tantumdem ſoluendi, tunc poſt ſententiam iudicis & non ante reſtituere tenentur. ita Med. de rebus reſtituendis, & Couar. loc. cit. n. 9.

CAPVT VII.

Quid reſtituendum propter lignorum ex ſiluis exportationem, & abſciſſionem?

DIco 1. ſi ſyluæ ſint planè alterius, ita vt neque ſint eius qui eis vtitur, neque communitatis cuius ille eſt pars, neque adſit conſenſus expreſſus vel tacitus domini, aut communitatis in cuius dominio eſt Sylua, omnino eſt reſtituendum quod inde eſt ablatum reſarciendo damnum illatum.

Dico 2. quando Syluæ ſunt communitatis cuius ipſe cædens eſt pars, non peccat mortaliter aſportando ligna quæ ſunt ſibi neceſſaria præſertim eo tempore quo non eſt prohibitum: & ſi quis aliquas arbores cædat tempore prohibito putat. Tolet. c.20. eum non peccare mortaliter, ſed ſolũ teneri ad ſoluendam pœnam impoſitam cædentibus, ſi à Cuſtodibus comprehendatur, & ad id per poteſtatem legitimam compellatur. plus addit Sotus 4. de iuſt. q.6. art.4. eum ſcilicet non peccare qui abſque conſenſu domini accepit ex Sylua aliena, aut proprij oppidi ea duntaxat ligna quibus extremè, aut quaſi extremè, vel ſaltem grauiter indigeret ad ſuſtentationem familiæ. quod idem docet Nau. c.17.n.22.

Dico 3. ſi Syluæ duorum oppidorum vicinæ ſint, & ſoleant incolæ vnius accipere ex Sylua non modo ſui oppidi, ſed etiam alterius vicini non peccant qui ex illis ligna cædunt & aſportant. ita

Sotus loc. cit. quod idem omnino dicendum de pratis pascendis animalibus destinatis.

CAPVT VIII.

De restitutione propter furtum.

CErtum est 1. apud omnes furtum ex genere suo esse peccatum mortale, quamuis ex defectu deliberationis, vel ex paruitate materiæ fieri possit veniale. & hoc omnes fatentur.

2. Nota est omnibus definitio furti quam tradũt Iurisconsulti ff. de furtis lege 1. vt sit contrectatio rei alienæ fraudulosa, inuito domino, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam ipsius vsus possessionisve. alio modo solet definiri à Theologis, furtũ est occulta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter siue secundum rectam rationem inuito. has definitiones explicant Azor. p. 3. l. 5. c. 11. Val. disp. 5. q. 10. p. 5. quos consules.

Quæres 1. in qua quantitate furtum sit peccatum mortale? de hac quæstione quot sunt capita, tot etiam sensus sunt: quod considerans Azor. meritò dixit grauitatem materiæ in furto esse relinquendam arbitrio boni viri. & certè ita est, sed vt iuuetur Confessarius ad iudicandum quandonam furtum sit peccatum mortale, aduertet furtum, seu rem furtiuam nunquam esse considerandam nudè, præcisè, simpliciter, & absolutè secundum se, sed semper cum aliquibus circunstantiis, quarum

Prima est, vt expendat prudenter intentionem furantis: fieri enim poterit, vt peccet mortaliter

furando aliquid paruum non ratione furti, ſed ratione affectus, quia videlicet habet voluntatem, & intentionem notabilem quantitatem ſurripiendi.

Secunda circunſtantia perpendenda, eſt perſona ipſa furans ſeu fur ipſe: nam vt benè notat Nau.l. 3.p.2. & poſt eum Leſſ.c.12.n.47. & 76.ad peccatum mortale contrahendum maior quantitas requiritur in furtis filiorum, & vxorum à parentibus & marito, quam famulorum à dominis, & maior item in famulorum furtis quam externorum, quia domini, mariti, parentes non ſunt notabiliter inuiti, & ſolùm illis diſciplicet modus accipiendi, ſcilicet occultus.

Tertia circunſtantia attendenda eſt perſona dãnificata, ſeu cui ſurripitur ſua res, an ſit diues, vel pauper, an liberalis vel parca, an ad iram prona, vel tarda, ſæpe enim euenit vt licet res furata ſit parui momenti, tamẽ fur peccat mortaliter, ſi dominus ex hoc prorumpat in blaſphemias, aut in aliud peccatum mortale, idque notum erat furi etiã ſi ioco tantùm ſurripiat. ita Tol.l.5.c.16.

Quarta circunſtantia conſideranda, eſt damnum quod per furtum infertur domino rei: nam ſi ſit notabile peccatum erit mortale. quamuis fortè furtum ſit parui momenti, vt ſi quis ſartori acum, pictori penicillum, ex quo magnum pateretur detrimentum raperet, quo rapto non poſſet laborare, neque ſibi, & familiæ prouidere commodè, quia fortè non habet vndę alia emat inſtrumenta Tolet. loc. cit. n.4.

Quinta, penſandæ Prouinciæ, vrbes, & oppida in quibus furtum committitur, nam alicubi eſt magna copia pecuniæ, vt in India, & alibi, non eſt tanta, vt in Gallia, vbi pluris æſtimantur du-

Iulij quam in India. Az. loc. cit. c. 13.

Sexta, habenda est etiam ratio pretij, & æstimationis rerum furto acceptarum. nam v. g. par gallinarum, aut ouorum minoris solet æstimari in vno loco quam in alio.

Quæres 2. an peccet mortaliter qui leuem quãtitatem aufert ab aliquo à quo alij abstulerant notabilem? *Resp.* quod non. ita Vasq. p. 2. to. 2. q. 88. art. 9. disp. 146. art. 2. n. 6. & alij contra Bonac. disp. 2. q. 8. punct. 2. n. 5.

Quæres 3. vtrum qui cognoscit hæc minima furta ab aliis facta ipso nullo modo cohortante, vel exemplo suo alliciente, peccet mortiferè cum ipsis, vel separatim accipiendo quid modicum, si omnia illa furta simul iuncta, perueniant ad notabilem quantitatem? *Resp.* quod non: neque tenetur ad restitutionem. ita Less. loc. cit. n. 52. & alij plures. addit præterea Less. n. 54. non videri posse compelli sub pœna excommunicationis ad restituendum, eos qui notabilem quantitatem non acceperunt, nisi quando res ita essent comparatæ, vt ex defectu restitutionis vnius, notabile damnum sequeretur.

Quæres 4. an possit quis occultè rem suam sibi debitam auferre? *Resp.* quod sic: concurrentibus quibusdam circunstantiis. 1. vt moraliter certus sit esse rem suam, & ex iustitia deberi. 2. vt non possit aliâ viâ recuperare, vel certè sine molestiâ, vel expensis, vel amissione beneuolentiæ. 3. vt non accipiat rem aliquam apud debitorem depositam, sed accipiat ex propriis eius bonis. 4. vt absit periculum scandali, vel infamia. 5. vt det operam ne secundò res illa soluatur, vel ab eodem, vel ab eius hæredibus.

Digitized by Google

Quæres 5. quando vxor peccet mortiferè accipiendo aliquid à marito, quando non? *Reſp.* 1. peccare mortiferè ſi ſummam notabilem ex bonis mariti, vel quorum adminiſtratio ipſius eſt, ipſo cum ratione inuito accipiat: & tenetur ad reſtitutionem etiam ſi ex dote, vel ex bonis communibus accipiat, quia non habet eorum adminiſtrationem.

Reſp. 2. Non peccare mortiferè 1. ſi quantitas ſpectato ſtatu, opibus & cæteris non ſit notabilis. 2. ſi maritus concederet. 3. ſi det in extrema, vel graui neceſſitate proximi. 4. ſi det ex bonis paraphernis, vel ex lucris ſuæ induſtriæ. 5. ſi det eleemoſynas iuxta conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ conditionis, & ſi maritus prohibeat ſolùm vetare vult exceſſum. 6. ſi det ad impediendum dánum mariti ſiue temporale, ſiue ſpirituale. 7. ſi accipiat pro rebus ſibi, vel familiæ neceſſariis. 8. ſi maritus eſt amens, fatuus, abſens & diſſipator. 9. ſi pater, mater, frater, & ſoror eius ſint pauperes ſecundum ſtatum, item ſi habeat filios ex alio matrimonio, qui ſimiliter egeant, poteſt illis dare, tenebitur tamen hæc omnia quæ ſic dederit referre in ſuam partem, cum ad partitionem cum hæredibus viri ventum erit, niſi eo caſu quo matrimonium fuit celebratum, contractu medietatis bonorum, quia tunc non teneretur in partem referre quæ dederit parentibus, fratri, ſorori, vel filijs ex alio viro ſuſceptis ſecundum ſtatum pauperibus. Leſſ. loc. cit. dub. 16.

Quæres 6. quando filij peccent mortiferè furãdo, & quando non? *Reſp.* 1. peccare mortaliter. 1. quando accipiunt notabilem ſummam occultè ex bonis parentum ipſis cum ratione inuitis. 2. quãdo

expendunt in res turpes, & vanas notabilem ſummam contra voluntatem parentum ex iis pecuniis, quas parens ad honeſtos vſus dedit, & tenetur ad reſtitutionem: niſi pater remittat, vel certò remiſſurus eſſet ſi filius peteret.

Reſp. 2. non peccare mortaliter ſi quantitas non ſit notabilis habita ratione ſtatus & perſonarum. 2. ſi dum verſatur in ſtudiis expendat iuxta morem aliorum ſuæ cõditionis. 3. ſi det proximo exiſtenti in extrema, vel graui neceſſitate. 4. ſi accipiat ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus vt militia officio, beneficio. 5. ſi pater ſibi vendicet caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia filij. 6. ſi filius gerat negotia patris, poteſt deductis expenſis quas pater facit in illo alendo pro ſuo labore, & induſtria tantumdem accipere quantum daret extraneo, niſi intendat facere gratis. Nau. c. 17. n. 144.

Vbi aduerte famulos non peccare mortaliter ſi furentur comeſtibilia, modo ipſi conſumant, & non aliis vendant: ſintque ex iis quæ non ſolent concludi, vt panis, vinum. Nauar. ſup. n. 138. quia dominus non eſt inuitus circa ſubſtantiam acceptionis, ſed tantũ circa modum accipiendi. ſi tamen ſurripiant ad ludos, compotationes, aut alios vſus quos ipſe nollet concedere, tunc peccant, & verum furtum committunt: & ideo ſunt obligati ad reſtitutionem quia capiunt domino inuito rationabiliter.

Digitized by Google

TRACTATVS VNDECIMVS, DE VSVRA.

CAPVT I.

De Mutuo?

DE vsura hîc tractaturi nonnihil dicendum est de cõtractu mutui, quia vsura communiter violat iustitiam eius, & in eo potissimùm reperitur. Mutuum igitur si nominis etymologiã spectes, dicitur quasi de meo tuum, eò quòd res quæ datur fiat accipientis. Alij dicunt mutuũ sic denominari quasi vicissitudinarium, ita vt mutui datio sit vicissitudinaria commutatio, & functio rerum in eodem genere. ita Azor. cap. 1. de mutuo.

Quæres 1. quot modis accipiatur nomen (mutuum?) *Resp.* duobus, primò pro re ipsa quæ cadit in contractum mutuationis, vt cum dicimus dari vel

reddi mutuum. ſecundò pro ipſa mutatione, quo modo hîc ſumitur. ita Leſſ. cap. 20. dub. 1. de mutuo.

Quæres 2. quomodo diuiditur mutuum? omiſſis eius variis diuiſionibus quas refert. Azor. loc. cit. c. 2. Dico mutuum aliud eſſe expreſſum, aliud tacitum & implicitum. expreſſum eſt cum tibi mutuum do, & numero centum. Implicitū verò quod in aliis contractibus virtute continetur, vt in emptione & venditione, vendit Titius Caio pretio credito merces, perinde eſt ac ſi tunc Titius mutuo dediſſet Caio centum, quibus merces æſtimantur. Rurſus emit Caius à Titio anticipato pretio futuros fructus vineę, perinde eſt ac ſi Titius à Caio mutuo accepiſſet centum quibus fructus emuntur. Az. loc. cit.

Quæres 3. quid ſit mutuum? *Reſp.* eſſe traditionem rei numero, pondere, vel menſura conſtantis, eo animo, factam vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione vt ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur. vbi notabis mutuum reperiri non tantùm in rebus vſu conſumptibilibus, ſed etiam in aliis, vt ære, metallis, &c. quidquid dicat Nauar. c. 17. nu. 206. ita Leſſ. loc. cit. res numeri dicitur pecunia, res ponderis quæ ponderatur dum traditur, vt aurum, argentum & omne metalli genus: res menſuræ quæ datur in certa aliqua menſura, vt oleum, vinum, lac, mel, ſal, frumentum, & alia liquida vel arida quæ menſuratò tradi ſolent. vide Az. c. 1. de mutuo.

Quæres 4. an ad naturā mutui pertineat, vt reddatur res eiuſdem quidem generis, ſed numerò diuerſa? *Reſp.* quod ſic, ſi enim redderetur res alterius ſpeciei eſſet permutatio non mutuum, ſi verò

eadem numero non eſſet mutuum, ſed commodatum vel depoſitum: ſi tamen cõtingeret rem eamdem numero reddi, vt quia tempore ſolutionis non eſt conſumpta, non deſinet habere rationem mutui. nam ſpectatur id quod ab initio eſt factum, non quod poſtea actum eſt, ab initio autem mutuò eſt data.

Quæres 5. quinam mutuum accipere non poſſint? *Reſp.* omnes qui iure naturæ contrahere non poſſunt, cuiuſmodi ſunt pupilli, filij familiàs, ciuitates & Eccleſiæ. quanquam in quibuſdam caſibus id valeant, vt ſi pupillus accipiat mutuum de conſenſu Tutoris, ſi filius familiàs habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, ſi mutuum verſum ſit in vtilitatem patris, aut accepit cauſa ſtudiorum vt emat libros, vt viuat, ſi Prælatus de conſenſu capituli mutuum nomine Eccleſiæ accepit, & poſſit ſolui abſque alienatione bonorum immobilium. ſic Leſſ. loc. cit. dub. 2.

CAPVT II.

De nomine & definitione vſuræ, & quo iure ſit prohibita?

NOmen vſuræ duobus modis accipitur, 1. pro actione ſeu contractu, qui dicitur peccatum vſuræ. 2. pro lucro quod ex mutuatione comparatur: ſi ſumatur 1. modo vſura, id eſt pro actione ſiue contractu, definitur mutuatio ex vi cuius aliquid vltra ſortem pretio æſtimabile pro vſu pecuniæ mutuatæ exigitur. quod quia fieri poteſt duo-

bus modis, 1. cum pacto expresso vel etiam implicito, vt cum mutuans dicit, nosti consuetudinem meam in mutuando. 2. cũ quis vult & sperat quidẽ ex vi mutui aliquid vltra sortem & recipit, etiamsi alter det, sed tamen non explicat vllo modo hanc suam voluntatem. Ideo etiam dicimus duplicem esse vsuram, vnam exteriorem, eamque vel expressam, vel implicitam, aliam mentalem: Vsura exterior est cum quis pacisscitur expresse vel implicitè de lucro ex vi mutui vltra sortem accipiendo. Mentalis vero cum quis mutuat cum spe & intentione, aliquid pretio æstimabile ex vi mutui reportãdi, si offeratur à mutuatario: & hoc modo accipi solet vsura quando dicitur esse peccatum. Si verò sumatur vsura pro lucro definitur lucrum quod recipitur immediatè ex vi mutui, & sic vsurpatur cũ dicitur vsuram esse restituendam. Valent. to. 3. disp. 5. p. 1. & alij.

Quæres 1. quid sit accipere lucrum ex vi mutui? *Resp.* esse recipere aliquid pretio æstimabile quasi ex iustitia debitum, propter vsum rei mutuò datæ. Idem ibidem.

Quæres 2. an sit vsura sperare aliquid ex mutuo tanquam ex gratitudine profectum, aut tanquam ex motiuo ad impellendum alterum, vt det aliquod auctarium vel ad recipiendum quod aliàs aliquo iusto titulo, vt ex venditione aut emptione erat debitum? *Resp.* quod non, quia hæc sperando aut recipiendo non fit contra iustitiam contractus mutui, non enim auctarium datur vel recipitur ex vi mutui, sed alio titulo. vnde etiam sequitur, non esse vsuram si quis mutuet vt amicitiam, beneuolentiam, vel fauorem conciliet. quia hæc non æstimantur pretio. Less. loc. cit. dub. 3.

Quæres 3. an in mutuo poſſit mutuãs principaliter intendere id quod datur vltra ſortem ex gratitudine? *Reſp.* quod ſic. Ratio eſt quia cum finis iſte ſit licitus & honeſtus, nihil vetat mutuum principaliter in illum ordinare. ita Sotus l. 6. de iuſt. q. 1. ar. 2. Ex quo etiam ſequitur propter eamdem rationem eum non eſſe vſurarium, qui ita ſpe auctarij gratuiti mutuat, vt niſi illud ſperaret non mutuaret, nam cum motiuum illud ſit licitum, poteſt mutuans non tantum minùs principaliter, ſed etiam magis principaliter in illud ferri. ita Caiet. verbo vſura.

Quæres 4. an ſit verum quod dicit Nauar. c. 17. n. 209. & Syl. verbo vſura 1. n. 1. non eſſe vſuram ſperare lucrum minùs principaliter ex mutuo vi mutui? *Reſp.* quod non, tum quia cum vſura ſit intrinſecè mala, ſi non licet eam intendere magis principaliter, nec etiam licet minus principaliter: aliàs peccatum furti aliquando licitum eſſet, ſaltem minus principaliter quod eſt falſum. tùm quia vt cognoſcatur vſura, non ad principalem, aut minus principalem auctarij intentionem eſt reſpiciendum, ſed ad titulum ex quo lucrum ſiue auctarium expectatur: ſi enim titulo gratitudinis aut tanquam ex iuſtitia aliundè debitum, ſiue principaliter, ſiue minus principaliter expectetur, nulla erit vſura: ſi vero ex vi mutui titulo iuſtitiæ expectetur, etiamſi minùs principaliter expectetur, manifeſtè erit vſura. ſic Sot. loc. cit.

Quæres 5. an mutuatarius teneatur titulo gratitudinis, aliquã gratiam referre mutuandi? *Reſp.* ſolùm teneri animi promptitudinem habere, vt aliquando cum ſe opportunitas obtulerit, referat mutuatori æquale vel maius beneficium, non autem

obligari ad actum aliquem, beneficum in mutuantem statim conferendum. Ratio est, quia virtus gratitudinis per se 1. non respicit rem quæ dono datur, sed affectum donantis, ideoque satisfit huic obligationi, si statim affectus donantis per affectum recipientis compensetur. ita Val. loc. cit. p. 2.

Quæres 6. an possit mutuans exigere à mutuatario id quod debet, vel potest ex gratitudine conferre? *Resp.* posse, dummodo non repetat tanquã debitum ex iustitia, & vi mutui, nam hoc modo non licet alias esset vsurarium. ita S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2.

Quæres 7. an possit mutuans petere à mutuatario, vt per promissionem se obliget ad beneficium rependendum ex gratitudine? *Resp.* physicè loquendo, id quidem licere, dummodo non petatur remuneratio tanquam debita præcisè ratione rei mutuatæ, & hoc voluit Maior in 4. distinct. 15. q. 29 in 2. argumento. huius etiam sententiæ est Valent. loc. cit. si vero moraliter loquamur, & attendamus ad id quod fieri solet inter homines, non videtur licere hoc beneficium gratuitum in pactum deducere petendo illius promissionem à mutuatario: nam qui ita importunè se gerit, vt velit exigere à mutuatario promissionem rei gratuitæ non videtur animo sincero agere, & gratis mutuum dare, sed sub spe lucri ex vi mutui reportandi. accedit quod hanc promissionem dabit mutuatarius coactè, non spontè. 3. quia hæc promissio est ciuilis, non autem naturalis obligatio, ideoque merito damnatur cum sit pretio æstimabilis.

Quæres 8. vtrum sit licitum ex vi mutui imponere legem ad amandum aliquem vel seipsum? *Resp.*

quod

quod non, nam hæc obligatio præter quam quod pugnat cum libertate qua quis extra tempus obligationis præcepti charitatis poteſt arbitratu ſuo hunc vel illum potiùs amare, eſt etiam pecunia æſtimabilis , propter grauamen quod imponit ad amandum ex iuſtitia alterum, vel ſeipſum. vbi notabis pacta quæcũque ex vi mutui mutuatario impoſita quæ in ſolam vtilitatem mutuatoris cedunt, & adimunt à mutuatario libertatem faciendi aut non faciendi aliquid quod ante mutuum poterat facere, eſſe vſuraria. Ratio eſt, quia omnis obligatio tollens libertatem, pecunia eſt æſtimabilis per leg. ſicut cod. de actionibus. ergo qui mutuando ex vi mutui extorquet à mutuatario obligationem faciendi quod alàs non tenebatur ex iuſtitia facere, vſuram perpetrat, cum ratione mutui reportet lucrum, obligationem nimirum ciuilem, & ex iuſtitia veluti debitam, cum tamen non ſit. ita Rebell. 2. part. l. 8. q. 4. de vſu n. 2.

Dixi ſuperiùs (ea pacta mutuo appoſita damnari quæ vergunt in ſolam mutuatoris vtilitatem) quia ſi æqualiter cedant in commodum mutuatarij, & ex iis illi accedat tantum lucri, quantum mutuatori, non reprobãtur eo quod in nulla re violetur iuſtitiæ commutatiuæ æqualitas. vnde ſi mutuator, & mutuatarius ita contrahant ſimul, quoties indiguero tu mih mutuam trades pecuniam, & ego viciſſim, vel ſi mutuator det centum aureos mutuos ea conditione vt ſi intra decem annos moriatur fiant mutuatario, ſi autem vixerit teneatur mutuatarius reddere illos centum, & præterea alios centum, non eſt vſurarium. ita Azor. tom. 3. l. 8. cap. 7. dub. 5. & 7.

Atque hinc colligitur ſolutio multorum dubio-

tum quæ ſolent moueri circa materiam vſurarum, vt videre eſt apud Azor. p. 3. l. 8. de mutuo cap. 7. vbi rectè oſtendit eſſe vſuram ex vi mutui obligare medicũ vt ægrotos ſuos curet, ruſticum vt vineam excolat, quamuis poſtea proponat illis iuſtam mercedem. idem dicendum de eo qui mutuat cum pacto vt mutuatarius ei ſe obſtringat ad vendendos fructus tempore ſuo colligendos, etiam iuſto pretio quo tunc futuri fructus valebunt, niſi fortè intendat mutuans hos fructus emere anticipatâ pretij iuſti ſolutione: hoc enim modo non eſt vſura. eſt etiam vſura mutuare eo animo vt mutuatarius ſcholam ſuam, officinam, vel molendinum frequẽtet: emat ab eo merces pretio iuſto, vt ipſe viciſſim in poſterum det pecuniam mutuam indigenti. vt liber ſit a tributis vel aliis oneribus ſoluendis, ſubeundis vel ſuſtinẽdis, vel vt aliquod munus quod vocãt à manu, ab obſequio, à lingua recipiat, vel vt aliquo munere, vel officio fungatur, aut honore afficiatur. ita Azor, & Rebellus, loc. cit.

Quæres 9. quo iure prohibitæ ſint vſuræ? *Reſp.* quocumque iure, naturali, diuino, poſitiuo, & humano, tam canonico quàm ciuili. vt videre eſt apud Rebel. loc. cit. q. 2. ſect. 2. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 4. Val. to. 3. diſp. 5. q. 21. punct. 1. § 2. & alios quos conſules.

Quod ſi dicas vſuram olim permiſſam fuiſſe Iudæis Deuter. 15. & 28. *Reſp.* cum communiori ſententia Deũ tranſtuliſſe dominium illius lucri quod eis obueniebat ex mutuo dato alienigenis: itaque auctarium illud recipiebant tanquam rem ad ſe pertinentem ex donatione illis à Deo facta, non ex vi mutui immediatè extortam. vnde colliges vſuram eſſe peccatum mortale, & contrarium aſ-

ſerere eſſe hęreticum. vt definitum eſt in Clement. vnica de vſuris ex Concil Viennenſi ſub Clement. V. vbi dicitur puniendos eſſe tanquam Hæreticos qui id negent: vt negarunt Albanenſes, teſte D. Anton. 4. part. tit. 11. c. 7. & Schiſmatici Græci, vt refert Guido Carmel. in Catalogo Hæreticorum.

Quæres vltimò, quæ ſit differentia inter pactum iuſtitiæ & amicitiæ? *Reſp.* pactum iuſtitiæ eſſe quo quis intendit alteri iniicere vinculum & obligationem ciuilem; pactum amicitiæ, quo ſolùm intendit eam obligationem, quam amicitia vel virtus gratitudinis inducit.

CAPVT III.

Quibus titulis in mutuo poſſit ſperari lucrum aliquod vltra ſortem?

QVatuor ſunt Generales tituli ex quibus vltra ſortem poteſt aliquid accipi, primus eſt, titulus donationis ſiue omnino liberalis, ſiue gratuitæ in compenſationem beneficij facti mutuatario à mutuatore, quam tamen donationem vel gratitudinem nolunt Doctores in pactum deduci: vt dictum eſt ſupra cap. 2.

Secundus titulus eſt iactura ſiue damnũ aliquod quod mutuator ſubit vel in re habita, quod appellatur damnum emergens, vel in habenda quod dicitur lucrum ceſſans, ratione cuius poteſt mutuaor exigere à mutuario, compenſationem ſecundum æqualitatem, ſi ſit ei cauſa talis damni ex vi mutui.

Quæres 1.quid ſit damnum emergens? *Reſp.* eſſe iacturam quam mutuans directè, & per ſe ratione mutuationis in bonis iam habitis patitur. v. g. habebam pecuniam paratam ad reparandam domum meam, quæ minabatur ruinam, vel ad emendum frumentum tempore meſſis, & quia eam tibi mutuam dedi nec domum meam reficere, nec frumentum tempore commodo mihi parare valui, ſi poſtea domus corruat, vel frumentum chariùs vēdatur, nocumentum, quod paſſus non fuiſſem niſi pecuniam mutuaſſem, dicitur damnum emergens. ſimiliter eſt damnum emergēs ſi mutuatarius non ſoluat mutuum tempore præfixo, propter quod mutuans ad debita ſoluenda vel ad alias neceſſitates leuandas cogatur cum fœnore pecuniam quærere, vel minoris iuſto merces ſuas vendere.

Quæres 2.quid ſit lucrum ceſſans? *Reſp.* eſſe iacturam lucri certo, vel probabiliter acquirendi, vt ſi propter mutuationem pecuniæ negotiationibus deſtinatæ, à lucro quod mutuans ſperabat impediatur, eſtque duplex propinquum, & remotum propinquum vt ſi mutuans erat gallinam, vel rem aliam fructiferam empturus. vnde fructus recipere ſperabat, & tamen ratione mutui impeditur ne rem illam fructiferam emat, & fructus illos acquirat, intereſſe verò remotum ſeu mediatū lucri ceſſantis eſt vt ſi empta gallina, lucretur ouum ex illa, & ex ouo ſperat inde pullum aſſequi, ex qua rurſus alia oua ſperat, dempto primo fructu ſperato, reliqui dicuntur lucrum remotum, & carentia illius ob mutuum, dicitur lucrum remotum.

Addidi in reſponſione (lucri certò vel probabiliter acquirendi) quia ſi eſt omnino incertum non poteſt dici mutuator ceſſare à lucro, ideoque non

potest illud repetere à mutuatario, quia quod non est verò similiter futurum æquiparatur non futuro.

Quæres 3. quotuplex sit damnum emergens? *Resp.* duplex, vnum intrinsecum, siue in re, vel circa rẽ, & est quod in ipsa re mutuata cernitur quando ipsius valor augetur, v. g. mutuaui tibi frumẽtum quod valebat decem, reddendum in festo S. Bartholomæi, quod tua culpa non reddidisti, valuit mense Octobris viginti, teneris quanti plurimi valuit, à tẽpore moræ, id est, ad viginti. Aliud est damnum emergẽs extrinsecum siue extra rem, & est quod prouenit, non ex ipsa re quæ semper immutata manet, sed aliunde emergit propter ipsam rem, v.g. vendidisti mihi fœnum, & quia nõ tradidisti mihi præfixo tempore, equi mei perierunt, quæ nam verò conditiones sint requisitæ ad iustitiam lucri cessantis, & damni emergentis dicetur infrà.

Tertius titulus est grauamen, vel molestia quam subit mutuator in re sua mutuanda, quæ quia est pretio æstimabilis potest, qui mutuat paciscí de aliqua compensatione à mutuatario facienda, ex iustitia quasi pro labore, & molestia susceptа in illius vtilitatem. vnde sicut fideiussor potest aliquid accipere pro periculo soluendi, cui se exponit, si debitor non soluat. Idem etiam facere licet mutuatori si ex mutuo grauamen aliquod subire cogatur, huc etiam reuocari potest alius titulus iustus, scilicet diligentia, labor, & molestiæ seu curæ susceptæ in parandis pecuniis, quo possit quis facile cuilibet petenti beneficium mutui impertiri: quia cum hæc onera sint pretio æstimabilia, licet pro iis compensationem petere. ita Val. to. 3. disp.

5.quæst.23.punct.4.concl.5. nec obstat quod mutuator illa onera sponte accipiat, quia sicut posset petere compensationem pro oneribus susceptis si à republica obligaretur ad mutuandum,ita etiam potest si illa onera sponte suscipiat. ex quo etiam patet posse mutuatorem aliquid accipere vltra sortem ratione periculi cui mutuum subiacet, siue periculum teneat se ex parte rei mutuatæ, vt cum mutuat mercatori pecunias per mare transuecturo, vel per itinera, & loca latronum siue hostium transituro, siue periculum proueniat ex parte mutuatarij,qui scilicet potest facile ad inopiam deuenire;vel qui solet esse fraudulentus, vel malæ fidei debitor. Ratio est quia omne creditum eo ipso quod est periculo expositum est, minoris æstimationis. ita Azor.3.part.l.5. capite 6. Cord. in Sum. quæstione34. idem dicendum si mutuator non potest repetere debitum sine expensis, tunc enim licitum erit in pactum deducere plùs minùs illud quod iudicatur expendendum.sic Sot. l.6.de iust.q.4. a.1.

Quartus titulus est peculiaris pœnæ mutuatario impositæ, ex conuentione si ad præstitutum terminum non soluat.quod Sot.l.6.q.1.art.3. ait licere,de quo infra plura dicemus.

Sunt & alij tituli iusti ex quibus licet aliquid accipere vltra sortem principalem,de quibus infrà, cum de contractibus emptionis,venditionis,cambij, & census sermo fiet.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtitiam damni emergentis?

TRes requiruntur conditiones vt poſſit quis licitè exigere damnum emergens in mutuo.

Prima eſt vt mutuum ſit cauſa damni, vt ſi domus mea minetur ruinam, nec habeam alias pecunias ad eam reficiendam niſi quas tibi mutuo dedi, tunc mutuum eſt cauſa damni, ſi tamen alias habeo pecunias quibus eã poſſim reficere vel ab alio amico meo faciliter poſſum pecuniam quærere ſine meo detrimento, tunc damnum mihi non prouenit ex mutuo. dixi (faciliter) quia ſi hoc ſine difficultate facere non poſſum, non teneor ad euitandum damnum debitoris mei alteri me obligare.

Secunda conditio, vt admoneat mutuatarium illius damni quod ratione mutui incurrit, ne illum decipiat, vel vt liberè conſentiat in illius compenſationem, vel dimittat ſi noluerit in eam conſentire. vbi notabis ex Leſſio, quod ſi reuera tibi damnum immineat ex mutuo, non erit vſuræ peccatum paciſci de dãdo auctario vltra ſortem etiam ſi non admoneret mutuatarium de hoc damno quia in re nulla eſt inæqualitas, quamuis hoc ipſe ignoret, & exiſtimet te ratione mutui exigere.

Tertia vt mutuans non cogat mutuatarium paciſci de periculo damni potiùs quam de damno,

ſed relinquat ipſius arbitrio quia etſi periculum illud damni probabiliter euenturi ſit ipſo tempore mutui pecunia æſtimabile, non poteſt tamen alterum cogere vt pro ipſo periculo vltra ſortem aliquid ſoluat, nam ſi mutuatarius paratus eſt omne damnum compenſare quod euentus patefecerit, mutuator ſeruatur indemnis, ſi tamen ipſe mutuatarius velit pro periculo de certo pretio paciſci, poteſt mutuans illud exigere etiamſi damnum poſteà non euenerit.

Quæres 1. quandonam mutuatarius dicitur eſſe cauſa damni emergentis? *Reſp.* tunc dici eſſe cauſam damni quando eſt in mora ad ſoluendum, eſt autem in mora quando non ſoluit tempore conſtituto, cum tamen poſſit, aduertens explicitè vel implicitè creditorem velle ſibi ſolui. dixi (cum tamen poſſit) quia ſi ſit impotens ſolutionis factus abſque vlla ſua culpa vt ſi incendio bonâ ſuâ ſint conſumpta: ſi ipſe abreptus ſit in captiuitatem, vel inciderit in tantam paupertatem vt non poſſit ſoluere quin ſe coniiciat in extremam vel grauem neceſſitatem, excuſatur ab intereſſe, ſoluendo, ſecus eſt ſi non ſit omnino impar ſoluendo quamuis non ſine magno detrimento rei familiaris, tunc enim tenetur ſoluere termino præfixo, vel certè eſſe paratus animo compenſare, niſi bonâ fide putaret creditorem conſentire in dilationem, tunc enim non cenſeretur eſſe in mora, nec teneretur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem damni niſi anteà de eo conuentum eſſet. à ſancto Fauſto diſp. 16. de vſura. c. 79. & alij.

Quæres 2. vtrum ſit licitum à principio paciſci de aliqua pecunia, vltra ſortem reddenda, vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis,

etiam ante terminum, & moram mutuatarij, vel ratione ipſi us damni ſi quod euenerit? *Reſp.* quod ſic. ita D. Thom. quæſt. 78. art. 2. ad 1. & alij, & hoc intelligitur ſiue poſtea euenerit damnum, ſiue nõ: vt ait idem à ſancto Fauſto loc. cit. cap. 77. ad quod tres requirit conditiones. Leſſ. c. 20. de mutuo, & vſura dub. 13. n. 112. Prima eſt, vt non cogas mutuatarium, vt te adhibeat loco fideiuſſoris, ſed liberũ ei facias pignore vel fideiuſſore cauere, quia obligatio illa quod teneatur te loco fideiuſſoris accipere potiùs quam alium, eſt onus quoddam pretio æſtimabile, quod non potes ei imponere niſi forte ratione lucri ceſſantis vt ſic illud compenſes.

Secunda conditio eſt, vt non plus exigas ratione huius periculi, quàm ipſe alteri velles dare pro talis periculi redemptione, ſi pecuniam tuam in illud coniicere cogereris: hoc enim eſt ſignum te iuſtam æſtimationem non excedere.

Tertia conditio eſt, vt ſit verum periculum ex quo probabiliter timeatur incommodum.

Quæres 3. an ſit vſura mutuare frumẽtum, oleum, & vinum, vt tantumdem ſibi reddatur ex eadem ſpecie in pondere vel menſura, etiamſi tempore ſolutionis pretium eius creuerit? ad huius dubitationis ſolutionem plura ſunt dicenda.

Dico itaque 1. ſi non ſtatuatur tempus ſolutionis poteſt mutuator exigere pretium quando videt plus valere frumentum, oleum, vel numiſma: nam in eo caſu mutuatarius ſibi imputet, quod nõ priùs ſoluerit cum potuerit, modo tamen mutuator non impedierit antea fieri ſolutionem: ſi mutuatarius priùs ſoluere voluiſſet, & præterea mutuator non pro certo cognouerit debitorem non poſſe ſoluc-

re nisi eo tempore quo frumentum, oleum, vel numisma plus erant valitura.

Dico 2. si certum tempus solutionis constituatur, vel æquè est dubium plus minusue valiturum oleũ, frumentum, &c. tempore solutionis, quàm æstimatur tempore mutuationis, tunc vsura non est si frumentum, oleum, &c. mutuetur eo pacto vt tantumdem reddatur in eadem specie, pondere, vel mensura, quia par est vtriusque mutuatoris scilicet & mutuatarij conditio.

Dico 3. si certum est tempore solutionis futuræ plus valitura oleum, frumentũ, &c. quam tempore mutuationis, vel erat seruaturus vsque ad illud tẽpus vel non, si erat seruaturus licitè potest exigere vt tantumdem sibi rependat in eadem specie, & mensura, dummodo non impediat solutionem fieri antea, & deducantur expensæ factæ gratia rei custodiendæ, & æstimatio periculi corruptionis. quod si non erat seruaturus tunc non licet petere, vt sibi tantumdem reddatur, quia ex mutuo petit lucrum & pretij incrementum. ita Med. de rebus restituendis q. 38. §. est itaque in Summa Az. part. 3. l. 5. c. 7. dub 5.

Dico 4. si certum sit vel certè probabilius rem valituram minoris, potest mutuator maiorẽ quam dederit mẽsuram exigere prout id magis, vel minus certum fuerit, vt fiat æqualitas, idque siue esset rem illam seruaturus, siue non, quia qui dat mutuum potest spectare in re non solum naturalem bonitatem, sed etiam pretium, & exigere, vt restituatur æquale, non solum bonitate sed etiam pretio. ita Less. c. 20. l. 2. dub. 17. n. 146. & post eum à sancto Fausto, vbi supra q. 68.

Quæres an sit licitum pascisci ea conditione, vt

ſi mutuatarius non ſoluat tempore præfixo, certam pecuniæ ſummam reddere teneatur vltra ſortẽ in pœnam ſuæ moræ? *Reſp.* quod ſic. ita Scot. diſt. 15.q.2.Nau.c.17.n. 215. & alij multi adquod requiruntur quædam conditiones relatæ à Rebello de vſuris q.9. quarum.

Prima eſt, vt pœna non ſit contra dictamen rationis, vt ſi eſſet de re turpi.

Secunda eſt, vt non ſit contra leges quæ ratione naturali nituntur.

Tertia eſt, vt ſit moderata iuxta rationem, & men ſuram culpæ ſi enim eſſet immoderata iniquè cogeretur mutuatarius eam ſoluere, vt ſi ſuperaret capitale, vel notabilem illius partem conficeret.

Quarta vt non apponatur in fraudem vſuræ, debet enim apponi non vt ex mutuo lucrum reportetur, ſed vt mutui ſolutio vltra terminum præfixum non differatur, quia intereſt mutuanti rem ſibi reddi conſtituto tempore, tunc enim mutuatarius detinet rem alienam inuito domino: ideoque peccat contra iuſtitiam.

Quinta vt ſi partem debiti ſoluat non exigatur tota pœna ſed tantum pro rata rei quæ ſupereſt ſoluenda, ſi ſit diuiſibilis. ſecus, ſi indiuiſibilis, vt obligatus vnam veſtem conficere tali termino ſub tali pœna ſi partem tantummodo ſoluat, non liberatur à tota pœna ſoluenda, quia ſolutio illius partis eſt inuilis.

Sexta vt debitor verè ſit in culpa non ſoluendo, quia non debetur pœna ſine culpa teſte. Nau.c. 17. n. 215.

Quæres vltimò an pœna conuentionalis poſt moram incurſa debeatur ante ſententiam iudicis?

Resp. quod sic, quamuis vsus obtinuerit vt debitor non teneatur offerre mutuanti, antequam petatur, vbi tamen petita fuerit, nulla expectata sententia soluenda erit in conscientia. ita Reb. vbi supra post Couarr. Syl. & alios.

CAPVT V.

Quæ conditiones requirantur vt iustè percipiatur lucrum titulo lucri cessantis?

Resp. communiter tres duntaxat requiri quas referunt. Less. cap. 20. l. 2. dub. 11. Rebel. l. 8. de vsur. q. 6. & alij

Prima est, vt lucrum verè cesset ratione mutationis, vt si pecuniam destinatam negotiationi vel emptioni rei frugiferæ subtraham à negotiatione vt tibi mutuem, & ita amittam spem illam lucri, non incertam, sed probabilem, vel certò fututam.

Quæres 1. an qui relicta negotiatione propter mutuum datum aliam amplectitur rationem lucrãdi per artificium vel aliam industriam, & ita compensat totum lucrum negotiationis, possit exigere aliquid ratione lucri cessantis? *Resp.* quod non, quia propter mutuum non cessat illi lucrum absolutè si tamen illa ratio lucrandi sit molestior, potest illam molestiam æstimare, & pro ea exigere æstimationem, & similiter si minùs ista via lucretur quam lucraturus erat per negotiationem.

Quæres 2. an requiratur vt pecunia sit destinata certæ negotiationi, vel sufficiat vt sit destinata ne-

gotiationi in genere? *Reſp.* ſufficere, nihil enim refert ſitne certæ vel incertæ negotiationi deputata, dummodo æquè lucrum ſperetur.

Quæres 3. vtrum neceſſe ſit vt non ſit apud mutuatorem alia pecunia otioſa quàm commodè poſſit in locum mutuatæ ſupponere? *Reſp.* quod ſic. ita Nau. num. 212. addidi particulam (commodè) quia vt notat. Molina diſp. 316. etſi aliam habeam repoſitam in alios euentus, vt ad alendam familiam, ad dotandas filias, ad ſolandam ſenectutem, vel ne ſtatum meum periculis exponam, quam proinde nolo propter lucrū in aliquod diſcrimen coniicere: poſſum tamen pro lucro ceſſante paciſci, nec refert quod inani timore non audeam illam exponere, quia ſufficit abſolutè loquendo, vt nolim aliam loco mutuatæ negotiationi impendere.

Quæres 4. vtrum qui antequam mutuet, pecuniam ſuam negotiationi ſubtrahit, vt amico quem ſcit petiturum poſſit mutare, licitè paciſci poſſit de lucro ceſſante? *Reſp.* quod ſic. quia ſcilicet cum damno meo pecuniam meam ex ſtatu fœcundo ad ſtatutum ſterilem reduxi vt tibi mutuarem, negotium enim tuum cum meo damno geſſi, nec refert quod eo caſu mutuatio non ſit cauſa immediata lucri ceſſantis, ſufficit enim quod ſit cauſa mediata, ſubſtractio verò pecuniæ à negotiatione eſt cauſa immediata, quæ facta eſt tui cauſa, & te quodammodo volente. ſic Leſſ. loc. cit.

Quæres 5. vtrum qui pecuniam deſtinauit negotiationi non abſolutè, ſed ſub conditione, vt ſi dicam, vellem negotiari niſi multi mutuum peterent, poſſit huiuſmodi aliquid exigere ratione lucri ceſſantis? *Reſp.* quod ſic, modo non exigat amplius quam ſpes lucri ceſſantis, detractis expenſis,

& laboribus, valebat, & tamen retineat animum negotiandi illâ pecuniâ si mutuum non peteretur.

Secunda conditio, vt mutuans non exigat totũ, & integrum lucrum quod sua pecunia negotiis, exposita erat lucraturus: quia cum illud lucrum sit adhuc in potentia, possitque multis modis impediri, non tantum valet quantum quando est in actu, & consequenter non potest accipi tantum quantum est futurum: sed aliquam partem illius lucri sperati deductis laboribus, & expensis ob illud subeundis. vt si sperabas decẽ in centum non potes ratione lucri cessantis exigere plus quàm septem aut octo, si expensæ ob illud subeundæ tribus aut duobus æstimentur.

Tertia conditio vt pretium lucri cessantis non soluatur statim cum mutuum recipitur: quod est, sic intelligendum, vt nihil diminuatur seu detrahatur de summa mutuata pro pretio lucri cessantis soluendo. vt v.g. si propter mutuum centum aureorum demam nouem aut octo pro lucro cessante statim à principio reddendo, & tamen postea cogerer centum soluere, esset vsura, quia reuera solummodo accepi nonaginta duo, non autem centum, quia dũtaxat retinui apud me nonaginta duo, & non centum. si tamen nihil detraheretur de Summa pecuniæ mutuatæ pro solutione lucri cessantis, sed aliunde soluatur, vt dando aliquid pecunia æstimabile quod æquiualeat lucro cessanti, statim ab initio mutuationis recipi poterit, vt v.g. aliquot paria caponum ex iis quos domi nutris. sic Rebell. & alij.

Quæres an sit licitum paciſci de lucro cessante, quando mutuator mutuat spontaneè; an verò re-

Digitized by Google

quiratur, vt rogatus mutuet? *eſp.* R non eſſe attendendum an rogatus mutuauerit, vel ſponte ad id ſe obtulerit, quia æqualitas, & iuſtitia contractus non pendet ex eo quod deſideres vel non deſideres illum fieri. ita Nauar. c. 17. n. 212. in hoc tamen caſu debet mutuatarius ſtatim in principio mutui de lucro ceſſante moneri.

Quæres 2. vtrum ratione carentiæ pecuniæ ſeu obligationis, non repetendi ante certum tempus poſſit aliquid exigi. vt ſi mutuem tibi mille aureos ad vnum annum, priuans me non ſolùm pecuniâ, ſed etiam facultate repetendi, per tantum tempus? ad hoc reſpondet Med. Cod. de reſt. q. 32. §. inde refertur, quod ſit licitum: tum quia quælibet obligatio ciuilis eſt pretio æſtimabilis, hic autem interuenit obligatio non repetẽdi ante tantum tempus, ergo &c. tùm quia hæc obligatio eſt onus quoddam indebitum, ergo non teneor illud ſubire gratis, ſed poſſum aliquid petere pro illo ſubeundo. tùm quia ſicut priuare ſe inſtrumento ſuæ artis eſt quid pecunia æſtimabile. ita etiam onus carendi pecunia ſua tanto tempore, cum pecunia ſit inſtrumentum mercatorum. tùm denique quia id poſtulat, commune bonum Reipub. nam cum multi pecuniâ egeant, nec facilè inueniri queant qui velint mutuare gratis, partim ratione periculi ſortis, partim ne ſe priuent commoditate, variis modis negotiandi, & maximè per cambia quæ hoc tempore vigent, æquum eſt vt mercatores ſpectatis omnibus circumſtantiis communi conſenſu conſtituant certa pretia carentiæ pecuniæ, ex quibus ea carentia poſſet pro tempore pluris vel minoris æſtimari, & hic videtur eſſe vſus Platææ Lugdunenſis, quò mercatores quotidie conueniunt, &

habita ratione copiæ vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, & omnium lucrandi rationum in quibus opus est præsenti pecunia, statuunt pretium sex aut septem, octo aut nouem, vel etiam decem in centum pro eo quod tanto tempore sua pecunia careant, nec ante terminum constitutum liceat repetere. hæ sunt rationes speculatiuè consideratæ quibus nititur hæc opinio propter quas speculatiuè considerata probabilis videtur Less. loc. cit. dub. 16. & etiam Reginald. lib. 25. c. 12. num. 246. nec damnare audent mercatores qui ita se gerere cõsueuerunt, imò excusabiles esse aiunt, quamuis eam non esse in praxi admittendam tutiùs, & securiùs iudicent ne aperiatur ostium vsuris prætextu periculi palliandis: & vt ego referam quid sentiam de hac re dicam paucis, hanc opinionem videri mihi tutam in conscientia; & in praxi hoc tempore amplecti, & consuli posse, tùm quia non ausim damnare tot mercatores timoratæ conscientiæ qui id agũt præsertim ex consilio virorum doctorum quos ipsi quotidiè consulunt, quique dicunt hoc licere, tùm quia huic carentiæ pecuniæ ordinariè loquendo solent admisceri, & coniungi varii tituli, ex quibus suprà ostendimus posse in mutuo accipi aliquid vltra sortem, & 1. illic reperitur periculum sortis amittendæ, periculum inquam non quidem incertum, sed probabile, vel quasi certum, multi enim mercatores qui secundum vulgi opinionem existimantur ditissimi telonio cedunt, ex quo creditores exponuntur periculo amittendi integram sortem vel tertiam aut dimidiam partem, & hoc satis experientia constat, præsertim à decem annis. 2. reperitur labor, diligentia, & molestiæ in parandis

randis pecuniis mutuo dandis, qui titulus, vt docuimus ſup. ex Valent. eſt iuſtus, licetque eâ ratione aliquid vltra ſortem accipere. 3. reperitur etiam non rarò lucrum ceſſans quia ex hac pecunia mercatores negotiarẽtur. his titulis accedit, & titulus ſocietatis quam ineunt mercatores in negotiando. hîc etiam interuenit donatio liberalis, mercatores enim ſpontè donare malunt mutuatori aliquid vltra ſortem vt ſic, & conſulant honori, & creditum ſeruent quæ cedendo telonio amittunt, ac in hoc perinde ſe habent ac qui, vt vitent naufragium vel omnes merces, vel aliquam illarum partem in mare proiiciunt, nam etſi hæc proiectio videatur inuoluntaria, tamen abſolutè eſt libera; ita etiam hæc donatio lucri ſupra ſortem eſt abſolutè libera non coacta.

CAPVT VI.

De vſura pro vt reperitur in contractibus aliis à mutuo.

SCiendum eſt duplicem eſſe vſuram, vnam manifeſtam ſeu expreſſam, & formalem, aliam palliatam, implicitam, ſiue tacitam: vſura manifeſta eſt quando vſuratium pactum apertè ſignificatur, ſeu manifeſtis ſignis exercetur de lucro ſoluendo. vſura palliata eſt in qua pactum aut ſaltem mutuum, non explicatur apertè, ſed velatur ſpecie alterius contractus quo ipſum continetur virtute; hæc autem vſuræ ſpecies vagari poteſt per omnes contractus, de quibus hîc pauca ſubiicienda ſunt.

Quæres itaque 1. quomodo cognoſci poſſit vſura quæ interuenit in contractibus emptionis, & venditionis? *Reſp.* cognoſci 1. cum quis maiore pretio ſuas merces propterea vendit, quod illud non ſtatim ſed per longum tempus ſoluatur.

Secundò cum quis emit merces viliori pretio, quia ſoluit ante tempus ſeu antequam merces ipſas accipiat.

Tertiò cũ quis deberet ſoluere in fine anni centũ aureos, ſoluit tantũ octuaginta, quia ſoluit per quatuor aut quinque menſes ante finem anni: hæc enim omnia fiunt ratione dilatæ vel anticipatæ ſolutionis, & ſic includunt mutuum, & lucrum ex mutuo atque adeo vſuram.

Quartò cum quis cogitur emere merces aliquas triginta aureis cum pacto, vt ſtatim reuendat viginti quinque aureis. vbi tamen notabis non eſſe vſuram ſi emptor poſtea liberè reuendat eaſdem merces venditori minori pretio, quia cum eo caſu quilibet alius poſſet eas ſibi comparare minore pretio quam fuerant emptæ, ita etiam, & prior venditor: cùm in hoc non ſit deterioris conditionis quam alij, dummodo ſincerè agat cum ſuo emptore.

Quæres 2. quando reperiatur vſura in pignore? *Reſp.* tunc reperiri cum quis vtile, & fructuoſum pignus accipit, & eo vtitur percipiendo fructus, quos tamen non computat in ſortem, tunc enim lucrum habet ex mutuo, & proinde eſt vſurarium, quia à debitore accipit quantum mutuum dederat, & præterea pignoris fructus: quare creditor ne ſe vſuræ labe contaminet, debet in ſortem pignoris fructus computare, ſimiliter dicendum eſt de eo qui pignus accipit à debitore, cum pacto vt ſi de-

bitor ad præfinitum tempus non ſoluat, pignus cadat in dominum ipſius creditoris, vſurarium eſt implicitè.

Quæres 3. quo titulo gener recipere licitè poſſit fructus ex re pignoratitia quamuis non computet, eas in ſortem dotis promiſſæ pro vxore? *Reſp.* fructus illos percipere pro oneribus matrimonij ſupportandis, vt pro alenda vxore, & familia, itemque titulo lucri ceſſantis, & damni emergentis ex dote non ſoluta incurrendi: ideoque non tenetur eos computare in ſortem, poteſtque illos repetere non tantùm à ſocero, ſed etiam ab eius hæredibus. hîc tamen notabis quod ſi gener pro dote nõ ſoluta percipiat fructus pignoris priuſquam alimenta vxori præſtet, teneri illos computare in dotem, quia tunc ceſſant onera quorum cauſa tales fructus dantur, niſi fortè interueniat titulus donationis ex parte ſoceri omnes fructus perceptos ex pignore liberaliter remittentis. vide Reb. loc. cit. q. 12.

Quæres 4. quid dicendum de vidua, quæ ſoluto matrimonio percipit fructus pignoris, ei pro ſecuritate dotis aſſignati? *Reſp.* incidere in crimen vſuræ, quia tale pignus ſolet dari ſolummodo in dotis ſecuritatem, ſi tamen adſit lucrum ceſſans vel damnum emergens, poterit fructus ſuos facere abſque tali vſura. Reb. l. 6. q. 11. ſect. 2. Leſſ. de vſur. cap. 16.

Quæres 5. quomodo detegatur vſura palliata in cõtractu ſocietatis? *Reſp.* hoc pacto poſſe dignoſci, ſi quis initâ ſocietate cum aliquo conferat in commune centum aureos, eâ conditione vt omnino vel ex parte ſint ſalui, & nihilominus æqualem lucri partem accipiat, perinde eſt ac ſi centum num-

mos aureos dediſſet, centum, & decem à ſocio recepturus.

Quæres 6. quomodo in cambiis vſura deprehendatur? *Reſp.* deprehendi quando ex cambio lucrum exigitur, propter temporis moram, quia perinde eſt ac ſi daret mutuò centum, vt recipiat ad tempus centum, & decem, tunc verò ratione temporis ex cambio lucrum accipitur cum quis dat pecunias eas receptūrus cum lucro in eodem loco vbi dedit, de qua re infra latius.

CAPVT VII.

An vſurarius acquirat dominium vſurarum?

HIc duo quæri poſſunt, primum eſt an auctarium quod percipit vſurarius, immediatè ex mutuo ſit illius nec ne? 2. eſt, an res ex auctario poſtea comparata penes eū maneat, & ſi maneat quo titulo? de quibus priuſquam dicamus quid ſit ſentiendum, notandum eſt res per vſuram acquiſitas poſſe eſſe in duplici differentia, aliæ enim ſunt vſu conſumptibiles vt pecunia frumentum oleum, &c. aliæ verò vſu non ſunt conſumptibiles, vt ager, fundus domus, &c. quo ſic notato,

Dicimus 1. ſi res per vſuram accepta conſiſtat in numero, pondere & menſura vt pecunia, frumentum, &c. & ita permiſceatur cum re vſurarij eiuſdem generis, ita vt amplius ſeparari, & diſcerni non poſſit, tunc eius dominium transfertur in

vſurarium, quia vnus modus acquirẽdi dominium eſt per admixtionem vnius rei cum alia eiuſdem generis, ſiue materiæ, quãuis probabile ſit, quòd quandiu extat cumulus iſte aliquo modo idẽ permanens ſiue apud vſurarium, ſiue apud aliũ, cum cuius res ibi permixta eſt habere ius in re, & poſſe ex eo accipere quantum è re ſua ibi permixtum eſſe nouit. vt rectè Leſſ. loc. cit. dub. 18.

Dicimus 2. ſi res vſurariæ ſiue ſint vſu conſumptibiles, ſiue non, extent eædem ſpecie, non acquirit vſurararius earum dominium. quia per contractũ vſurarium qui per omnẽ legem nullus eſt, nullum transfertur dominium, ſed contractus vſurarius per omnem legem eſt nullus: ergo &c.

Dicimus 3. ſi res vſuraria ſeu auctarium eſt vſu conſumptibile, tunc ſi quid ex eo acquirit vſurarius habet dominium illius quod acquirit: vt ſi negotiando, ludendo, vel emendo aliquid acquiſiuit. Ratio eſt quia huiuſmodi lucra ſunt ex propria induſtria & diligentia vſurarij, non autem ſunt fructus pecuniæ, ſicut ſi depoſitarius aliquid emat ex pecunia depoſita ſibi acquirit. item fur ſi quid acquirat ex pecunia furtim accepta, ſibi lucratur licet omnes iſti teneantur reſtituere pecuniam alienam acceptam, & omne lucrum ceſſans, & damnum emergens. ſic Azor. de vſuris c. 13.

Dico 4. ſi res vſuraria eſt fructifera, tunc vſurarius non habet dominium fructuum, ex ea perceptorum quia ſicut vſurarius non habet dominium rei vſurariæ fructiferæ, ſic nec habet dominium fructuum ex ea re perceptorum, quia ſunt fructus rei non induſtriæ.

CAPVT VIII.

An vsurarius teneatur ad restitutionem?

TItulus huius capitis intelligitur tam de vsurario reali quam de mentali, vsurarius realis in proposito dicitur ille qui mutuatario explicat suam prauam mentem pacto explicito vel implicito mentalis vero vsurarius dicitur, non is qui solùm habet interiorem voluntatem accipiendi aliquid vltra sortem ex vi mutui, sed is qui auctarium ex vi mutui recipit, quamuis non explicet hanc prauam voluntatem suam vllo pacto expresso vel tacito. quo sic prænotato

Quæritur 1. quid, & quantum teneatur vsurarius restituere? *Resp.* vsurarium non tantùm realem, sed etiam mentalem, debere restituere id omne quod ex vi mutui accepit vltra sortem, si putat aut putare debet mutuatarium ex vi mutui dedisse, quia cum vsurarius tam mentalis quam exterior recipiat lucrum vsurarium iniusto titulo, credibile est mutuatarium non velle conferre illius dominium, vlli illorum, sed dare tantùm vi mutui, vnde addidi in responsione (si putat aut putare debet mutuatarium dare ex vi mutui) si enim probabiliter putaret illum dare gratis, iam non esset vsurarius mentalis, & licet tunc mutuatarius reuera dedisset propter mutuum tamen bonâ fides excusaret mutuantem à peccato, & obligatione restituendi, deberet tamen is cum primùm sciret alterum dedisse ob mutuum, restituere, non quidem ratione iniustæ acceptionis, sed ratione rei acceptæ: vnde

ſi rem acceptam bonâ fide conſumpſiſſet, nec factus eſſet ex ea ditior nihil reſtituere deberet. vt bene notauit Caiet. ad quæſt. 78. D. Thom. articulo 1.

Si verò contra contingeret, vt mutuatarius reipſa daret gratis, mutuans autem acciperet malâ intentione quaſi datum ob mutuum, tunc quidem ſi ad rem acceptam attendamus, nihil deberet mutuans reſtituere, quandoquidem reuera non accepit contra voluntatem mutuatarij, deberet tamen tunc ratione conſcientiæ erroneæ reſtituere. quod ſi reſciret mutuatarium ſpontè dediſſe, poſſet licitè donationem acceptare, nec debet illi quicquam aut pauperibus reſtituere, quia res accepta non retinetur domino inuito.

Quæritur 2. an vſurarius teneatur reſtituere fructus rei fructiferæ perceptos? *Reſp.* quod ſic, imò etiam fructus omnes quos deſiit percipere negligentia vel culpa ſua, quia per hanc culpam ſuam læſit eum à quo rem fructiferam per vſuram accepit, & ſibi imputare debet quod fructus non perceperit: eos enim Dominus rei percipere potuiſſet.

Quæres 3. an teneatur reſtituere fructus quos percepit, quos tamen dominus rei non fuiſſet alioquin percepturus, vel ob negligentiam ſuam vel ob aliquem caſum fortuitum? *Reſp.* teneri quia ſatis eſt quod ſint fructus rei, & percepti ab vſurario. modo fructus ſint naturales aut mixti: ſecus ſi merè induſtriales, vt dictum eſt ſupra cum egimus de poſſeſſore malæ fidei.

Quæres 4. an teneatur reſtituere fructus quos deſiit percipere ob negligẽtiam ſuam, & quos etiam alioquin dominus rei non percepiſſet ob ſuam ne-

gligentiam? *Resp.* non teneri, quia nec ratione rei alienę tenetur, cũ nihil acceperit, nec aliquid extet apud ipsum, nec ratione iniustæ acceptionis, quia nullos fructus percepit, nec illos dominus rei percepturus erat. preterea tenetur vsurarius restituere omnes fructus rei fructiferæ apud ipsum extantes: itemque omne damnum emergens, & lucrum cessans.

Quæres 5. quibus teneatur vsurarius restituere? *Resp.* his à quibus vsuras accepit quod si mortui sunt eorum hæredibus, vel his qui nomine ipsorum possunt acquirere, quod si nec hæredes extent, pauperibus restituat. Item quandocumque mutuatarij sunt ignoti, siue incerti, tenetur pauperibus restituere.

Quæres 6. an possit vsurarius alienare bona sua? *Resp.* non posse alienare bona per vsurã parta, quæ non sunt vsu consumptibilia, vt domũ, &c. si verò sunt vsu consumptibilia, & alia habet ex quibus potest restituere, potest etiam illa alienare, & donare cui voluerit. si autem fiat impotens solutionis illa alienando adhuc est distinguendum, quia aut alienat per contractus qui dicuntur onerosi ex quibus tantumdem recipitur, quantum datur, vt per emptionem, & hoc modo licet ei alienare, si verò alienat per contractus gratiosos sic dictos, ex quibus non tantumdem recipitur, vt per donationem dotationem filiæ, &c. non potest ea alienare. ita D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. in resp. ad 2. quamuis alij censeant adhuc per hos contractus gratiosos posse alienare, quamuis fiat impotens ad restituendum: dummodo ipse sponte donet vendat aut emat, & à donatario ad donandum non fuerit inductus. nam si donatarius induxerit sciens vsurarium, ita donã-

do fieri impotentem ad reſtituendum præterquam quòd creditores poterunt ab eo repetere quod eſt donatum, tenetur habere voluntatem reſtituendi ſi vſurarius non reſtituat, aut ſua induſtria non poſſit tantum lucrifacere, quantum donauit. Leſſ. loc.cit.dub.19.

Quæres 7. an vſurarius teneatur reſtituere ea quæ conſumpſit, cauſa grauis aut extremæ neceſſitatis? *Reſp.* quod non. Item nec quæ conſumpſit ordinarij victus cauſa, vel etiam cauſa decentiæ ſtatus, aut proprij honoris aliàs legitimè acquiſiti, maximè ſi ex talibus moderatis ſumptibus non putaretur moraliter loquendo fieri inhabilis, ad reſtitutionem faciendam poſtea, eo modo, & tempore quo omnibus conſideratis iudicaretur teneri reſtituere, tunc enim minùs rationabiliter poſſunt creditores ægre ferre tales alienationes bonorum: ſi quidem eo tempore non habent ius, vt ipſis cũ detrimẽto honeſti ſtatus proprij, vſurarius ſatis faciat, & maximè ſi is propterea non redditur inhabilis ad ſatisfaciendum poſtea, vnde ſequitur verũ eſſe quod ait Nauar. c.17.n.268. vxorem, & liberos vſurarij poſſe licitè recipere victum ordinariũ ab ipſo, imò & famulos neceſſarios. itaque ſi vſurarii, & alij debitores aliunde licitè honorem acquiſierunt, non tenebuntur cum notabili detrimẽto honeſti ſui ſtatus reſtituere ſatis enim eſt, ſi quãtum commodè fieri poſſit, ſumptibus parcant, & ab extraordinariis donationibus abſtineant, ſtudeantque parcè viuere, vt poſſint ſine detrimento ſui ſtatus ſatisfacere, aliàs eſſet onus intolerabile, & quod creditor ſi eſſet in ſimili neceſſitate, nec poſſet nec deberet rationabiliter ſuſtinere, vnde is æquo debet ferre animo, vt alter expectet tempus

commodum ad reſtituendum. Secus dicendum ſi more latronum quidquid habet honoris per iniuſtas tantùm actiones acquiſiuiſſet, talis enim non haberet ius ad conſeruandum eiuſmodi ſtatum, ſed deberet ſtatim cogi ad reſtituẽdum: ac de tali videntur potiſſimum intelligendi nonnulli Doctores quando ſimpliciter negant poſſe vſurarium alienare aliquid per contractus non oneroſos extra neceſſitatem extremam.

Quæres vltimò an hæredes vſurarij teneantur ad reſtitutionem? *Reſp.* 1. quod ſic, in vtroque foro, & ciuili, & pœnitentiali? *Reſp.* 2. non ſolùm teneri reſtituere vſuras, ſed etiam dãna quæ ſequuta ſunt mutuatarijs à quibus vſuræ ſũt extortæ? *Reſp.* 3. hæredes non teneri in ſolidum, nec alterum pro altero, ſed ſingulos tantummodo pro parte ſuâ iuxta vires hæreditatis: vnde ſequitur quod ſi fuerint duo hæredes, quorum vnus nolit reſtituere, alter non teneatur in integrum, ſed ſolùm pro rata ſuæ partis, ſecus eſſet ſi res vſuraria extaret in ſpecie: nam hæc ad quemcumque deuenerit; eſt reſtituenda. Syl. verbo vſur. 6.

Quid de legatariis dicendum? *Reſp.* legatarios aut donatarios non teneri ad reſtitutionem ſi illa quæ hæredibus relicta ſunt ſufficiunt ad debita ſoluenda, & ad portionem iure hæredibus debitam. ita Med. q. 4. de vſur. §. ad quintum principale, ſi autẽ bona hæredibus relicta non ſufficiunt, vt ipſi ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, vel quartam iure debitam, tunc legatarij, & donatarij tenentur contribuere ſeruatâ proportione, vt ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, vel quartam illam quæ in iure appellatur falcidia. Leſſ. loc. cit. dub. 20.

CAPVT IX.

Quid de cooperatoribus in vſuris dicendum?

COoperatores in vſura sũt in duplici differẽtia quidam enim horum agunt partes vſurariorum, quidã verò gerunt rem mutuatariorum. vnde

Quæritur 1. an qui agunt partes vſurarij teneantur ad reſtitutionem? *Reſp.* quod ſic. & 1. Conſulens, ſuadens, & iubens. vt vſurarius conficiat vſurarium contractum, vel aliquid facit, vt vſuræ acquirantur, & exigantur: ſi verò conſulat poſt contractum abſolutum, non tenetur. ita Azor. de vſur. c. 18. 2. Iudices, Principes, Aduocati, Procuratores, qui authoritate, ſtatuto, aut lege cauſa ſunt, vt fœneratores exigant vſuras, vel non reſtituant, vel ne repetantur ſolutæ, & quidem tenentur in ſolidum vſurario non reſtituente. Nau. c. 17. n. 275. 3. Confeſſarij qui audiunt confeſſionem vſurarij, ſi verbis ſuis ſunt cauſa efficax, vt non reſtituat, tunc autem ſunt cauſa efficax vt non reſtituat quando interrogati an ſit reſtituendum, reſp. quod non, quod ſi Confeſſarij deſinunt ſolummodo monere pœnitentem vt reſtituat, ad nihil tenentur, quamuis peccent moraliter ſi data opera, & aduertenter omittãt: ſecus ſi inaduertenter aut ex obliuione, ſicut ſæpè contingere ſolet. Idem dicẽdum de Tutoribus, Curatoribus, & adminiſtratoribus, qui nomine illorum quorum cauſam agunt exercent vſuras, hi enim tenentur reſtituere in ſolidum, & principaliter: ipſi vero quorum bona adminiſtrant non tenentur niſi quatenus ex vſioris aliquid conuer-

ſum eſt in bonum ipſorum, ſi verò vſuras exercent de conſenſu eorum quorum bona adminiſtrant, vtrique tenentur reſtituere in ſolidum: ſed principaliter ij quorum nomine, vſuræ ſunt acceptæ, alij verò minus principaliter, hoc eſt ſi primi non reſtituant. ſicSot.de iuſt. l.6.q.1.art 4.

Præterea famuli,& factores vſurariorum,qui nomine fœneratorum exigunt vſuras,vrgendo ſolutionem,vel contractum vſurarium celebrant,cooperando peccato vſurarij,& illi participando, aliquo ex modis quo quis alieno peccato participare poteſt, tenentur in ſolidum, & ſecundo loco poſt fœneratores. Alij vero qui nõ cooperantur in vſurario contractu celebrãdo,ſed ſolùm ſeruiunt ante vel poſt initum contractum,vt proxenetæ qui quęrunt eos,qui pecuniâ egent,& adducunt ad vſurarium,ij non tenẽtur ad reſtitutionem potiùs enim præſtant beneficium, quam iniuriam inferunt. ita Leſſ.de vſur.dub. 21. ſimiliter famuli qui recipiunt pignora eaque aſſeruant,qui numerant pecuniam, & in libros rationum referunt, ſcribendo mutuum quod datur,vel ſolùm recipiunt vſuras quas ſoluit mutuatarius,vel ſolùm petunt à mutuatario vſuræ ſolutionem,vel ſolùm geſtant,aut ſeruant, aut numerant pecuniam in dando vel accipiendo mutuo, nec peccant,nec tenentur ad reſtitutionem.ita Sotus loc.cit.Syl.verb.vſur.7.q.4.& alij.

Demum Notarij qui inuito mutuatario conficiunt ſcienter inſtrumentum vſurarium,illud palliando nomine mutui aut venditionis, vel ita conficiunt,vt contineat vſuram quæ in ipſo non exprimitur,v.g.quia in inſtrumento dicitur mutuatariũ debere centum, cum tamen debeat tantum nonaginta,tunc obligãtur in ſolidum ad reſtitutionem,

ſi verò inſtrumentum apertè contineat vſurá, tunc non obligantur ad reſtitutionẽ, quia vi inſtrumenti non poteſt mutuatarius cogi in iudicio ad ſoluendas vſuras niſi vbi fuerit conſuetudo, vel lex vt tales ſoluantur. ſic Angel. verbo reſtitutio, 1. verſu vſurarius, n. 6. Syl. verb. vſ. 7. q. 7. & alij, licet peccent mortaliter quia ſoluunt iuramentum factum de non faciendis contractibus vſurariis, verùm ſi Notarij conficiant inſtrumentum volente mutuatário quamuis peccent mortiferè propter violationem iuramenti, non tamen aſtringuntur ad reſtitutionem.

Quæres 2. an liceat deponere pecuniam apud vſurarium, qui eamdem ſub vſuris daturus creditur? *Reſp.* 1. ſi habeat aliam, vel facilè habiturus eſt ad vſuras exercendas, nullum eſſe peccatum. ſi verò nullas, habeat tunc peccatũ quidem eſt cõtra charitatem, non autem contra iuſtitiam, niſi neceſſitas aliqua excuſet. Idem dicendum ſi pecuniam vſurario mutues vel per alium contractum tradas, ſaltem non intendendo vt eo modo vſuras exerceat.

Quæres 3. an ſit licitum petere mutuum à fœneratore ſub vſuris? *Reſp.* quod non, niſi mutuatarius eſſet in extrema neceſſitate cõſtitutus. ita Syl. verb. vſ. 7. liceret tamen petere mutuũ à fœneratore rogato dare ſub vſuris non ſolùm pro bono neceſſario, ſed etiam vtili vel delectabili, proprio vel etiam alterius, vt propter ludos, ſpectacula, conuiuia, imò etiam indifferenti. ita Caiet. 2. 2. q. 78. art. 4. Angel. verbo. vſ. 2. n. 2. item ſi quis petat mutuum pro opere, quod ſit peccatum veniale, vt pro otioſè ludendo, vel epulando, Caiet. & Sotus dicunt peccare tantum venialiter.

Quoad alias pœnas iure commmuni ſtatutas in

vsurarios, consulendi Angel. Syl. Az. Less. Nau. & alij locis citatis: quæ omnes solùm sunt intelligendæ de Notorio vsurario qui talis est quando nulla tergiuersatione celari potest, siue ex facti euidentia siue ex iure, hoc est ex confessione in iudicio facta, aut ex sententia, vnde non sufficit vt crimen suũ fateatur extra iudicium coram Testibus, aut Confessario, vel infamia laboret, aut adsint argumenta aut indicia vsuræ contra eum. sic Az. loc. cit. c. 19. & hæc de vsura satis.

TRACTATVS DVODECIMVS, DE CENSIBVS.

CAPVT I.

Quid sit census, quotuplex, & an sit licitus, seu licitè vendi queat?

DIco 1. censum (vt hîc accipitur) esse ius percipiendi annuam pensionem, ex re vtili, vel persona alterius. census appellatur ius, quia in proposito, census non est ipsa pensio soluenda: sed ius quoddam ad exigendum quotannis certam pensionem ab alio, cui iuri respondet in alio obligatio soluendi. hinc fit vt qui censum vendit non vendat pecuniam, aut fructus annuos, vt quidam putarunt; sed ius quoddam percipiendi certam pecuniæ summam, vel certos fructus: quæ certè plurimum differunt. dixi (ex re alteriùs) quia nemo su-

per re ſua propriè dicitur cenſum vel reditum habere, cum habeat in ea ius multò perfectius, nempe dominium, ſed tantùm ſuper re alterius, in quā ipſe ratione cenſus nullum ius habet, niſi ad exigendam ex ea penſionem, cum dominium directū, & vtile ſit apud alterum, addidi (vtili) quia cenſus ſuper re inutili conſtitui nequit: poteſt tamen conſtitui ſuper re mobili & vſu conſumptibili, modo ſit in ſtatu fructificandi vt ſuper animalibus, & pecuniis negotiationi expoſitis. tandem dixi (vel perſonâ alterius) quia etiam ſuper perſona nuda hoc ius conſtitui poteſt, modo arte, & induſtriâ aliquid comparare valeat.

Quæres 1. vtrum licitè poſſit emi, & vendi cenſus? *Reſp.* quod ſic, eo quod ius quod quis habet ad percipiendam vtilitatem ex aliqua re, eſt pretio æſtimabile: ergo eſt vendibile, & per venditionem poteſt transferri in alterum pro pretio æquali non minus quam cætera pretio æſtimabilia. ita tenent communiter omnes Doctores, ex Mart. 5. & Calix. 3. titulo de empt. & vendit.

Quæres 2. vtrum licitè poſſit emi, & vendi cenſus, de nouo inſtitutus ſuper re aliqua? *Reſp.* quod ſic. ita Nauar. comment. de vſur. n. 69. & ſeq. Sotus lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 5. art. 1. quia prædicti Pontifices Mart. 5 & Calix. 3. in ſuis extrauagantibus dicunt cenſus qui habent conditiones ibidem poſitas eſſe licitos, & iuſtos: nec diſtingunt inter antiquos & nouos, ſed in genere de omnibus loquūtur. 2. quia antiqui aliquando fuerunt noui, & lapſus temporis non fecit eos eſſe iuſtos, ergo ſicut antiqui vendi poſſunt, ita & noui, & quamuis hoc ius propriè non præextiterit, aliquo modo tamen, & impropriè extabat in venditore, quatenus ha-

bebat ius percipiendi pensionem ex re sua (quamuis tunc nunc vocaretur census) quod ius sicut alteri dare poterat, ita etiam vendere, tanquam rem modò extantem.

Quæres 3. quid est illud ius quod venditur, seu facultas illa percipiendi censualem pensionem? *Resp.* nihil aliud esse quàm censualistam siue emptorem, posse iam meritò, & iure percipere ex re pensionem, sicut poterat rei dominus: quæ facultas licet non sit formaliter ens reale extra animam, sed tantùm relatio quædam rationis: tamen moraliter loquendo magni æstimatur, & tanti quanti pecunia.

Dico 2. varias esse census diuisiones, & 1. diuiditur in reseruatiuum, & consignatiuum: reseruatiuus dicitur quãdo quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, & vtile, donãdo, legendo, vendendo, aut permutando, seruata sibi pensione annua super eadem re: talem censum constituit Ioseph, in omnibus terris Ægyptiorum, præterquam sacerdotum, cum eas emptas, & subiectas dominio Pharaonis Ægyptiis restituit, vt patet Genes. 47. & de hoc hîc non est quæstio. consignatiuus dicitur quando quis super bonis, suis quorum dominium directum, & vtile retinet, vel etiam super persona sua, alteri ius pensionis annuæ consignat, & de hoc hîc est agendum, & hic census diuiditur in realem, personalem, & mixtum. realis est qui super re aliqua fundatur, ita vt ex ea re pensio debeatur; personalis est, qui immediatè super personam, quæ se obligat ad pensionis solutionem constituitur.

Quæres 1. an sit licitus hic census qui constituitur super personam? *Resp.* quod sic, dummodo per-

ſona ſit talis. vt velit, & poſſit propriâ induſtriâ, & opera parare ſibi vtilitatem aliquam, cuius penſionem vendit. quod ſi non ſit talis, non poteſt ſuper eam conſtitui cenſus. ita Sot. l. 6. de iuſt. q. 5. art. 1. Medina q. 1. de cenſibus.

Cenſus mixtus eſt qui conſtituitur ſuper perſona, & ſuper re immediatè, ita vt etiamſi res pereat, perſona tamen maneat obligata.

Quæres 2. vtrum in cenſu reali pereunte re vel ex parte vel in totum, pereat ſimiliter cenſus? *Reſp.* quod ſic, dummodo res pereat abſque negligentia venditoris ſeu cenſuarij, & non fuerit ei annexus contractus aſſecurationis: quod fieri poſſe tenent omnes ferè Doctores. dixi (ſi res pereat abſque negligentia venditoris) quia ſi accideret ex eius negligentia, tunc titulo damni illati teneretur penſionem ſoluere: quia eſſet cauſa damni. ita Greg. de Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 22. puncto 2. dixi (ſi non fuerit ei annexus contractus aſſecurationis) quia ſi ita ſit, tenebitur venditor, ſi iuſtam compenſationem acceperit ad ſoluendum pretium cenſus, ſeu cenſuales penſiones, caſu quo res pereat, in qua conſtitutus eſt fundus.

Sed hic oritur quæſtio, vtrum ſit licitum emere cenſum cum pacto, vt ſi res cenſui ſubiecta caſu pereat, teneatur venditor ad penſionem? *Reſp.* cum Leſſio licere: quia pactum illud eſt contractus aſſecurationis, atqui pactum ſeu contractus aſſecurationis aliis contractibus licitè addi poteſt ergo etiam contractui cenſus. vide Leſſ. l. 2. cap. 22. dub. 11.

Secundò diuiditur cenſus conſignatiuus in fructuarium, & pecuniarium. fructuarius eſt ex quo debentur fructus, vt frumentum, vinum, &c. pe-

cuniarius ex quo pecunia. hos autem census esse licitos docet Conradus quæst. 75. de contractibus.

Tertio diuiditur in censum certum, & incertum, certus est cum determinata pecuniæ summa, vel fructuum mensura in pensionem constituta est, incertus cum indeterminata: v. g. tertia vel quarta pars fructuum constituitur soluenda, & hic modus est tantum licitus in censu reseruatiuo. ita Less. l. cit. dub. 2.

Quarto diuiditur census in perpetuum, & temporalem, & rursus perpetuus diuiditur in redimibilem, & irredimibilem, temporalis verò diuiditur in eum qui extenditur in tempus certum, v.g. decem vel viginti annorum, & in eum qui in incertum, vt ad vitam vnius vel duorum hominum, qui vitalitius dicitur. vide Maiorem in 4. dist. 15. q. 34.

Quæres 1. an sicut licitus est census in rebus immobilibus fundatus, ita etiam sit licitus in rebus mobilibus, ac vsu consumptibilibus, & licitè vendi queat, vt in animalibus & pecuniis negotiationi expositis? *Resp.* quod sic, dummodo res consumptibiles vsu, & mobiles sint in statu fructificandi. quia huiusmodi census sunt pretio æstimabiles, & venditor ius habet percipiendi vtilitatem ex illis, ergo potest illos licitè vendere. ita Sot. lib. 6. de iust. q. 5. art. 1.

Quæres 2. an sit licitum vendere censum ex rebus omnibus alicuius nullam certam determinando? *Resp.* licere, quia verè habet quis ius percipiendi vtilitatem ex omnibus suis rebus indeterminatè: ergo potest illud vendere, ita Couarr. lib. 3. Var.

resolut.c.7.n.5.& 6.contra quosdam,qui id absque fundamento firmo negant.

Quæres 3. vtrum sit licitum constituere censum perpetuum in personam vel in rem mobilem, vel in rem vsu consumptibilem? *Resp.* minime licere : quia nec persona , nec res mobilis, aut vsu consumptibilis possunt in perpetuum reddere pensionem:quoniam tandem temporis diuturnitate pereunt.ita Val. loc. cit.puncto 4.

Caput II.

De pactis quæ possunt addi censibus.

Dico 1. generaliter loquendo omnia illa pacta quæ secundum se sunt licita , & veritatem emptionis, & venditionis censuum minime tollunt,secundum ius naturæ licitè posse adiungi cõtractui emptionis,& venditionis censuum. Ratio est,quia sicut à duobus licitè potest vnum pactum iniri , ita licitè possunt plura simul,quando secundum se sunt iusta , & mutuo se non destruunt: sed hoc est quod faciunt censuarius, id est,venditor,& censualista,id est, emptor,ineuntes plura pacta secundum se licita , quæ non tollunt veritatem venditionis censuum , ergo licitè possunt plura pacta simul inire in contractu censuario.

Dico 2. in huiusmodi emptione , & venditione censuum si addatur pactum aliquod de quo grauetur venditor , aut emptor, debet grauamen compensari vel augendo, aut minuendo pretium eius,

vel alio modo, vt partes contrahentes efficiantur æquales, alioqui contractus esset iniustus, & illicitus, si non fieret compensatio parti læsæ.

Dico 3. sepositâ lege positiuâ posse ab initio iniri pactum, vt si venditor velit redimere censum, teneatur redimere eo pretio, quo tempore redemptionis æstimabitur, & quo aliis tunc vendi posset: quod si moraliter certum sit pluris valiturum, eo quod hypotheca erit melior, vel quia plures erunt emptores, posset etiam paciſci, vt pluris redimatur, ordinariè tamen lege positiua tale pactum prohibetur, & Pius V. in sua constitutione illud prohibuit statuens vt venditor eodem pretio possit redimere, quo primùm vendidit.

Quæres vtrum census licitè possit emi minore pretio aut vendi maiore, quam fuerit ab initio cõstitutus? *Resp.* 1. si census ille habeat pretium legitimum à Principe cõstitutum, non posse vendi minori pretio quam initio fuerit creatus posse tamen vendi maioris, quia quamuis pretium legitimum consistat in indiuisibili, nec videatur posse minus emi quam sit decretum à Principe, potest tamen vendi maiore pretio: quia taxatur pretium in gratiam venditorum, ne miseri venditores qui propter inopiam coguntur censum vendere, & emptores rogare minore pretio cogantur esse contenti? *Resp.* 2. quod si census nõ habeat pretium legitimum, vel si illud passim non seruetur potest emi minore pretio quàm initio fuerit cõstitutus. tũ quia pretium vulgare non consistit in indiuisibili, & fieri potest vt quod emptum fuit pretio summo, posteà vendatur pretio infimo. tum quia quando sunt multi emptores, pretium potest augeri, & è contrario, quando sunt pauci emptores, & plu-

res venditores, pretium minuitur.

Dico 4. non esse licitum emere censum cum pacto, vt venditor quando voluerit redimere, teneatur redimere eadem moneta: nisi emptor compensset venditorem propter onus quod illi imponit. quia emptor non dat nisi pretium census absolutè considerati, & præterea imponit onus graue venditori magno pretio æstimabile, pro quo onere neque dat quicquam, neque ipse vicissim aliquod incommodum æquale in se suscipit: quod si daret aliquam compensationem, tunc licitum esset addere illud pactum: sicut etiam liceret, si certum erat estimationem monetæ non esse mutandam: vel si vtrimque erat dubium an esset augenda vel minuenda: vel si certum erat æstimationem augendam, & emptor decreuerat pecuniam suam seruare in illud tempus: vel tandem si tanti emit quanti solent emi census irredimibiles, tunc enim cum non teneatur reuẽdere potest exigere vt eadẽ moneta redimat si voluerit redimere, nisi obstet cõstitutio Principis cuiusmodi extare dicitur in Belgio.

Dico 5. licitum esse addere pactum vt possit redimi census post certũ tempus vt post decennium & non ante, itemque vt non possit redimi nisi intra certum tempus, vt v.g. intra decennium, ita vt si intra illud tempus non redimatur, à venditore, fiat irredimibilis, & de hoc habetur exemplum Leuit. 25. prior pars probatur, quia licitum est emere censum cum pacto vt perpetuò redimi possit, & cum pacto vt nunquam redimi possit, ergo etiam cum pacto vt ante certum tempus non possit, & post illud possit, & cum ita venditur census, pretium debet eo esse maius, quo tempus est longius quo redimere non licet, & eò minus quò tempus est bre-

uius:quia onus quod ſuſcipit vẽditor eſt minus vel maius, pro ratione maioris vel minoris temporis. quod onus cum ſit æſtimabile poteſt etiam augeri pro ratione temporis maioris vel minoris durationis. Secũda pars probatur quia licitum eſt emere cenſum irredimibilem abſolutè, ergo etiam licitum redimere perpetuum irredimibilem ſub illa conditione, nam illa conditio eſt in fauorem venditoris. ita Gab. diſt. 15. q. 12. a. 2. con. 4. Medina de vſura q. 15. diſt. 1. §. aduerte tamen.

Dico 6. licita eſt emptio cenſus vtrimque redimibilis, dũmodo nulla humana conſtitutio id prohibeat. ita ſentit Med. q. 15. de vſura, Conradus q. 84. de contractibus poſt concluſionem quintam, preſertim corollario primo, & alij multi. tùm quia ideo poteſt venditor iuſtè imponere emptori obligationem reuendendi; quia hoc onus poteſt compenſari, tanto minoris rem vendendo, atqui obligatio quam emptor imponit venditori ad rem redimendam poteſt ſimiliter compenſari ad æqualitatem tantò pluris emendo, ergo ſimiliter poteſt imponi. tùm quia hoc pactum addi poteſt emptioni aliarum rerũ, vt agrorum, domorum, animalium, ergo etiam emptioni cenſuum. tùm quia pacta quæ ſeorſim fieri poſſunt, ita vt neutrum deſtruat alterum etiam fieri poſſunt coniunctim; atqui hæc pacta ſeorſim fieri poſſunt, qui enim emit cenſum redimibilem ex parte ſolius venditoris centum aureis, ei debentur quotannis ſex aurei, & quadrans, ſed hic inire poteſt pactum cum venditore vt quotannis non ſoluat niſi quinque aureos, & vt pro reliqua parte ſe obliget ad redimendum quando emptori placuerit: illa enim obligatio videtur ſatis compenſa-

ri si quotannis condonetur aureus vnus,& tres regales pro ea.

Quæres 1.vtrum possit addi censui pactum vt non possit redimi per partes? *Resp.* quod sic.

Quæres 2.vtrum liceat addi pactum vt si debitor vendat teneatur decimam partem pretij dare emptori census? *Resp.*quod non:nisi ex æquo compensetur,quia est valde oneroſum , & præter naturam contractus.

Quæres 3. vtrum licitum sit pactum vt non possit venditor absque consensu emptoris alienare rē censui subiectam? R*esp.*quod sic, quia fortassis venditor eam transferret in aliquem alium à quo difficile esset,& periculosum obtinere pensionum solutionem, nec propter hoc pactum augendum esset pretium, præsertim cum Pius V.illud inter cæteras conditiones numeret.

Denique dico vltimo licitū esse pactum,vt si per biennium vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum , & in pœnam negligentiæ efficiatur domini census , dummodo exæquo compensetur, aucto pretio census arbitrio venditoris : aliàs non erit licitum:posset tamen absque pretij augmento apponi pactum,vt si per biennium non soluerit,contractus resoluatur,& venditor cogatur restituere pretium:vt notat Medina quæst.15.de vsura dub. vltimo.

Aduerte tamen si absque culpa factum sit vt debitor non soluerit pensionem , rem non debere censeri commissam, nam vbi non est culpa locum non habet pœna.

CAPVT III.

Quænam conditiones requirantur in censibus emendis secundùm ius canonicum?

QVæcumque hactenus diximus vera sunt, si spectetur ius naturale secundùm quod nihil aliud requiritur ad emptionem census, quam vt sit æqualitas, secundum æstimationem inter censum, & pretium, & si aliqua grauamina subeat alteruter contrahentium, per pacta accessoria contractui apposita, ea prudentis arbitrio debitè compensentur. restat nunc explicandum quænam conditiones requirantur attento iure canonico: quare

Dico 1. Mart. V. & Calix. III. in suis Extrauagantibus titulo de empt. & vendit. varias assignarunt conditiones obseruari solitas in Polonia, & Germania quas ad 8. reducit Nauarr. comm. de vsur. numero 70. quia tamen si Pontifices eas non requirunt vt necessarias ad iustitiam census, sed duntaxat affirmant census eos qui hasce conditiones haberent iustos esse, & licitos; hic nullam earum mentionem faciemus, sed lectorem remittimus ad Nau. loc. cit.

Dico 2. Pius quintus anno 1569. constitutionem edidit qua multas conditiones requirit, & vult seruari in contractu censuario, sine quibus decernit ipsum contractum irritum, & vsurarium

habendum. hanc constitutionem refert, & explicat Nauarr. comm. de vsur. numero 82. & sequentibus, quam ibidem videre poteris: sunt autem in ea conditiones vndecim, quarum 1. est vt census non constituatur nisi super re immobili certa, & naturâ suâ fructifera.

Secunda vt pretium census statim soluatur coram Notario, & testibus, & non ante celebrationem instrumenti.

Tertia ne deducantur in pactum anticipatæ solutiones pensionum, id est, vt venditor non cogatur soluere pensionem temporis nondum elapsi, vnde emptor dum pretium numerat non potest ex eo detrahere pensionem primi anni per modum anticipatæ solutionis, nisi hoc onus aliâ ratione compensetur.

Quarta ne obligetur venditor ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non teneretur.

Quinta ne fiat pactum restringens facultatem venditori alienandi rem censui subiectam, aut soluendi aliquam quantitatem pro consensu, & facultate alienandi facta ab emptore, quæ laudemia vocatur.

Sexta ne fiant pacta continentia morosum census debitorẽ teneri ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnã, aut ad amittendam rem censui subiectã omnino aut ex parte, aut ad expensas mediante iuramento emptori faciẽdas, aut ad aliquid aliud. Et hoc addidit Pontifex, ad cauẽdam omnẽ fraudem vsurariam, nam iure naturæ tenetur venditor refundere emptori omnia damna, & expensas quas fecerit in solutione adispiscenda.

Septima ne census institutus super aliqua re augeatur.

Octaua vt non fiant pacta quibus aliqua onera cogatur soluere is qui ex natura contractus ad ea non tenebatur, vt si consuetudo sit vt emptor aliqua soluat fisco, non potest obligari venditor nec contra.

Nona vt pereunte re subiecta censui, vel omnino, vel partim, census omnino vel partim pereat, quæ conditio est etiam secundùm ius naturæ, si res omnino pereat, aut ita ex parte vt non ampliùs possit totam pensionem censualem reddere.

Decima vt semper sit census redimibilis ex parte venditorius, reddito eodem pretio, debet tamen emptor de ea re admoneri ante bimestre, & post denonciationem poterit cogi intra annum vt redimat, elapso anno non poterit cogi.

Vndecima ne fiat vllo modo pactum de redimendo pretio in fauorem emptoris.

Dico 3. Bullam prædictam Pij V. non esse in vsu, neque in Belgio, neque in Gallia, aut Germania, ideoque conditiones in ea contentæ non obligant ex vi Bullæ, probabile tamen est obligare in terris Pontifici subiectis, & in Prouinciis vbi promulgata, & recepta fuit, nec moribus vtentium est abrogata, de qua re vide Less. capite 22. dub. 35.

CAPVT IV.

Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum.

DIco illud optimè constitui ex proportione pretij rerum fructiferarum, vt agrorum, domorum, syluarum & similium: quo enim pretio emi potest res frugifera quæ deductis expensis quotannis reddat centum aureos, eodem etiam imo & minore iustè potest comparari census irredimibilis tantumdem pendens. Ratio est, quia amplius est habere rei dominium quam solum ius percipiendi tantumdem fructuum quantum res illa solita est ferre: considerandum enim est vtrum in ea Prouincia multum vigeat negotiatio, hæc enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari, & census minoris; Denique sitne copia, an inopia pecuniæ, nam inopia pecuniæ facit census vilescere.

Quæres vtrum si census emptus fuerit minoris iusto, pensiones sint restituendæ quatenus superant pretium datum, v. g. emisti census decem aureis qui valebat quindecim, quæritur vtrũ restituere debeas tertiam pensionum perceptarum partem, vel sufficiat complere pretium, & interesse compensare si quod venditori obuenerit ex carentia iusti pretij ad hoc. *Resp.* 1. si census pretium est lege taxatum cum clausula irritante contractum, tunc necessariò sunt restituendæ pensiones qua parte excedunt iustum pretium, quia

contractus qua parte ſuperat pretium eſt irritus, ergo non ſubeſt iuſtus titulus quo recipiatur ille exceſſus penſionum, ideoque qui cenſum valenti quindecim emit tantum decem, tenetur reſtituere tertiam partem penſionum, poterit tamen retinere duas partes penſionum, quia reſpectu illarum pretium eſt iuſtum, contractuſque validus, ſi vero pretium non eſt lege taxatum, vel non cum clauſula irritante, tunc nihil eſt reſtituendum, ſed tantùm pretium ſoluendum, & damnum ſi quod venditor eſt paſſus ob penſiones ſolutas reſarciendum.

TRACTATVS DECIMVSTERTIVS, DE CAMBIIS, ET contractu Societatis.

CAPVT I.

Quid Cambium & quotuplex?

CAMBIVM generatim ſumptum eſt idem quod commutatio, Cambire enim eſt permutare, propriè autem loquendo Cambium eſt permutatio pecuniæ pro pecunia. Differtque à mutuo, tùm quia mutuũ non eſt permutatio propriè. tum quia mutuum non includit redditionem æquiualentis quocumque modo, ſed tantùm obligationem vt poſt temporis interuallum reddatur æquiualens eiuſdem ſpeciei; Cãbium verò è contrario & eſt permutatio, & includit redditionem æquiualentis, etiam ſi nullum intercedat temporis interuallum.

Cambium multipliciter diuiditur, & 1. aliud est siccum, & aliud reale. siccum est, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eò quòd reuera est mutuum, sed prætextu cambij palliatum; vt quando habetur ratio solius temporis, & cum fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum vsura vocatur verò siccum quia caret humore, id est, iusto titulo ad pariendum lucrum. Cambium reale vocatur quod est verè, & propriè cambium, cum reipsa scilicet vna pecunia cum alia commutatur.

2 Cambium reale subdiuiditur in minutum, & locale, minutū est permutatio Numismatum diuersæ rationis, & speciei, vt argenteorum cum æreis, aureorum cum argenteis, maiorum cum minoribus, arrosorum cum integris, vetitorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum exteris. potest, & hoc cambium dici simplex, seu purum quia scilicet nullus alius contractus admiscetur ei, vt cum vna pecunia vnius generis cum alia alterius generis in eodem loco permutatur. Cambium verò locale quod etiam cambium per litteras vocatur, est quando petmutatur pecunia præsens cum absente, quodquidem cambium quia est cum aliis contractibus coniunctum, mixtum à quibusdam vocatur, v. g. cum aliquis campsor recipit Lugduni à campsario, centum aureos vt totidem soluat Tholosæ in hoc cãbio est non solum permutatio presentis pecuniæ cum absenti, & loco distãti, sed est etiam contractus locationis, quia campsor locat suam operam, & industriam campsario, cuius pecuniam suscipit transportandam in vrbem Tholosanam ex Lugdunensi, item campsor dat Lugduni campsario mille aureos vt totidem

ſoluantur ei Tholoſæ, in illo cambio præter permutationem pecuniæ præſentis, inuenitur etiam contractus venditionis qua campſor vendit campſario mille aureos præſentes acceptâ fide à campſario de ſoluendo pretio. Tholoſæ. Azor.tom. 3. inſtitut.Moral. lib.10. de cambiis c. 2.

Quod vt benè intelligatur, notandum eſt duos eſſe pecuniarum vſus;primarium vnum, ſecundarium alterum.vſus pecuniæ principalis in eo conſiſtit vt ſit aliarum rerum pretium:ſecundarius verò ſeu minus principalis eſt cum conſideratur pecunia vt eſt res quædam per ſe, quo modo poteſt ſicut aliæ merces vendi, locari,permutari,& commodari, quia pecunia poſſumus vti ad oſtentationem,ad ornatum, ad voluptatem, ad medicinam, item ad faciliorem, & commodiorem vſum noſtrum, quia faciliùs, & commodiùs vna pecunia, quam alia,ex vno loco ad alium transfertur.Azor. loc.cit.c.1.

Quæres quibus ex cauſis pecunia pluris minoriſve æſtimetur, quando tanquam res quædam venditur, locatur, & commodatur? *Reſp.* pluribus de cauſis id fieri 1. ratione materiæ,quia eſt pecunia aurea,argentea, vel ærea.& ad plures vſus prodeſt aurea, quam argentea; 2. ratione materiæ melioris pretioſioriſve, quia ſcilicet vna eſt ex puriori metallo,quam alia.

Tertio ratione formæ, ponderis,ſigni, ſiue figuræ, in vno enim loco pecunia ſic vel aliter ſignata nihil valet,cum tamen alibi valeat.

Quartò ratione loci,quia pecunia loco remota minoris valet, quam præſens,& in vno loco pecunia eiuſdem materiæ pluris æſtimatur,quam in alio.

Quintò

Quintò ratione temporis, quia pecuniæ æſtimatio creſcit vel minuitur temporis decurſu.

Sextò pecunia pluris minorisve æſtimatur pro vt maior vel minor ipſius copia vel penuria eſt.

Septimò ratione eorum qui pecunias permutãt; aut enim plures aut pauciores ſunt hi qui pecunias petunt à campſoribus, tunc enim ipſi negotiatores cambiorum pretia augent vel minuunt, de his omnibus legendus Nau. in Man. capite 17. numero 294.

Quæres 2. vtrum propter has omnes cauſas licitè poſſint campſores exigere lucrum ex cambio? *Reſp.* quod ſic, eoque maius poterunt petere lucrum & cum tutiori conſcientia quo plures cauſæ ſimul concurrent, nam omnes illæ cauſæ accipiendi aliquod lucrum extra ſortem iuſtæ ſunt, & rationabiles. vt bene oſtendit Leſſ. l. 2. cap. 23. dub. 2. n. 11. & ſequentibus & dub. 4. n. 37. & alij plures, tam antiqui quam moderni, quos ipſe allegat locis cit.

CAPVT II.

Vtrum cambium ſiccum ſit licitum?

DIco 1. cambium ſiue exerceatur publicâ authoritate, & ob bonum publicum, ſiue priuatâ, & ob priuatam vtilitatem, eſſe licitum quantum eſt ex ſe, ideoque quiſquis artem campſoriam exerceat, poteſt aliquid vltra ſortem accipere. verùm eſt quod qui ex officio illam exercent habent plures iuſtos titulos exigendi lucrum ex cambio,

quàm qui ſponte,& priuata authoritate:ex quo inferunt nonnulli Doctores eos qui ſponte exercent cambia non poſſe tantum lucri accipere quantum qui ex officio:at ego cum Leſſio loc.cit. dub.2.n.9. exiſtimo tantumdem poſſe accipere eos qui ſponte exercent,quantum qui ex officio;in locis in quibus pretia cambiorum iam ſunt conſtituta, & ſcitur quantum campſores accipere ſolent hoc tempore. tùm quia laborem operam, & induſtriam eò dirigunt vt ſemper habeant pecunias paratas ad cambiendum poſtulantibus. tùm quia expenſas faciunt, & pericula eadem ſubeunt in tranſuehendis monetis ex vna in aliá prouinciá vel ex vno in aliud regnum. tùm quia ex illorum induſtria non minus vtilitatis,& commoditatis redundat in rem publicam,quam ex opera, & induſtria eorum qui publicâ authoritate ad id tenentur ergo qui priuatâ authoritate cambiis vacant, tantum lucri exigere poterunt ex cambiis quantum qui publicâ.

Dico 2. cambium ſiccum eſſe illicitum,quia eſt vſurarium,lucrum enim accipitur ex ſola temporis prorogatione.ita Nau.in Man.c.17.n. 283. Tolet. l.5.c.52.& Az.loc.cit.c. 10.

CAPVT III.

De cambio reali an ſit licitum?

DIco 1. cambium ſimplex, & purum,ſeu vt alij dicunt, cambium minutum,eſſe licitum, tum quia campſor pericula ſubit, labores ſuſtinet,& impenſas facit in conquirendis, congerendis, & aſſeruandis pecuniis diuerſæ materiæ. tùm quia lucrum accipit ratione officij, & obſequij quod

præſtat in reipublicæ vtilitatem, tùm quia laborat in numeranda pecunia, tum quia illius maximè interest, id est, inde damnum resultat, vel lucrum illi cessat, dat enim sæpè pecuniam auream vel argenteam, recepturus æream, cum tamen aurea vel argentea sit ei vtilior. tùm denique quia aliquando dat pecunias quæ in his vel illis locis maiorem æstimationem habent, & recipit pecunias quæ in eisdem locis aut parui, aut nullius sunt pretii, aliquando dat pecuniam pulchram vbique receptam veterem siue antiquam, pro deformata, minus probata, vel noua: quæ omnes causæ cum sint iustæ, potest campsor ex cambio minuto lucrum reportare. ita Less loc cit. dub. 2. Azor. 3. parte l. 10. c. 4. & alij.

Quæres 1. quodnam sit iustum lucri pretium in cambiis minutis? *Resp.* illud esse quod est lege vel publicâ authoritate constitutum, vel communi hominum æstimatione taxatum.

Quæres 2. an possint mercatores constituere pretium cambiorum quando lege non est statutum? *Resp.* quod sic, imò etiam variare poterunt habitâ ratione diuersarum circunstantiarum quæ euenire poterunt, quales sunt damnum emergens, & lucrum cessans, locorum distantia, onera, pericula, labor, & expensæ, copia, vel inopia campsorum, vel campsariorum, itemque abundantia, vel penuria pecuniarum. ita Val. tom. 3. disp. 5. q. 23. punct. 5. Azor loco cit. c. 5. Less. l. cit. numero 57. dub 6.

Quæres 3. an qui non fungitur munere, & officio campsoris, possit tutâ conscientiâ ex cambio minuto lucrum accipere? *Resp.* quod sic, & quidem totidem poterit exigere nummos æreos quot dari

consueuerunt pro nummo aureo, vel argenteo. ita Couar. tract. de veterum Numismatum collat. c. 7. n. 4.

Quæres 4. quibus modis peccetur in cambio minuto? *Resp.* hisce modis 1. cum datur pecunia adulterina, id est ficta, vsu non recepta, vel publicâ authoritate reprobata, dolosè diminuta, vel colore tincta, vt alia appareat quàm sit; deinde cùm plus exigitur quam par, & æquum est, quique pecunias adulterinas dant, vel permutando, vel soluendo, vel emendo, debent restituere, & supplere pretium legitimum, & iustum. ex quo sequitur eum qui nūmos adulterinos per ignorātiam recepit, non posse eos alteri dare tutâ conscientiâ, quia est vitiosa moneta, & sibi imputet qui talem acceperit, nec enim potest alium decipere, quamuis ipse fuerit deceptus, imò tenebitur ad restitutionem si aliter fecerit.

Quæres vltimò vtrum campsor semper tuta conscientia lucrari possit, siue det auream pecuniam, vt æream recipiat, siue è contrario det æream, vt auream recipiat? *Resp.* quod sic. tùm quia meretur præmium ratione officij sui. tùm propter expensas, pericula, & labores in præstando officio suo, tùm quia alteri commodum præstat.

Dico 2. cambium reale mixtum quod fit per litteras, & appellatur locale, esse licitum, sic Val. loc. cit. puncto 4. quia cum pecunia præsens pluris valeat, quàm absens, potest qui dat præsentem pro absenti, aliquid vltra capitale accipere, vt se indemnem seruet.

Quæres 1. vtrum cambium locale quo campsor prior accepit pecuniam Lugduni v.g. vt eam Romæ restituat sit licitum? *Resp.* quod sic, idque va-

rios ob titulos, quorum primus est translatio pecuniæ ab vno loco in locum alium, quæ sine expensis, & multis periculis fieri non potest, nec refert quod campsor habeat procuratorem, filium, vel famulum qui Romæ soluet eũque liberabit ab onere transportandi suam pecuniam, quia sufficit ad lucrum percipiendum translatio virtualis quæ æquialet actuali, & campsoris industriæ tribuendum est quod Romæ habeat famulum vel procuratorem, qui pro eo pecuniam numerabit creditori. sic Less. l. cit. dub. 3. n. 19.

Secundus est assecuratio, nam obligatur campsor dare operam vt suis laboribus, & impensis pecuniæ traiiciantur in locum constitutum, & quò fuerit locus remotior eò lucrum maiùs exigi poterit. tùm ratione traiectionis, & assecurationis, tum ratione maiorum periculorum quibus exponitur pecunia transmittenda.

Tertius titulus, est ratione officij publici quod exercet, commodi quod præstat, & operæ quam locat; itemque curæ quam adhibet in custodienda pecunia sibi credita, & denique ratione famulorum quos conducit vt artem hanc debitè, & commodè exerceat, & hoc habet locum siue in diuersis Regnis fiat eiusmodi cambium, siue intra idem regnum: imò intra eamdem prouinciã, verum est quod eò minus pretium debent negotiatores accipere quò loca fuerint propinquiora, & è contra tantò maius quantò remotiora quia plures labores sunt subeundi, & pluribus periculis exponuntur pecuniæ transferendæ.

Quæres 2. vtrum priuato homini liceat ex hoc cambio lucrum reportare? *Resp.* quod sic. ita Sot. l. 6. de Iust. q. 10. a. 1.

Quæres 3. an cambium locale quod fit per litteras quo campsor prior numerat, & dat pecuniam Lugduni, v.g. vt eum Romæ recipiat, sit licitum, & quibus de causis? *Resp.* esse licitum propter sequentes titulos seu causas.

Quarum prima est translatio virtualis, seu maior æstimatio pecuniæ præsentis quam absentis; absens enim non potest fieri præsens sine periculis, impensis, & labore, & præterea absens non præbet eam commoditatem, & facultatem negotiandi, quam præsens.

Secunda causa est maior æstimatio pecuniæ in loco vbi datur, quam vbi redditur, siue ea æstimatio sit intrinseca; siue sit extrinseca: ea est intrinseca quæ lege vel communi consuetudine taxatur; ea vero est extrinseca quæ procedit vel ab inopia aut copia pecuniæ, vel à maiore aut minore numero campsorum, & campsariorum, vel à necessitate pecuniæ, vnde fit vt campsores hoc triplici titulo lucrari, possint videlicet traiectionis, & duplicis valoris pecuniæ intrinseci nimirum, & extrinseci, quamuis potissimè soleant attendere ad valorem extrinsecum, & ratione huius lucrari; vnde semper inquirunt vbi sit futura penuria vel necessitas pecuniæ vt ibi dare possint, & recipere, vbi est vilitas & copia, & parui æstimant traiectionem, quantumuis locus distet: in qua re vt notat Less. loc. cit. num. 43. non videntur prudenter facere, nam reuerà hic titulus est præcipuus in cambio reali, ob hanc enim causam sunt cambia introducta.

Tertia causa est lucrum cessans aut damnum emergens.

Quarta causa est carentia pecuniæ, & id quod huic carentiæ est coniunctum, nempe periculum

ne non reſtituatur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiandi. Leſſ. numero 43. & numero 56.

Quinta cauſa eſt officium quo fungitur coacer-uando pecunias diuerſi generis, & obſequium ac beneficium quod alteri confert. Azor. loc. cit. c. 6. q. 3. vbi tamen notabis ad hoc vt cambium iſtud ſit licitum, & tutum neceſſariò requiri vt campſarius habeat actu vel virtute, id eſt, (in amicis vel aliter) pecunias in loco vbi debet campſori ſoluere, aliàs enim ſi campſor ſperaret vel ſibi ſuaderet pecuniam ab ipſo numeratam ſibi ſolutam iri in eodem loco, quia ſciret campſarium nullam habere pecuniam in loco deſignato, eſſet cambium ſiccum, & vſura palliata, quia campſor peteret pretium pro traiectione, cum tamẽ nullas transferret pecunias, nec actu nec virtute.

Quæres 4. vtrum ratione temporis præcisè poſſit campſor aliquid petere vltra ſortem in cambio reali mixto, ſeu locali? *Reſp.* quod non, eſſet enim vſura. ita Val. loc. cit. punct. 4.

Quæres 5. vtrum liceat exercere hoc cambium intra idem Regnum, & eamdem Prouinciam? *Reſp.* quod ſic. Az. loc. cit. q. 4. itemque Val. l. cit.

Quæres 6. vtrum liceat priuato homini hoc cambium exercere, & ex illo lucrari? *Reſp.* quod ſic. ita Sotus l. 6. de iuſt. q. 7. a. 1. & alij.

CAPVT IV.

An sit licitum cambium quod fit litteris quibus promittitur solutio ad 1. nundinas vel ad secundas?

HOc cambij genus maximé nunc viget præsertim in vrbe Lugdunensi, in qua quotannis quatuor nundinæ celebrantur, puta post Epiphaniam Domini, post festum Paschatis, in mense Augusti, & post festum omnium sanctorum, quibus temporibus conueniunt negotiatores ad certa loca, ibique alij debita soluunt, alij debita contrahunt, reddun tur iterùm dati, & accepti rationes, & denuò pecuniæ creduntur, & accipiuntur, imò aliquando totum hoc negotium ferè sine vllis pecuniis transigitur, solùm datis, & acceptis chyrographis & syngraphis, & hoc cambium dicitur fieri ad primas vel secundas nundinas, tertias, vel ad quartas : de quo dubitatur an sit licitum ? ad quod.

Dico cambium hoc esse licitum & tutum in cõscientia, dummodo concurrant sequentes conditiones, quarũ prima vt non plus vel minus exigatur lucri ratione soliustemporis longioris vel breuioris. ita Less. loc. cit. n. 54.

Secunda vt reipsa litteræ de vno loco in alium transferantur seu mittantur, quarum virtute fiat solutio pecuniæ receptæ in loco alio, quàm in eo vbi accipitur, v. g. si campsor soluerit Lugduni, recipiat Romæ, & è contra si soluat Romæ,

recipiat Lugduni. 3. vt ſciat campſor vel exiſtimet campſarium habere, aut habiturum per ſe vel per alium pecuniam in loco vbi fieri debet ſolutio. Syl. verb. vſura 4. quæſt. 9. Leſſ. loc. cit. numero 68.

Quæres, ſi poſtquam campſor bonâ fide dedit ad cambum in certum locum, putans campſarium ibidem habere pecuniam aut habiturum, tamen deprehendit ſeà Campſario deceptum quia nullam habet ibi pecuniam, poſſit in eodem loco vbi dedit pecuniam accipere ſolutionem principalis, & lucrum ex cambio, & omne intereſſe quod patitur? *Reſp.* quod ſic. Leſſ. loc. cit. n. 69.

Quarta conditio eſt vt non paciſcatur ab initio de certo intereſſe etiam in euentu quo non fieret ſolutio tempore præfixo. hoc tamen non obſtat quin poſſit fieri pactum de incerto intereſſe lucri ceſſantis, quod poſtea ex mora campſarij deprehenſum fuerit. Item non prohibetur ne pœna moderata adiiciatur, ſi ex negligentia tempore conſtituto non fuerit facta ſolutio.

Quinta eſt, vt campſor ſponte ſuâ præſtitum ſoluendi terminum non protrahat, ſed cambiat ad proximas nundinas, vbi illę celebrantur, vbi vero non celebrantur ad proximos terminos iuxta locorum conſuetudinem receptam, per hoc tamen non adimitur facultas campſori quin inſtante cāpſario, & in gratiam ipſius poſſit terminum prorogare. Nau. c. 17. n. 283 litt. M. alias N. 301. & Val. l. cit. punct. 4. concl. 2.

Sexta vt in terminis ſolutioni præfigendis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorū, ne dum longiores præfiguntur quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant, fœnerandi detur occaſio,

& hoc eſt intelligendum de terminis extra nundinas, non autem de terminis ſolutionum in nundinis. vbi notabis tres vltimas conditiones eſſe apponendas in iis tantùm locis vbi viget Bulla Pij quinti de cambiis, quam refert Nau. in Man. c. 17. n. 300. in locis verò vbi non obſeruatur vt in Gallia & Belgio, ſufficiunt tres primæ conditiones.

Quæres, quibus titulis iuſtis nitatur hoc cambium? *Reſp.* cum Leſſ. n. 56. niti ſequentibus, quorum primus eſt carentia pecuniæ, ratione cuius priuantur negotiatores opportunitate & facultate lucrandi illâ pecuniâ. 2. eſt periculum cui ſors principalis exponitur; ex quo ſequitur quod quantò tempus ſolutioni præfixum longius diſtat, eò maiori periculo exponitur capitale, itemque diutiùs priuatur negotiator opportunitate negotiandi illâ pecuniâ, propter quas cauſas poteſt etiam augere pretium cambij.

Tertius titulus eſt quia interim dum expectatur ſolutio plures ſunt qui petunt ad cambium, & pauciores qui dent, at pretium augetur vel minuitur pro ratione maioris vel minoris numeri campſorum, aut campſatiorum; conſulendus Leſſ. loc. cit. contra Azor. c. 9. q. 4.

Quartus titulus eſt traiectio actualis vel virtualis pecuniæ ex vno loco in alium. Azor. de camb. c. 8. Quintus titulus eſt maior vel minor æſtimatio pecuniæ pro maiori vel minori illius copia.

Quæres 1. vtrum campſor poſſit à campſatio exigere pignus vel fideiuſſorem pro crediti ſecuritate? *Reſp.* quod ſic, ſi tamen pignus eſt res fructifera debet fructus perceptos computare in ſortem. Azor. de camb. c. 11. q. 11.

Quæres 2. vtrum viduæ aliique homines cuiuſ-

eumque dignitatis, aut conditionis exiſtant, poſſint aliquod lucrum percipere ex pecunia nummulario tradita? ad hoc *Reſp.* 1. quod ſi dent campſori ſeu negotiatori ſuas pecunias in cambium, vt eas cum lucro recipiant in ſingulis nundinis, id eſſe vſurarium. Ratio eſt, quia ad cambium reale locale requiritur, vt ſolutio fiat in alio loco ab eo vbi data eſt pecunia & litteræ mittantur: at illi qui ſic ſuam dant campſoribus pecuniam, intendunt recipere ſortem cum lucro in eodemmet loco vbi dederunt, nec vllam habent curam mittendi litteras alibi, ergo non poſſunt vi cambij recipere lucrum ex pecunia abſque vſuræ vitio, reuera enim eſt mutuum & cambium ſiccum, non reale.

Reſp. 2. quòd ſi prædictæ perſonæ dent nummulario ſuas pecunias tanquam procuratori vt eorum negotium gerat, vel in Societatem, tunc poſſunt percipere lucrum ex pecunia, quia contractus illi ſunt liciti. ſi tamen fortuitò, in negotiatione pecuniæ perierint, ſuo domino peribunt non negotiatori. & de his contractibus monendi ſunt nobiles aliæque perſonæ in dignitate conſtituræ, quæ cum per ſeipſas negotiari non poſſint, imò prohibeantur, ſolent ſuas pecunias negotiatoribus tradere, vt ex illis habeant vnde viuant, & quia huiuſmodi contractus ignorant, variis conſcientiæ ſtimulis poſtea vexantur, putantes ſe vſuram commiſiſſe ex eo quod de pecuniâ prædictis mercatoribus creditâ lucrum perceperint,

Quæres 3. an qui per monopolium pecuniæ pretium augent peccent, & teneantur ad reſtitutionem? *Reſp.* quod ſic, imo etiam alii qui authores non ſunt monopoliorum, ſi certò ſciunt vel probabiliter credunt pretium eſſe iniquum quo tunc

in nundinis pecuniæ dantur, restituere debent quidquid recipiunt ex cambiis illo pretio taxatis, qui vero bonâ fide lucrum ex illo cambio reportarunt, id solum restituere debent ex quo facti sunt ditiores, nisi fortè adhuc apud eos existat.

Caput V.

De Societatis contractu: quid societas, & an sit licita?

Dico 1. societatem definiri Conuentionem duorum vel plurium ad conferendum aliquid vt putà pecuniam, industriam, laborem, animalia, vel quid aliud pretio æstimabile ad communem vsum vel quæstum contractam. ita communiter omnes Doctores. Az. 3. part. l. 9. de Societatib. c. 1. q. 2. Less. l. 2. c. 25. dub. 1. n. 1.

Dico 2. Societatem esse licitam, modo concurrant sequentes conditiones, quarum prima est vt negotiatio in qua fundatur sit honesta; secunda vt in omnibus inter socios seruetur æqualitas, vt nimirum eorum sint communes expensæ, lucra & damna, ita vt quisque pro rata portione quam in commune confert lucrum reportet, damnum sustineat & impensas faciat.

Tertia est, vt aliquid in commune conferatur, siue pecunia, siue industria, siue opera, siue instrumenta, vt naues &c. vel animalia, siue alia bona pro vt conuentum fuerit: nisi enim socij aliquid præstent, aut cooperentur ad lucrum vel commodum, iustè aliquid percipere non possunt ex so-

cietate, cum titulo careant.

4 Eſt, vt ſors principalis maneat periculo cõferẽtis, & ſi pereat illi etiã pereat non ſocio, niſi aliter cõuentũ fuerit; quod poteſt iuſtè fieri reiiciendo totum periculum in ſocium iuſta ei compenſatione facta pro grauamine impoſito. ita Bona. de contract. diſp. 3. q. 5. punct. 1. & alij.

Quinta conditio eſt, vt ſeruentur pacta: fides enim data ſeruari debet.

Quæres 1. quomodo ſit facienda diuiſio lucri quod ex ſocietate profluit? *Reſp.* ita faciendam eſſe, vt qui plus vel minus contulit in Societatem, plus vel minus recipiat lucri; ſi verò omnes æqualiter contulerint, lucrum etiam debet æqualiter diuidi, v. g. qui contulit mille aureos, cum altero ſuam induſtriam æſtimatam quingentis aureis adferente, ſi lucrum ſit mille aureorum debet hoc modo fieri diuiſio, vt qui poſuit pecuniam, illam recipiat 1. loco. Deinde mille aurei ita diuidantur, vt qui poſuit ſolam induſtriã valentem quingentis aureis, recipiat tertiam partem lucri, alius vero alias duas, ſi verò eius induſtria æqualis eſt valoris cum pecunia allata in Societatem, tunc lucrum debet æqualiter diuidi, ita vt ſi lucrum ſit mille aureorum, debeat vterque habere quingentos.

Quæres 2. an pecunia quæ finita Societate remanet ſit diuidẽda inter ſocios, an verò remaneat penes eum qui contulit in commune? *Reſp.* ad eũ pertinere qui eam in Societatem contulit, quia illius dominium apud ſe ſemper retinuit, vnde ſi periiſſet illi etiã periiſſet: loquor autẽ, in præſenti de eo qui cõtulit pecuniam altero ſuam tantùm induſtriã præbente, ſi enim quiſque pecuniam con-

ſtituat in cõmune, debet etiam quiſque finitâ Societate eã extrahere pro rata portionis cuiuſque.

Quæres 3. quomodo lucrum percipi poſſit ex pecunia, cum ipſa ſit ſterilis? *Reſp.* pecuniam expoſitam negotiationi eſſe fructiferam, ideoque ex ea lucrum poteſt percipi.

Quæres 4. vtrum qui pecuniam contulit, poſſit cum altero conuenire, vt pecunia ſit communis & vterque ſit pecuniæ dominus, ita vt pecunia capitalis æqualiter diuidatur? *Reſp.* quod ſic, ex quo etiam infertur pactum quo conuenitur, vt ſi pereat pecunia, æque pereat ſocio, & periculum eiuſque damnũ, ſit commune eſſe validum. Azor. loc. cit. c.3.q.2.

Quæres 5. vtrum poſſit iniri pactum, vt ſi ſors principalis caſu fortuito pereat, teneatur ſocius qui ſolam contulit induſtriam, eam pecuniam, vel in totum, vel in partem reficere. *Reſp.* quod non. eſſet enim hoc pactum vſurarium niſi aliunde compenſaretur. & ita ſentiunt S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. S. Anton. part. 2. tit. 7. c. 7. §. 37. Sotus de iuſt. l. 6. q. 6. art. 2. ad 3. & plures alij contra Hoſtienſem. vocantque iſtam Societatem quæ iſtud pactũ continet leoninam cum ſocij ita conueniunt vt alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat; nam contra naturam Societatis eſt, vt vnus caput ſaluum habeat, alter vero fractũ. ita Az. poſt S. Anton. part. 3. l. 9. c. 3. q. 5. quod idem dicendum de animalium Societate, vt infrà latius patebit. nec refert quod Pontifex titulo de commod. c. 1. & de depoſito c. 2 illud pactum approbare videatur, nam dicendum eſt Pontificem intelligendum eſſe dummodo onus iſtud de ſorte ſoluenda ſi caſu fortuito pericrit iu-

Digitized by Google

ſta mercede reſarciatur, vt ita ſocij æquales efficiantur.

CAPVT VI.

An Societas ita contrahi poſsit vt vnus ſociorũ teneatur ſaluam reddere ſortem, & ſoluere quotannis certum lucrum exiguum pro magno incerto?

RESP. quod ſic, dummodo iuſtâ compẽſatione remuneretur qui totius ſortis periculum ſubit & certum lucrum pro incerto ſoluit. ita ſentiunt Val.loc.cit.diſp.5.q.24.punct.2.Leſſ.c.25. de Societ. dub. 3. cum multis aliis quos ibidem refert, contra Azorium loc. cit.q.6.qui hanc Societatem damnat tanquam vſurariam, ſequutus in hac re Sotum de iuſt.l.6.q.6.art.2. Ratio eſt,quia in hoc contractu tres ſimul reperiuntur, primus eſt Societatis qua quis tradit alicui ſuam pecuniam ad negotiandum. Secundus eſt aſſecurationis capitalis quâ ſocius promittit ſe in omni euentu capitale ſoluturum,illud ſuis fortunis &periculis ſuſcipiẽs. 3. eſt aſſecurationis lucri,ſeu venditionis lucri incerti pro certo aliquo, vt quinque vel ſex ſoluantur in centum iuxta morem patriæ & peritorum mercatorum æſtimationem communem. & ſicut hi tres contractus poſſunt cum tribus diſtinctis perſonis fieri quia ſunt honeſti & liciti, vt etiam fatetur Azor.c.4 q.5.ita etiam poterunt cum eadẽ, cum vnus alteri coniunctus non deſtruat alterius ſubſtantiam,iuſto ſtipendio illi qui periculum tum

ſortis principalis, tum etiam lucri in ſe ſuſcipit aſſignato.

Vbi notabis pactum aſſecurationis ſiue ſortis principalis, ſiue lucri certi pro incerto non poſſe induci ex vi Societatis, iſtud enim vſurarium eſſet quoniam cogeretur mercator ad onus ad quod nõ obligatur ex natura contractus Societatis: ex eius enim natura ſolum tenetur negotiator tradere ſocio partem lucri correſpondentem portioni pecuniariæ quam expoſuit negotiationi, eamdemque pecuniam illi reſtituere finita Societate, ſi ſalua & integra remaneat. quare onera illa quæ negotiatori imponuntur debent fieri ex vi contractuum aliorum aſſecurationis nimirum capitalis & venditionis lucri incerti magni pro paruo ſed certo, & poſſunt hi tres contractus fieri non modo ſeparatim, ſed etiam coniunctim, nontantum implicitè, ſed etiam explicitè, nec diuerſo duntaxat tempore, ſed etiam eodem. teſte Nauar. cap. 17. num. 254. & ſequentib. Valent. & Leſſ. locis citatis.

Quæres 1. vtrum tradens pecuniam cum prædictis oneribus amittat illius dominiũ? *Reſp.* quod non, vnde nec poteſt mercator ea vti ad libitum, ſed debet eam exponere negotiationi, & ſi quis putaret mercatorem non velle ea vti, aut alia eius loco ad negotiationem, vel nollet vt ex ea mercator negotiaretur, teneretur reſtituere quidquid lucri ex mercatore reciperet, quia tunc contractus negotiationis & venditionis lucri incerti non haberent locum, ſi tamen putauerit bonâ fide negotiatorem velle ea vti ad mercaturam, poterit exigere pretium conuentũ lucri ceſſantis titulo. Leſſ. loc. cit. n. 31.

Quæ-

Quæres 2. ſub qua forma poſſint hi tres contractus coniungi ſimul? R*eſp.* quòd ſi expreſsè cõiungantur, hac aut ſimili formula exprimi poterunt: Ego infra ſcriptus confiteor hoc meo Chirographo me accepiſſe à Titio mille aureos vt eos impendam legitimæ negotiationi & loco lucri incerti maioris, quod illi ex hac negotiatione poſſet competere, promitto me illi daturum ſex, & quartam partem in centum quotannis & eiuſdem ſummæ periculum præſtiturum. Si vero tacitè & implicitè connectantur hac aut ſimili formula complecti poterunt: confero tibi mille ad mercaturam vt quotannis ſoluas quinque vel ſex ſaluâ ſorte: vel ego ſubſignatus teſtor me accepiſſe mille in mercaturam cum pacto vt ſoluam quotannis ſex, & quartam partem in centum ſaluâ ſorte. Porro hic contractus ſic conceptus poteſt potius vocari contractus conductionis vel elocationis operarum ad negotiandũ, quam Societatis, nullâ autem ratione mutuum vocari poteſt. Nau. loc. cit.

Quæres 3. vtrum expediat hoc tempore in Gallia, & aliis locis permittere huiuſmodi formulam contrahendi? *Reſp.* quod ſic. Imo & conſulere: hoc enim cedit tum in commodum mercatorum, quia hac ratione habent maiorem pecuniæ ſummam, vnde fit vt meliori pretio emant: partim propter fidem ſeu creditũ, partim quia merces in maxima quantitate pecuniâ numeratâ comparant, tum in commodum Regni & Principis, quia ſic exercetur & ſeruatur commercium, cum exteris nationibus: ex quo non modica vtilitas accedit Regno & Principi, quia illi facilè poſſunt mercatores ſuppeditare pecuniam ſine magnis detrimentis. præterea hoc vergit in compendium viduarum, pupillo-

rum, nobilium, Consiliariorum, Aduocatorum, & aliorum hominum qui carent bonis immobilibus, ex quibus recipiant reditus annuos alioqui enim paucis annis consumerent sortem, & tandem redigerentur ad inopiam, sicque filiæ non possent honestè collocari, nec filij in studiis liberalibus ali, nec Nobiles, Consiliarij & alij permulti in suo statu conseruari. Denique id expedit saluti animarũ, alioquin multi qui carent reditibus, nec venales inueniunt, conferent se ad iniquas artes, ad occultas vsuras, ad fraudes emptionum & venditionum ad cambia sicca & ficta, ad monopolia & furta. Bauny de vsura.

CAPVT VII.

De Societate animalium.

DIco 1. animalia posse dari in Societatem eo modo quo datur pecunia, ita vt vnus conferat animalia tantùm, & alter industriam, vel vterque apponat animalia & industriam, vel vnus ponat animalia, & industriam simul, alius vero solam industriam, vel sola animalia: ad hanc Societatem debitè coëundam tres requiruntur conditiones quarum

Prima est vt quisque aliquid conferat in commune siue animalia, siue industriam, operam, vel custodiam, alioqui non esset societas cuius natura est, vt vnusquisque sociorum aliquid apponat in commune.

Secunda est, vt animalia sint periculo eius qui

dat in Societatem, ita vt si casu fortuito pereant, ipsi pereant, non socio, & hoc siue in parte, siue in totum pereant, imo si deteriora fiant, detrimentū etiam est eius, quoniam is qui dat animalia in Societatem non desinit esse dominus; at verò si dolo vel culpa socij pereant, vel deteriora fiant, damnū & detrimentum spectat ad socium.

Quæres vtrum apponi possit pactum, vt si casu fortuito animalia perierint totum damnum reiiciatur in socium. *Resp.* non posse: nisi debitè compensetur aliunde, est enim istud pactum valde graue & oneroſum. Syl. verbo societas 2. q. 8. Az. loco cit. cap. 7. quæst. 10. versu, sed dubiæ quæstionis est.

Quæres 2. an saltem vi alterius contractus qui dicitur assecuratio, possit socius cui dantur animalia suo periculo suscipere, eaque integra restituere, iustâ mercede acceptâ pro onere quod sustinet? *Resp.* quod sic, in hoc enim seruatur æqualitas inter socios, cum vnus non habeat plus lucri quàm alius. Adde etiam posse conueniri, vt animalia quæ dantur sint communia vtrique socio: itemque vt periculum & damnum animalium sit commune. ex quo colligit Azor. loco citato versu (quæres itidem) quandocumque pactum est vt damnum animalium sit commune, conuentum quoque esse tacitè & implicitè, vt & ipsa animalia sint communia, ac proinde si centum oues traditæ in Societatem saluæ manserint, quinquaginta erunt apponentis siue domini, & quinquaginta pastoris: & è contrario si inter socios conuenerit vt centum oues sint communes, conuentum quoque est vt commune sit damnum siue periculum, ac proinde si omnes perierint casu fortuito re-

nebitur pastor soluere quinquaginta domino qui apposuit eas in societatem.

Tertia conditio est, vt inter socios seruetur æqualitas in omnibus, vt videlicet impensæ, lucra, & damna sint inter eos communia, ita vt singuli ex æquo participent lucrum, & damnum, prout plus minúsue ex suo in societatem dederunt. hîc nota ex Millardo de pœnitentia c. 58. n. 15. in taxando pretio seu lucro sociorum, tutò seruari posse consuetudinem & vsum patriæ vel loci in quo initur societas.

Quæres 1. vtrum socius cuius culpâ animalia cũ æstimatione tradita simpliciter perierunt, teneatur ad restitutionem, iuxta valorem quem animalia habebant tempore traditionis, & æstimationis, an verò iuxta valorem quem habent animalia tempore amissionis? *Resp.* reddenda esse iuxta valorem quem habent tempore amissionis, & in hoc differunt animalia à pecunia, & aliis rebus quæ vsu ipso consumuntur, quod incrementum animalium pertinet ad eum qui ea in societatem adduxit, modo ea communia non fecerit cum aliis sociis, pecuniæ verò incrementum pertinet ad omnes socios, postquam pecunia semel fuit distracta, vel ita cõmixta cum aliis pecuniis societatis, vt discerni nequeat: quod idem dicendum est de pecuniæ diminutione, eam nimirum pertinere ad omnes socios postquam est vel distracta in emendis mercibus, aut commixta cum aliis pecuniis, ita vt nequeat discerni, vel cum alia pecunia permutata. Bonac. de contract. disp. 3. q. 6. punct. 3. & 5.

Quæres 2. vtrum qui tradit animalia in societatem eaque æstimat, censeatur inire contractum venditionis, an vero locationis? *Resp.* quod si ea

ſimpliciter æſtimet eo animo vt ſi culpa ſocij pereant, ſocius teneatur ad eorum reſtitutionem, non eſſe venditionem, ſed ſocietatem ſeu locationem: ſi verò ita æſtimet vt velit ſocium ea ſibi reſtituere, ſiue illius culpa, & dolo perierint, ſiue caſu fortuito, eſſe contractum venditionis, ac propterea non tenetur paſtor dare apponenti aliud quàm pretium animalium, & apponens nihil aliud exigere poteſt. ſic Azor loc. cit. c. 7. q. 8.

CAPVT VIII.

De damnis & impenſis ſociorum.

QVæres 1. quæ impenſæ, & damna ſint ſociis communia? *Reſp.* ea eſſe communia quæ ex ſocietate ipſa tanquam ex cauſa deſcendunt, vt ſi ad merces emendas profectus, in latrones incideris, pecuniamque tuam vel res alias perdideris, ſi tu vel ſerui tui ab iis fuerint vulnerati, & impenſæ in medicos ſint factæ, ſi ab hoſte captus, tuis, vel amicorum pecuniis te redemeris: ita habetur lege cum duobus 52. § venit. expenſæ item ſunt cómunes quæ gratia ſocietatis fiunt, ſiue ſint neceſſariæ, ſiue vtiles, vt ſi conducantur iumenta vel nauigia ad merces exportandas, vel traiiciendas, vel dolia ad aſſeruandum mel, oleum, vinum, vel horrea ad frumentum recondendum, vel ſi quid aliud impẽdat ad merces ipſas meliores reddendas, illæ item impenſæ ſunt communes quas facit vnus ex ſociis iter faciens pro ſocietate, vel cum famulos conducit, vt illorum opera vtatur; ſi quid itidem impendat in medicos, quia laborans pro

Societate in morbum incidit. ita Azor. loc.cit.c.5. q.4.& 8. nec tenetur ſocius iter faciens pro Societate deducere eas impenſas, quas alioqui domi feciſſet, modò non fuerit conuentum de hac re, vel niſi gentis vel populi conſuetudo habuerit, vt non ſint communes: ita Nau. c. 17.nu.283.& poſt eum Leſſ.loc.cit.dub.4.n. 35. eleemoſynæ pariter factæ gratiâ Societatis ſunt communes.

Quæres 2. quænam impenſæ & damna non cõmunicentur in ſocietate? *Reſp.* ea quæ euenerint culpâ vel dolo ſocij, vt ſi res furto ſint ablatæ ex defectu debitæ cuſtodiæ, tenetur enim tantã adhibere diligentiam in rebus ſocietatis conſeruandis, quantam rebus propriis adhibere ſolet, vt habetur lege ſocius 72. §. pro ſocio. vel potiùs qualẽ ſocij communiter præſtare ſolent: Item ſi cauſa ſocietatis, iter faciens eam viam dolo vel culpâ ingreſſus eſt, quam nouit periculis expoſitam, cum tamen tutiorem viam eligere potuiſſet, ne in latrones incideret. Item ſi alter ſociorum prodigè adminiſtret ex lucris, tenetur alteri compenſare. Leſſ. nu.37. Pari modo ſi priuato tui odio damnum tibi quis adferat, etiam ſi ſocietas ſit eius occaſio, non erit commune, vt ſi inimicus inuentum in via, & ad negotia proficiſcentem vulnerauerit, ſi amicus te abſentem hæredem non ſcripſerit, vel quia talem cum his ſocietatem inieris. Azor. loc.cit.q.4.

Quæres 3. vtrum ſocius poſſit rem in commune datam in ſuos vſus conuertere? *Reſp.* quod non, ſi inde damnum ſocietas patiatur, ſi verò nullum inferat ſocietati damnum, in foro conſcientiæ poterit ea re vti, quamuis in foro externo damnandus ſit tanquam furti reus. ita Azor. loc.cit.c.17.q.6.

Quæres 4. an ſi maritus prodigè & malè impen-

derit lucra vxori, & ſibi communia, teneantur hę-redes reſtituere vxori ea lucra? *Reſp.* quod ſic, & ſi alia ratio ſibi cõſulendi non ſuppetat poterit vxor vti occulta compenſatione, tantum ſibi retinendo quantum ex prodigè donatis vel cõſumptis à marito ad eam pertinebat. ita Nau. l. 3. de reſt. c. 1. nu. 114. & poſt eum Leſſ. loc. cit.

Quæres 5. an iure communi inter coniuges ſit ſocietas bonorum, quæ durante matrimonio lucri faciunt eo ipſo quod ſimul habitant? *Reſp.* quod non. ita Couar. in epitome de matr. p. 2. c. 7. §. 1. n. 5. hinc vt fit ſi in quibuſdã Regnis vel Prouinciis ſit ſocietas bonorum quæ comparant coniuges ſtante matrimonio, id proueniat ex conſuetudine iam longo vſu recepta vel ex particularibus Regũ vel Principium legibus & conſtitutionibus quales dicuntur eſſe in Hiſpania teſte Couar. loc. cit.

Societate in morbum incidit. ita Azor. loc.cit.c.5. q.4.& 8. nec tenetur socius iter faciens pro Societate deducere eas impensas, quas alioqui domi fecisset, modò non fuerit conuentum de hac re, vel nisi gentis vel populi consuetudo habuerit, vt non sint communes: ita Nau. c. 17.nu.283.& post eum Less.loc.cit.dub.4.n. 35. eleemosynæ pariter factæ gratiâ Societatis sunt communes.

Quæres 2. quænam impensæ & damna non cõmunicentur in societate? *Resp.* ea quæ euenerint culpâ vel dolo socij, vt si res furto sint ablatæ ex defectu debitæ custodiæ, tenetur enim tantã adhibere diligentiam in rebus societatis conseruandis, quantam rebus propriis adhibere solet, vt habetur lege socius 72. §. pro socio. vel potiùs qualẽ socij communiter præstare solent: Item si causa societatis, iter faciens eam viam dolo vel culpâ ingressus est, quam nouit periculis expositam, cum tamen tutiorem viam eligere potuisset, ne in latrones incideret. Item si alter sociorum prodigè administret ex lucris, tenetur alteri compensare. Less. nu.37. Pari modo si priuato tui odio damnum tibi quis adferat, etiam si societas sit eius occasio, non erit commune, vt si inimicus inuentum in via, & ad negotia proficiscentem vulnerauerit, si amicus te absentem hæredem non scripserit, vel quia talem cum his societatem inieris. Azor. loc.cit.q.4.

Quæres 3. vtrum socius possit rem in commune datam in suos vsus conuertere? *Resp.* quod non, si inde damnum societas patiatur, si verò nullum inferat societati damnum, in foro conscientiæ poterit ea re vti, quamuis in foro externo damnandus sit tanquam furti reus. ita Azor. loc.cit.c.17.q.6.

Quæres 4. an si maritus prodigè & malè impen-

derit lucra vxori, & ſibi communia, teneantur hęredes reſtituere vxori ea lucra? *Reſp.* quod ſic, & ſi alia ratio ſibi cõſulendi non ſuppetat poterit vxor vti occulta compenſatione, tantum ſibi retinendo quantum ex prodigè donatis vel cõſumptis à marito ad eam pertinebat. ita Nau. l. 3. de reſt. c. 1. nu. 114. & poſt eum Leſſ. loc. cit.

Quæres 5. an iure communi inter coniuges ſit ſocietas bonorum, quæ durante matrimonio lucri faciunt eo ipſo quod ſimul habitant? *Reſp.* quod non. ita Couar. in epitome de matr. p. 2. c. 7. §. 1. n. 5. hinc vt fit ſi in quibuſdã Regnis vel Prouinciis ſit ſocietas bonorum quæ comparant coniuges ſtante matrimonio, id proueniat ex conſuetudine iam longo vſu recepta vel ex particularibus Regũ vel Principium legibus & conſtitutionibus quales dicuntur eſſe in Hiſpania teſte Couar. loc. cit.

TRACTATVS DECIMVS QVARTVS,

DE EMPTIONE, ET venditione.

CAPVT I.

Quid sit emptio & venditio?

DICO 1. emptionem esse pactum quo datur pretium pecuniarium pro re siue merce, venditionem verò esse pactum seu contractum quo datur res pro pretio pecuniario. in quibus definitionibus pactum seu contractus, tenet locum generis, cætera vero locum differentiæ.

Dico 2. Numisma inuentum fuisse propter necessitatem humanæ vitæ, nam vt necessitati hominum variis rebus indigétium commodè succurreretur, inuétum est à communitatu m Rectoribus

numiſma , quod voluerunt æquiualere omnibus rebus ſecundum proportionem,qua iuſſerunt illud à ſubditis æſtimari, ac proinde pro pecunia quilibet exhibet alteri per venditionem quæ ſunt ei neceſſaria ad vſum vitæ, vel ab altero acquirit per emptionem ea quibus indiget.

Quæres 1.quandonam contractus emptionis,& venditionis ſint iuſti vel iniuſti ? *Reſp.* tunc eſſe iuſtos quando valor pretij eſt æqualis valori rei: iniuſtos verò quando valor pretij,& valor rei ſunt inæquales: ita quidem vt vel venditor plus pretij aceipiat quã res valet, vel emptor det minus quam valeat res quam accipit.ita D.Tho. 2.2. quæſt.77. art.2.

Quæres 2.quænam ſint conſideranda vt cognoſcatur æqualitas pretij cum re? *Reſp.*1. conſiderandum eſſe vſum huius rei, quæ venditur, ſitne vtilis humanæ neceſſitati nec ne, non enim attendenda eſt res ſecundum ſolam perfectionem quam habet à natura , contingit enim ſæpè res imperfectioris naturæ eſſe vtiliores,vnde dicit D. Aug. XI.de ciuit. Dei c.16.quod mallet homo domi habere panem quam mures , nummos quam pulices Valent. tom.3.diſp.5.q.20.p.2.

2 Attendenda eſt copia vel inopia rei , itemque copia venditorum vel emptorum , vel inopia eorumdem quæ comitantur copiam vel inopiam rei.

3 Attendendus eſt labor negotiationis à venditore in re procuranda ſuſceptus, itemque cura, induſtria,& pericula:hæc enim omnia bene conſiderata , & perſpecta ſolent minuere vel augere pretium rerum venalium ſiue mobilium ſiue immobilium:& quãdo dicimus laborem poſſe augere pre-

cium rerum, id est, intelligendum dummodo mercator non fuerit imprudenter deceptus, neque posuerit diligentiam aut laborem moraliter loquendo non necessarium, itemque salua æstimatione pretij rerum venalium iam determinata in Rep. vel ex lege, vel ex consuetudine. Less. c. 21. n. 29. Val. loc. cit.

Quæres 3. quotuplex sit rerum pretium iustum? *Resp.* esse duplex, vnũ vocatur legitimum; & alterũ dicitur vulgare, legitimũ est quod à lege vel principe vel à magistratu est definitum, vel taxatum, consistitque in indiuisibili, ita vt si quis notabiliter excedat in pretio à lege definito, mortaliter peccet, & teneatur ad restitutionẽ. vulgare verò quod à quibusdam etiam vocatur naturale, est quod prudenti hominum æstimatione constituitur, & hoc pretium non consistit in indiuisibili, sed habet suã latitudinem quia cum à multorum iudicio pendeat qui non idẽ omnino iudicant, sed alij minoris alij pluris vẽdendũ aut emendũ esse putent, euenit vt etiã pretia rerum quæ nõ sunt publica authoritate determinata sint varia, vnde triplex est vulgare pretiũ, primum est infimum, secundum mediocre seu medium, tertium summum seu rigorosum: v. g. pretium medium sit decem, infimum erit nouem, summum vndecim: rursus medium sit centum, infimum erit nonaginta quinque, & summum centũ & quinque: ita Couarr. l. 2. variarum quæst. c. 3. n. 1. licetque rem triplici illo pretio vendere aut emere, pro vt occasio tulerit, ita communiter omnes Doctores.

Quæres 4. quodnam censeatur iustum rei pretium? *Resp.* existimari illud esse quod habet res eo tempore quo à venditore traditur emptori consi-

deratis circunſtãtiis præteriti, & futuri temporis, non autem illud quod antea res valuit vel poſtea fortè valebit, ſi interea non pereat aut diſtrahatur, Val. loc. cit. ex quo notabis quomodo intelligendum ſit illud pronunciatum, tantum valere rẽ quãtum vendi poteſt, quod habetur l. quærebant. ff. ad legem Falcidiã. vt enim ſit verum intelligi debet, rem tantum valere, quantum vendi poteſt, ſine fraude, & dolo ſecundum communem æſtimationem. Syl. verbo emptio. q. 9. & alij.

Quæres 5. vtrũ monopolia ſint licita? *Reſp.* quod non, & grauiter peccant qui ſunt illorum cauſa. monopolium propriè dicitur cum vnus vel pauci efficiunt vt ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant, eo pretio quo ipſis libuerit. generatim verò ſumitur à Doctoribus, pro omni machinatione, & induſtria mercatorum, qua efficiunt vt ipſi ſoli, vel aliquid vendant, vel certo pretio emant: & ſi in hoc excedãt pretium legitimum vel vulgare ſummum, tenentur ad reſtitutionem, ſi verò non excedant non tenentur ad reſtitutionem, licet peccent contra charitatem.

Quæres 6. an qui habet priuilegium à Principe, vt ipſe ſolus, & non alij, vendat certas quaſdam merces, peccet vtendo eo priuilegio? *Reſp.* quod nó ſi iuſtâ ratione conceſsũ ſit, debet tamen Princeps pretium taxare quando ſunt merces ad vſum vitæ humanæ neceſſariæ, alioquin faceret iniuriã Reipublicæ, ſi illius arbitrio qui impetrauit priuilegiũ, pretium taxandum relinquat. ita Nauarr. in Man. c. 23. n. 92. quando verò ſunt merces ad delicias aut luxum pertinentes, quas nemo cogitur emere, non tenetur Princeps legitimum pretium taxare: præterea ſi ſine iuſta cauſa illud priuilegium eſt con-

cessum iniquum, est & peccat mortaliter qui eo vtitur,& 1. loco tenetur ad restitutionem. 2. loco Princeps, dummodò iniquitas sit nota, & certa. Less.l.cit.dub.21.n.148.& 149.

Quæres 7. vtrum qui coëmunt omnes merces certi generis,vt frumentum,oleum,vinum,&c. vt ipsi postea pro suo arbitratu vendant peccent mortaliter:cótra iustitiá, & teneantur ad restitutionẽ? *Resp* peccare quidem contra charitatem, sed non contra iustitiam,ideoque non tenentur ad restitutionem.ita Less.l.cit.dub. 21.n. 151.Molina,tract. 2.disp.345.n.5.concl.3.& alij.

Quæres vltimò, vtrum mercator qui non exercuit monopolium possit suas merces vẽdere pretio communi,quod per monopoliũ creuit? *resp*.quod non,& consequenter qui eo pretio vendidit tenetur ad restitutionem augmenti pretij cognita fraude monopolarum.

Caput II.

Vtrum res possint emi vel vendi pluris aut minoris quam valeant, & quibus de causis?

Dico 1.ex vi venditionis;& emptionis esse iniustum, & illicitum emere vel vendere rem pluris aut minoris quá valeat eo quòd violetur æqualitas iustitiæ,emptor enim non debet plus dare quam sit res quãemit,nec venditor accipere maius pretiũ quávaleat res vendita. ita Val. l. c. p.2.§.2.

Dico 2. propter causas quasdam concurrentes

licitum eſt in emptione,& venditione petere plus quam res valeat, vel etiam minus dare.

Quæres quænam ſint illæ cauſæ ob quas liceat aliquando pluris rem vendere quàm per ſeipſam alioquin valeret aut venderetur? *Reſp.* ſequentes communiter aſſignari à Doctoribus, de quibus etiam aliqua ex parte tract. de vſura & tract. de cambiis iam egimus.

Prima cauſa eſt officium mercandi.vnde mercatores poſſunt paulò pluris vendere,quam ab aliis vendi ſolcat, qui non ex officio,ſed ex occaſione aliquid vendũt.ita Med.cap.de reſtit.q.3.§.ſecundum erat:quamuis arbitretur. Leſſ. loc. cit. n. 25. eos qui ex occaſione vendunt poſſe,tantùm exigere pretij quantùm mercatores, cùm nulli faciant iniuriam modò res ſit æquè bona.

Secunda cauſa eſt damnum emergens.

Tertia eſt lucrum ceſſans.aduerte tamen quod vt titulus lucri ceſſantis ſatis ſit ad augendum pretium rerum,requiritur primò vt vẽditor eſſet ſeruaturus rem vſque ad illud tempus, quo pluris erat valitura. 2. vt deducat expenſas, & pericula quæ ſubiiſſet in re ſeruanda, vſque ad illud tempus. ita Leſſ.loc.cit.n.28.& alij.

Quarta cauſa eſt affectus ad rem quæ venditur, modò affectus ille iuſtâ aliquâ nitatur ratione.ratio eſt quia hic affectus eſt pretio æſtimabilis:Medina quæſt.31.de reſt.Rebell.2.part.l.9. q. 1. ſect. 7& alji.

Quinta cauſa eſt ratione laborum, & expenſarum quas ſubiit mercator in rebus illis conquirẽdis,aduehendis,& conſeruandis,modò tamẽ pretium iam non ſit taxatum,vel publicâ authoritate, vel communi hominum æſtimatione, & expenſæ

non fuerint imprudenter factæ.

Sexta causa est ratione copiæ emptorum, & pecuniarum, & penuriæ mercium: tunc enim possunt respluris vendi quam alioquin venderentur, si pecuniarum vel emptorum esset raritas, vel mercium abundantia: ita omnes communiter.

Septima causa augendi pretium est periculum amittendi totum vel partem pretij, vel periculum recipiendi cum molestiis, & expensis. vbi aduertes periculum debere esse verum non fictum.

Octaua causa est, si vendas in gratiam emptoris, alias non venditurus potes aliquantò pluris æstimare quam si sponte venderes hoc enim est pretio æstimabile, inde tamen ne inferas licitum esse rem pluris vendere quam valeat, quia sit vtilis vel necessaria emptori (vt multi absque vlla conscientia faciunt) imò hoc est iniquum, & illicitum, quia nemo potest vendere quod suum non est, at vtilitas emptoris non pertinet ad venditorem, ergo non potest illam vendere. Less. loc. cit. n. 31.

Nona est ratione peculiaris pœnæ emptori impositæ ex conuentione si ad terminum præfixum non soluat. Val. l. cit. p. 2. §. 2.

Quæres an sicut propter causas prædictas potest venditor rem suam pluris vendere, ita etiam pro causis iustis possit emptor rem aliquam minoris emere? *Resp.* quod sic, & 1. si emptori parum res est vtilis eamque in gratiam venditoris emat. Nau. c. 23. n. 84. & alij. 2. ratione modi vendendi, vt si quærantur vel rogentur emptores, vel si vendantur sub hasta, voce præconis: quia ibi solent esse pauci emptores; itemque pecuniæ inopia, & præterea mere est vltronea. 3 si multæ sint merces, & multi emptores, & inopia pecuniæ. 4. ratione donationis,

Digitized by Google

poteſt res emi minoris, quàm ſit pretium commune: ſicut è contrario poteſt pluris vendi quando emptor cenſetur pretij exceſſum donare. ita Conrad. q. 57. & 58. de contract. ad quod requiritur vt contrahentes ſciant rerum pretia, & omnino liberè contrahant, abſque vi, & fraude: & præterea intercedat, aliqua ſanguinis coniunctio vel amicitia ſic Leſſ. loc. cit. n. 37. Quintò ratione multitudinis mercium quæ ſimul emuntur, poteſt dari minus pretium quam ſi paucæ emerentur, quia ſic liberatur venditor à curis, & occupationibus quas ſubiiſſet in rebus ſuis conſeruandis, & expeditior redditur ad alias merces comparandas.

Quæres 2 vtrũ ea quæ magis pertinent ad ſplendorem, & ornatum quàm ad neceſſitatem cuiuſmodi ſunt quædam gemmæ, canes venatici, falcones, aues Indicæ, picturæ veteres, & ſimilia licitè poſſint tanti vendi quanti volet Dominus? *Reſp.* quod ſic. ita Sot. l. 6. q. 3. art. 3. tum quia hic vt plurimum interuenit titulus donationis, tum quia clari, & locupletes homines ad ſuam fere dignitatem pertinere putant huiuſmodi res coëmiſſe.

CAPVT III.

De emptione & venditione ad terminum.

SEnſus quæſtionis eſt an venditor poſſit chariùs vendere merces ſuas ob dilatam ſolutionem quàm vendi ſoleat pecunia preſenti, & è contrario an poſſit emptor emere minoris ob anticipa-

tam ſolutionem, ad quod

Dico 1. illicitum eſſe vendere merces ſupra pretium rigoroſum, eo ſolo nomine quod vendantur creditò, ſeu ob ſolam dilationem ſolutionis, quia eſt mutuum implicitum, & vſura palliata, non obſtat tamẽ quin poſſint vendi charius dilata ſolutione, dummodo pretium quod petitur contineatur intra limites iuſti pretij. v. g. ſi præſenti pecuniâ vẽdebas decem vel vndecim, poteris creditò vendere duodecim, ſiue vt dicitur pretio rigoroſo, quia omne illud pretium cenſetur iuſtum.

Quæres vtrum quando venditor credit merces ſuas pluris valituras tempore ſolutionis, quàm nũc valeant, poſſit eas nunc vendere eo pretio quo tũc valituræ ſunt? *Reſp.* poſſe, ſi erat ſeruaturus merces vſque ad illud tempus, deductis tamen expenſis, & periculis quæ ſubiiſſet in reſeruandis illis vſque ad illud tempus: quod ſi non erat ſeruaturus non poteſt ea charius vendere creditò, quia in eo caſu non interuenit ratio lucri ceſſantis, ſicut in priori. ita communiter omnes Doctores, contra Caiet. q. 78. 2. 2. ad 7.

Dico 2. merces quæ communiter non niſi creditò ſeu dilatâ ſolutione venduntur, poſſunt pluris vendi, quàm venderentur pecunia præſenti, v. g. adducuntur plures merces Lugdunum ex Genua vel Venetiis, quæ mox diſtrahuntur in varios mercatores, qui ad diuerſa loca eas deſtinant vt ibi minutatim vendantur præſenti pecuniâ, poterunt vendi creditò charius, quàm pecuniâ numeratâ; tùm quia hic modus vendendi ſolet augere numerum emptorum, quorum copiâ pretium creſcit: tum quia dilatio ſolutionis ſolet eſſe incommoda mercatoribus. tum quia ſæpè iſtud pretium non exec-

dit

dit rigoroſum quo numeratò vendi poſſent merces. Leſſ. l.cit.n.56.

Dico 3.non licet emere rem minoris ex eo quod aliquandiu res ſit expectanda,ſeu vt alij dicunt ratione ſolutionis anticipatæ, eſſet enim mutuum,& vera vſura titulo emptionis palliata. Val.l. cit.non obſtabit tamen quin per accidens poſſit quis emere minoris ob anticipatam ſolutionem, tùm ratione damni vel lucri ceſſantis, tum ratione periculi fraudis in venditore, quod vel merces non tradet,vel non ſinceras,vel non ſtatuto tempore. tùm etiam quia modus iſte vendendi inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum. vnde conſequenter pretium diminuitur.ita Sot.l. 6.q.4.a.1.Mol.diſp.36.& alij.

Quæres vtrum debita vel chirographa poſſint emi minoris quàm valeant,v.g. vtrum ius ad mille aureos perſoluendos intra annum poſſit emi, modo minoris,vt nongẽtis aureis vel nongẽtis quinquaginta? *Reſp.* 1.quod ſi difficilis ſit & incerta ſolutio vel cum moleſtiis, expenſis, & periculis obtinenda, vel ratio adeſt damni emergentis aut lucri ceſſantis ex emptione, id eſt licitum. ita communiter omnes Doctores? *Reſp.* 2. quod ſi omnes hæ cauſæ non ſubſint non poſſunt minoris emi hæc debita.ita Med.cod de reſt.q.38.Sot. l. 6 q.4. a.1.& alij relati à Leſſ. loc. cit.n.71. contra Caiet. Nau.Bellar.& alios.

Quæres 2. vtrum debitor vel quiuis alius cuius officium eſt ſoluere debitum,vt ſunt miniſtri,Receptores,quæſtores,poſſint emere hæc debita minori pretio, ſicut poſſunt alii modo concurrant cauſæ prima reſponſione allatæ? *Reſp.* quod ſic dummodo tamen non ſint cauſæ malignæ ſolutio-

nis, ratione nimiæ difficultatis quam afferunt ad ſoluendum. nam ſi præbeant ſe difficiles ad ſoluẽdum, & ex hoc cogatur venditor rem ſuam dare minori pretio, illi omnes quibus iucumbit ex officio ſoluere debitum nullo modo poſſunt minoris emere, quia debent tollere difficultatem illam, & reddere ſolutionem facilem, & ſecuram: qua in re grauiter peccant, & tenentur ad reſtitutionem multi quæſtores, Receptores, & alij miniſtri qui præbent ſe difficiles in ſoluendis donationibus à Rege in compenſationem factis: ex quo coguntur donatarij dare dimidiam vel tertiam partem donarij huiuſmodi miniſtris. ita Nau. c. 17. n. 230. Leſſ. loc. cit. n. 69. & 78.

Quæres 3. vtrum debita huiuſmodi quæ ſunt creditori incerta, vel nonniſi cum magnis impenſis, & laboribus poſſunt impetrari à debitoribus, poſſint emi minoris ab eo qui cognoſcit modum ſeu viam obtinendi facilè ſolutionem horum debitorum, vel ob fauorem Principis, vel officialium, vel ob contractus quos cum illo ineunt? *Reſp.* quod ſic. quia hæc facilitas obtinendæ ſolutionis eſt imputanda eius fortunæ, & induſtriæ. poſſet tamen emptor peccare contra charitatem ſi non daret rationabile pretium alicui indigenti, qui ob magnam inopiam cogeretur minoris vendere debitum vel donarium ſuum, eo quòd emptor ipſe inde magnum lucrum reportet.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Vtrum teneatur venditor aperire defectum seu vitium rerum venalium?

DIco 1. illicitum esse venditori cognoscenti defectum mercis suæ, illam vendere tãquam integram,& veram,& pro ea tantumdem accipere,quantum alioqui valeret,siue defectus rei sit in specie, vt si vendat aurichalcum pro auro : siue in quantitate, & mensura, vt si quis vtatur mensura falsa; siue in qualitate, vt si vendat ouem morbidam pro sana.

Ex quo colliges 1.venditorem teneri ad restitutionem,si hoc modo vendat, quia facit contra iustitiam plus accipiendo quam valeant merces, nec solùm teneri restituerepretium rei venditę,sed etiã omnia damna inde sequuta,quæ preuideri poterãt nisi emptorem admoneat, vt si oues morbidas vẽdidit pro sanis per quas totus grex est infectus, si tigna vitiosa vnde domus ruinam passa est. Less. loc.cit.n.88.

Colliges 2.non peccare venditorem neque contra charitatem,neque contra iustitiam, si vendat rem vitiosam pro sana, dummodo propter vitium iustè minuat pretium vitio dissimulato.Val.l.c.p.4.

Colliges 3.venditorem teneri certiorem facere emptorem vitij quod tacuit, si verisimile est rursum alteri venditurum ipsam rem, nisi vitium tale esset,vt statim emptor deberet illud deprehendere.Val.l.cit.p.4.

Colliges 4. venditorẽ licitè posse minuere mensuram tritici, v.g. si emptor nollet dare iustũ pretium pro tanta mensura tritici, atque hinc sunt excusandi multi mercatores qui propterea minuunt mẽsuras quod nõ possint vendere iusto pretio suas merces, dummodo minus accipiant, & tantũdem dent mercis quantum est pretium quod traditur, vt tantum tritici vel olei, quantum est pretium quod offertur.

Colliges 5. venditorem non peccare contra iustitiam, si non manifestet vitium rei occultum emptori experto, & de defectu non interroganti, modo nõ vendat supra iustũ pretium, sed detrahat de pretio prõ ratione vitij: item dummodo venditor non texerit defectũ ingenio artis, vt ponendo guttulã argenti viui in aures equi vt inde fiat generosior, vel rẽ illam vitiosam ponendo cum aliis vitio carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit. Nota tamen quod licet talis non peccet contra iustitiam, posse tamen peccare contra charitatem, nõ monẽdo emptorem qui ingenio suo fidit, si videat eum decipi ex simplicitate, & putet rẽ ei fore inutilem, imò si videat rem hanc noxiam futuram ratione occulti defectus, tenetur ex iustitia defectum manifestare, saltem post contractum, ita cõmuniter omnes Doctores: alioqui enim teneretur resarcire omnia damna inde sequuta.

Quæres si emptor roget venditorem an res sit bona vel careat vitio vel sit vtilis ad talem vsum teneatur venditor ex iustitia aperire rei defectum occultum? *Resp.* quod sic, quamuis defectus in se non esset notabilis, neque res esset inutilis ad vsũ ad quem emitur, & præterea contractus est nullus eo casu in vtroque foro, si cognito vitio emptor

non emisset. Less. dub. 11. n. 86. & alij.

Quæres 2. vtrum teneatur venditor manifestare vitium manifestum? *Resp.* quod non. S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. Nau. c. 23. n. 89. nisi fortè venditor cognosceret emptorem ex inaduertentia inuincibili vitium non deprehendere, quia tunc manifestare teneretur ac si esset occultum, contractusque erit inualidus, ita Bonac. de empt. q. 2. p. 6.

Quæres 3. vtrum qui vino generoso apponit aquam vel tritico miscet secalam, cum ea tamẽ moderatione, vt non fiant deteriora, teneatur ad aliquã restitutionem? *Resp.* quod non. ita Less. l. c. n. 83.

Quæres 4. vtrum qui cognoscit certò merces mox minuendas propterea quod breui magna copia mercium est aliunde aduehenda possit id dissimulare, & vendere pretio vsitato seu communi? *Resp.* quod sic. ita D. Th. loc. cit. Syl. verbo emptio. q. 15. Sot. l. 6. q. 3. a. 2. & alij ex quo etiam patet emptorem posse emere merces pretio communi quas scit postea multò magis valituras, propter penuriã vel aliam ab causam, sicut fecit Ioseph, qui sciens magnam fore caritatem, omne frumentũ Ægypti, pretio currente cõparauit Genes. 41. ex quo colliges posse venditorem vendere merces suas pretio currenti, quamuis sciat decreto Principis vel Magistratus breui minuendas, frumẽtum minoris valiturum: itemque potest quis suam pecuniam breui minuẽdam pretio præsenti detrahere, itemque locare domum suam pretio communi, quamuis norit propediem curiam Regiam vel Pontificiam, loco migraturam. ita Azor. part. 3. l. 8. c. 23. q. 4. & quamuis id possit ita fieri sine iniustitia, poterit tamen euenire vt qui sic vendit, mutat pecuniam, vel locat domum, peccet contra charitatem vt si alicui

vendat magnam copiam mercium qui inde graue damnum incurret ſtatu, & fortuna euertendus. ita Leſſ. loc. cit. n. 43.

Quæres vltimò, vtrum poſſit venditor rem ſuam quam ſcit breui apud ſe corrumpendam, interituram aut certè deteriorem reddendam vendere pretio communi? *Reſp.* quod ſic, dummodo rem vendat ei qui ſtatim rem illam eſt conſumpturus, non ei qui eſt illam ſeruaturus, vel alteri venditurus. Az. loc. cit. Syl. verbo vſura 1. q. 15. Nau. c. 23. n. 89. & alii.

Ad ſoluendas multas quæſtiones quæ circa hanc materiam moueri poſſunt notabis vitium rei eſſe duplex, vnum manifeſtum, & alterum occultum, quod ab emptore benè oculato, & prudenti videri nequit: & hoc vitium occultum eſt iterum duplex, alterũ eſt quod rebus ipſis inhæret eſtque tale vt eius vſus ſit emptori pernicioſus, & incommodus, vt ſi equus eſt calcitroſus, & mordax, ſeruus, fur, & infidelis: vel eſt tale vt eius vſus poſſit eſſe emptori periculoſus vt ſi domus ſit rũinoſa aut malè materiata, vel tandem eſt tale vt rem ipſam faciat inutilem quamuis nec noxiam nec periculosã, vt ſi equus ed equitandum, ineptus quæ omnia vitia inſunt rebus ipſis. alterum vitium occultũ non ĩneſt rebus ipſis, ſed extrinſecus aduenit ex caſu, vel ex aliena voluntate pendens, vt ſi ventura ſit frumenti, penuria anno proximo vẽturo, vel propter cœli intemperiem, ob peſtem, bellum hoſtium incurſum, incendium ſegetum, vel ob mutationem gentis, ob decretum Principis vel Reip. hæc & alia vitia quæ aliunde eueniunt nec in rebus ipſis exiſtunt venditor dicere ſecundum conſcientiam non cogitur, ſicut nec manifeſta vitia; at vero quæ in-

ſunt patefacere debet emptori, ſi ſint ei valde noxia, pernicioſa,& inutilia, vel etiam ſi talia nõ ſint ſi tamen roget an merces ſint ſanæ integræ,&nullo vitio careant, debet etiam aperire vt ſupra diximus.

CAPVT V.

Ad quid teneatur emptor?

DIco 1.emptorem teneri ſoluere pretium iuſtũ, & integrum tempore præfinito,& ſi non ſoluerit cum poſſet tenetur reſarcire damna,quæ paſſus eſt venditor ex eo quod tempore quo debebat non ſoluerit.

Dico 2.emptorem teneri monere venditorem de pretio rei iuſto ſi per ignorantiam vẽdat minoris, quàm res valeat, atque adeo ſi emat rem vitio carentem pro vitioſa, vel pretioſam pro vili,vt gemmam loco vitri, etiamſi venditor non pluris iudicet,quam ſi vitioſa aut vilis eſſet,iniuſtè facit teneturque ad reſtitutionem niſi pretium ſuppleat, vt venditorem indemnem ſeruet:verum eſt tamen quod ſi in aliqua regione res illa parui æſtimaretur eo quod ignorent alibi eam magni fieri, poſſet ibi paruo emi: ſic apud Indos licitum erit contra aurum aliaſque res pretioſiſſimas,commutare ſpecũla,cultelos tintinuabula,& ſimília crepundia;idẽ dic, ſi aliquæ gemmæ pretioſiſſimæ in aliquo oppido paruo æſtimarẽtur,à gẽmariis illius loci poſſet alius qui earum præſtantiam nouit eas paruo emere,quia in illo loco non pluris cenſentur valere.item faſcis herbarum qui venditur,ad pabulum

animalium potest emi pretio, quo talia vulgò vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri. Less. l. cit. n. 84. & 85.

Quæres, an quando vēditor ignorat rei pretium teneatur emptor eum præmonere de pretio speciatim dicendo rem suam tanti valere, vel sufficiat si moneat verbis generatim conceptis? *Resp.* sufficere si moneat generatim dicendo rem pluris valere quam id quod petit venditor. Az. l. cit. c. 24. q. 2. & alij.

Quæres 2. vtrum venditor possit emere pretio infimo merces à se venditas pretio summo seu rigoroso, v. g. aurifex vendidit calicem centum aureis poteritne redimere nonaginta quinque aut sex? *Resp.* quod sic, modò pretium semper consistat intra limites iusti pretij, ita vt quando vendit creditò, non excedat pretium rigorosum, & quando redimit numeratò non descendat infra infimum; sic Nauarr. c. 23. n. 91. Azor. loc. cit. n. 11.

CAPVT VI.

De emptione, & venditione cum pacto retrouendendi.

EMptio cum pacto retrouendendi tribus modis fieri potest primò in gratiam solius venditoris, vt cum venditor dicit emptori fundum meum vel domum tibi vendo cum pacto vt si post decē annos vel quoties voluero pretiū tibi refundere, tenearis domum à me tibi vendicam restituere. 2. potest fieri in gratiam solius emptoris cum ita contrahitur vt quoties emptor voluerit

pretium rei emptæ repetere, tenebitur venditor ei reddere domo ſibi reſtituta. vel 3. in gratiã vtriuſque. hoc poſito,

Quæritur an hæc pacta ſint licita? *Reſp.* quod ſic, ſiue ſiant in fauorem venditoris tantùm vt omnes Doctores aſſerunt: ſiue fiant in gratiam emptoris tantùm, vel in gratiam vtriuſque: ita Valent. de cenſibus punct. 6. Azor. loco cit. cap. 12. q. 8. & alij.

Quæres 2. quodnam ſit iuſtum pretium in emptione & venditione cum pacto retrouendendi? *Reſp.* 1. quando pactum eſt in gratiam ſolius venditoris debet res vendi minori pretio quàm æſtimetur per ſe nudè conſiderata ſine tali pacto, ita vt pretium decreſcat vſque ad quartam partem, vt ſi ſine pacto venderes duodecim vendas tantũ nouem cum hoc onere. Azor. l. cit. c. 12. q. 3. Leſſ. loc. cit. n. 115.

Reſp. 2. quando pactum de retroemendo apponitur in gratiam ſolius emptoris, ita vt teneatur venditor rem ſuam redimere quando emptor voluerit, debet res pluris emi quam res ipſa per ſe valeat, & conſequenter quã poſſet eam alteri vendere abſque tali pacto.

Reſp. 3. ſi hoc pactum apponatur in fauorem, vtriuſque tunc res debet paulò minoris vendi, quam per ſe valeat, pluris tamen quam ſi pactum eſſet in fauorem ſolius venditoris. Leſſ. loc. cit. numero 120.

Quæres 3. vtrum ſi res vendita pereat, pereat emptori vel venditori? *Reſp.* 1. ſi res vendita pereat vel deterior fiat poſt traditionem perit emptori, etiam ſi pretium non ſit ſolutum. ita communiter

omnes Doctores. ex l. necessario. §. quod si pendente. ff. de periculo, & commodo rei venditæ.

Resp. 2. si res empta pereat ante traditionem sitque res certa & determinata, vt hic equus hæc domus peracto contractu venditionis, perit vel deterior fit emptori: vnde non tenetur venditor rei pretium restituere, pari quoque modo eius incrementum ad emptorem pertinet. ita Syl. verbo emptio. n. 3. Couarr. pract. quæst. cap. 3. num. 5. & alij.

Resp. 3. si res empta sit indeterminata, vt si emas decem modios tritici ex messe vel granario, centum oues ex grege, vel si emas rem determinatam, sed ad mensuram vt totum aceruum tritici, omne oleum quod apud venditorem est, tunc ante rei traditionem vel mensurationem periculum interitus pertinet ad venditorem. ita Syl. & Couar. locis citatis. at si fiat melior vel deterior absque culpa & mora venditoris, commodum & incommodum pertinet ad emptorem, quia emit rem prout erit tempore traditionis. Couar. loc. cit. n. 7. Less. n. 97. & 98.

Quæres 4. an sit licitum vendere rem alienam non patefaciendo hanc circunstantiam, quòd sit aliena? *Resp.* eum qui vendit rem alienam, non aperiendo hanc circumstantiam quod sit aliena, illicitè & iniustè vendere; tenerique ad restitutionẽ rei illius domino suo, nisi certò credat vel speret dominũ ratihabiturum venditionem. Val. de emp. & vend. p. 4.

Quæres 5. vtrum liceat emere rem alienam & emptam retinere? *Resp.* 1. si spes est dominum alia ratione rem suam recuperaturum, non possum

illam emere, nisi animo illam restituendi ipsi, nec possum exigere pretium quod dedi; sed tantum quantum prudenter consideratis circunstantiis iudicabitur dominus in ea recuperanda fuisse expensurus: si vero nulla sit spes probabilis dominum rem suam recuperaturum nisi ego emero, me vero emente potest illi restitui, non possum emere animo illam mihi seruandi absolutè, & si id fecero dominus poterit postea illã sibi vendicare absque vlla compensatione, potero tamen emere animo illi exhibendi, vt vel illam mihi permittat, vel si id nolit iustam compensationem gesti negotij soluat.

Resp. 2. quando non est probabilis spes rem domino posse restitui eaque publicè venditur possum, & ego per se loquendo animo mihi seruandi vel vendendi emere si dominus non comparuerit: & si comparuerit illi eodem pretio relinquendi. hocque modo Catholici Constantinopoli degentes, possunt merces ibi publicè expositas emere, quas Turcæ in mari ceperunt. ita Less. n. 136. & sequentibus.

Quæres 6. quandonam censeatur perfecta venditio? *Resp.* censeri perfectam quando res empta tradita est emptori propiè, vel fictè l. si quis aliam rem ff. de solutionibus. Item censetur perfecta venditio quando pretium est solutum, vel habita fides emptori de pretio soluendo. Azo. loc. cit. c. 25. q. 4.

Quæres vltimò, an sit licitum, emptori post datas & acceptas arrhas à contractu recedere? *Resp.* quod non iure communi: Ita Fabianus de empto & vendito quæst. 5. principali est tamen

vſu receptum, vt quomodocumque dentur liceat emptori recedere ab emptione arrhis amiſſis quia ex conditione dediſſe videtur. Azor. ſupra. Et hæc ſatis de contractibus dicta ſint, atque adeo de his omnibus quæ ad ſcientiam Confeſſario neceſſariam requiruntur: quæ iudicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ humiliter ſubiicio.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
VERBORVM
QVÆ TRACTATV PRIMO de Pœnitentia continentur.

Primus numerus caput, & ſecundus pagi-nam denotat.

A

ABSOLVTIO, Abſoluere. c. 19. p. 78. & ſequentibus. c. 20. p. 80 & ſequent. c. 21. p. 87. & ſeq. c. 22. p. 89. & c. 23. p. 93. & ſeq.

Approbatio Confeſſariorum c. 14. p. 56. & ſeq. Item c. 16. p. 64. & ſeq.

Attritio c. 6. p. 19. & ſeq.

C

Circumſtantia, Confeſſio, Confeſſionis, Integritas. c. 7. p. 22. & ſeq. Item c. 8. p. 24. & ſeq. Item c. 9. p. 29. & ſeq. Item c. 10. p. 36. & ſeq.

Confeſſionis nullitas. c. 11. p. 44. & ſeq.

Cõfeſſionis annuæ præceptũ. c. 12. p. 47 & ſeq.

Conſenſus c. 3. p. 8.

Cõtritio. c. 6. p. 18. & ſeq.

D

Delectatio moroſa c. 4. p. 10. & ſeq.

E

Epiſcopus cap. 13. p. 55. Item c. 14. p. 57. Item c. 16. p. 65.

confessary regulares non possunt absoluere fratres alterius ordinis nec moniales pag 421

I

Iudex c 22.p.92.
Iurisdictio c. 14. p. 60.

M

Mendicantes Religiosi.c.14.p.58.
Minister Sacramenti Pœnitentiæ c. 13.p.51. & seq. Item c.16.p.64 & seq.

O

Ordinaria potestas c.13 p.54.&55.Item c.14. p.61.

P

Peccatum c.1.p.1.&seq. Item c.2. p.5. & seq.
Item c.5.p.16.& seq.
Pœnitens c.16.p.69.
Pœnitentia seu satisfactio.c.24.p. 98.&seq.
Potestas eligendi Confessarium.c.15.p.61.
Præceptum.c.1.p.4.
Prælatus.c.15.p.61.

R

Ratihabitio c. 14.p.60.

S

Satisfactio. vide verbo pœnitentia c.24.
Scientia c. 16. p. 67. & 68.& 69.

T

Testis.c.22.p.91. & 92.

Index verborum quæ continentur Tract. 2. de Matrimonio.

A

Affinitas. c. 26. p. 176.& 177.

C

Cognatio spiritualis.c. 18.p.157.& seq.
Cognatio carnalis.c.19 p.160.& seq.
Cognatio legalis.c.20. p.165.& seq.
Coniugale debitum. c. 14.p.146.& seq.
Consensus in matrimonium. cap.9. p.128.& seq.
Consensus vi vel metu extortus.c.10.p.132.& seq.
Crimen. c.21. p.166. & seq.
Cultus disparitas c. 22. p.169.& seq.

D

Dispensatio.c.28.p.183.

& ſeq.
Diuortium. c.13.p.143. & ſeq.

E

Error.c.16.p.153. &ſeq.

F

Forma Sacramenti matrimonij. c.6.p.118.
Filij legitimi & illegitimi. c. 32. p.193. & ſeq.

H

Hermaphroditus. c.27. p.182.& 183.

I

Impotentia. c.27.p.178 & ſeq.

L

Ligamen. c. 24. p.172. & ſeq.

M

Materia Sacraméti matrimonij c.6.p.117.
Matrimoniũ c. 1.p.104. Item c.2.p. 106.&ſeq.
Matrimonium conditionale. c.11.p.135.& ſeq.
Matrimonij indiſſolubilitas. c.12. p.139.& ſeq.
Matrimonij impedimẽta.c.15.p.150.Item c. 16. p.155. Item c. 31. p .191.& 192.
Miniſter Sacraméti Matrimonij. c.6.p.119.

O

Ordo.c.17.p.155.& 156

P

Parochus. vide verbo conſenſus.c.9.p.128
Peccata coniugum.c.38 p.189. & ſeq.
Publica honeſtas. c. 25. p.174.& 175.

R

Raptus. c. 23.p.170.& 171
Reualidatio matrimonij. c. 29. p. 187.& 188

S

Sponſalia.c.7.p.120.& ſeq. Item c.8. p.124. & ſeq.

T

Teſtis. vide verbo conſenſus. c.9.p.128

V

Vis,& metus. vide verbo conſenſus vi, vel metu extortus. p.132
Votum. c.17. p.157

Index verborum quæ Tract. 3. de cenſuris habentur.

A

ABſolutio cap.7. p. 219. & ſequent.

B

Bulla Cœnæ. c.8.p.232.

C

Ceſſatio à diuinis. c. 13. p.249.

D

Degradatio.c.13.p.249
Depoſitio. c.13.p.248
Duellum.videverbo excómunicatio quoad duellum.

E

Effectus excommunicationis.c.1.p.198.Item c.3.p.207. & ſeq.
Epiſcopus.c.7.p.221. & ſeq.
Excommunicatio. c. 1. p.197. 198. & ſeq.
Excómunicatio quoad eius cauſas.c.2.p.204. & ſeq.
Excommunicatio reſeruata inGallia. c. 8. p. 227.& ſeq.
Excómunicatio quoad percuſſores Clericorum.c.9.p.232.& ſeq.
Excómunicatio quoad duellum.p.235.& ſeq.
Excommunicatus. c. 1. p.208.& c.4.p.210.& ſeq.

F

Fundatrices. c.8.p.230. & 231.

H

Hæreſis. vide verbo, Abſolutio,huius tract. c. 7.

I

Ignorantia. c. 5. p. 212. & ſeq.
Interdictum.c.12.p.243 & ſeq.

P

Percuſſio Clericorum, vide verbo excommunicatio quoad percuſſores Clericorum.c.9.
Peregrinus. vide verbo excómunicatio quoad eius cauſas.c.2.

R

Reuelatio ſub pœna excom-

communicationis, c. 6.p.215.& ſequ.

S

Subditus vide verbo excõmunicatio quoad eiuscauſas.c.2.

Suſpenſio.c.11.p.238.& ſequ.

V

Violatio Eccleſiæ.c. 14. p.250.& ſequ.

Index verborum quæ continentur Tract. 4. de Irregularitate.

B

BIgamia,Bigamus. c. 2.p.259.& ſeq.

C

Clericus exercens chirurgiam,c.6:p.280.

D

Dubium iuris,&facti.c. 1.p.257.

E

Energumenus.cap. 3. p. 267.

H

Hæreſis occulta. c.4. p. 271.& c.6.p.284.& c. 1.p.255.

Hermaphroditus. c.3.p. 265.

Homicidium voluntariũ,caſuale.c.6.p.277.

Homicidium occultum. c.9.p.284.

Hiſtrio. c.3.p.268.

I

Infamia. c. 3. p. 267.& 268.

Irregularitas in cõmuni. c.1.p. 254. & ſequ.

Illegitimus.c.3.p.262.

Irregularitas ex defectu Sacramenti.c.2.p.259. & ſequ.

Irregularitas ex defectu corporali. p. 262. & ſequ.c.3.

Irregularitas ex parte animæ c.4.p. 268.

Irregularitas ex defectu lenitatis. c.5.p. 271.& ſeq.

Irregularitas ex delicto c.6.p.277.& ſequ.

N

Neophytus.c.4. p.269.

Notorium c.1. p.255.

O

Ordinũ mala ſuſceptio. c 6.p.281. & 282.

Oculus ſiniſter. cap. 3. p.263.

P

Pollex.c.3. p.263.

Procuratores, promotores fiſcales. Iudices aſſeſſores, accuſatores, c. 5 p.272.

R

Reiteratio baptiſmi. c. 6.p.283.

Receptatores hæreticorum eorumque fautores, ac defenſores.c.4. p.270.

S

Simonia publica.cap.6. p.284.

Simoniacus occultus in ordine.Ibid.

Simoniacus publicus & occultus in beneficio Ibid.

Sodomita publicus, & occultus ibid.

T

Tabellio ſiue notarius. c.5.p.272.

Teſtis cõtrà reum ibid.

V

Vendentes ſcalam, enſes, funes, ſagittas &c. c.5.p.273.& 274.

Violatio cenſurarum. c. 6.p.283.

Index verborum quæ continentur Tract. 5. de voto.

C

CAſtitas c. 3. p.294. & cap.8. p. 313.& ſequent.

Coniuges.ibid. p.315.

Cõmutatio c. 6.p.302. & ſequ.

Confeſſarij Regulares c.6. p.306.& 308.& 310.

Conditionale votum ibid.p.305.& 308.

D

Diſpenſatio. c.6. p.302. & ſequent.

E

Episcopus c. 6. p. 304. & sequent.

F

Filius familiàs c. 4. p. 297.

H

Hæres. c. 1. p. 288. & 289.

I

Irritatio voti. c. 5. p. 297. & sequ.

Iubilæus. c. 6. p. 308. & p. 309.

M

Maritus c. 5. p. 300. & sequent.

Materia voti c. 2. p. 289. & sequent.

Metus c. 1. p. 287.

P

Parens c. 1. p. 288.

Parochus. c. 6. p. 306.

Pontifex. c. 9. p. 304.

R

Religionis votum. c. 7. p. 311. 312. & 313.

Religiosus c. 4. p. 296.

S

Subditus c. 4. p. 296. & c. 5. p. 298.

T

Tutor c. 5. p. 299. & 300.

V

Votum. c. 1. p. 286. c. 2. p. 289. & seq. item c. 3. p. 291. & sequ.

Vxor. c. 4. p. 297. item c. 5. p. 301. & 302.

Index verborum quæ Tract. 6. de beneficiis continentur.

A

Abbates regulares c. 6. p. 333.

Absens à choro c. 8. p. 339.

Ætas c. 3. p. 322.

B

Beneficiarius c. 7. p. 335. & sequ. item c. 3. p. 321. & sequ.

Beneficium c. 1. p. 317. & c. 2. p. 319. item c. 3. p. 321.

C

Canonicus absés à choro c. 8. p. 342.

dignus quid 318

Cœcus c. 3. p. 323.
Cœlibatus c. 3. p. 322.
Collatio c. 2. p. 319.

D

Dignus, & indignus beneficio c. 4. p. 325.
Diſtributiones quis lucretur & quis non c. 8. p. 339. & 340. & 341.

E

Electio c. 2. p. 319.
Epiſcopi ſæculares, & Regulares domini fructuum c. 7. p. 337. & 338.
Excommunicatus, interdictus, irregularis ſuſpenſus c. 3. p. 323.

F

Fructus c. 7. p. 335. & ſeq.

H

Horæ canonicæ c. 7. p. 335. & ſeq.

L

Legitimus c. 3. p. 322.

P

Patronatus c. 2. p. 319.
Penſio c. 9. pag. 343. & ſeq.
Pluralitas beneficiorum c. 5. p. 327. & ſeq.
Præſentatio c. 2. p. 319.

R

Religioſi Epiſcopi c. 7. p. 338.
Reſidentia c. 6. p. 331. & ſeq.
Reſignatio c. 2. p. 319.
Reſtitutio c. 7. p. 335. & ſeq.

Index verborum quæ Tract. 7. de Simonia continentur.

A

ABſolutio c. 6. pag. 370.
Accipere téporale pro ſpirituali c. 4. p. 360. & ſeq.
Acceſſus cap. 3. pag. 358.

B

Beneficium c. 5. p. 336. & ſeq.

C

Commenda militaris c. 5. p. 368.
Conſuetudo c. 4. p. 365.
Cõſãguineus c. 1. p. 349.

Digitized by Google

D

Dare obſequium c. 4. p. 361.

L

Lis, litigans c. 5. p. 366. & 367.

M

Moniales c. 5. p. 366.

P

Parochus c. 5. p. 368.
Patronatus ibid. p. 366.
Penſionarius ibid. pag. 368.
Permutatio c. 2. p. 360.
Pœnæ Simoniacorum quæ c. 6. p. 309. & ſeq.
Pretium triplex c. 1. p. 352. item c. 2. p. 357. & ſeq.

R

Reſtitutio propter Simoniam c. 6. p. 372. & ſeq.

S

Sepultura c. 5. p. 367.
Simonia c. 1. p. 347. item c. 3. p. 356. item c. 6. p. 309. & ſeq.
Spirituale c. 1. p. 350. & ſeq.

V

Vexatio c. 4. p. 364.

Index verborum quæ continentur Tract. 8. de poteſtate Regularium.

A

ABbatees c. 4. pag. 387.
Abſolutio quoad ſæculares c. 8. p. 367. & ſeq. item c. 9. pag. 405. & ſeq.
Abſolutio quoad regulares c. 11. p. 411. & ſeq. item c. 13. p. 419. & ſeq.
Abſolutio quoad nouitios c. 14. p. 423. & ſeq.
Approbatio c. 9. p. 406. & ſeq.
Audire cõfeſſiones ibid. p. 407.
Altare c. 4. p. 387.

B

Baptiſmus. c. 1. p. 375. & ſeq.
Benedicere c. 4. p. 307.

C

Celebrare ibid. p. 389. item c. 5. p. 392.
Communio c. 3. p. 383. & ſeq.

Communio c.3 .p.383. & ſeq.
Commutatio c. 10. p. 409.
Comitiſſa c. 11. p. 415.
Cõiuges principũ ſummorum c.11. p.215.
Concilium Tridentinũ c.17.p.436.& ſeq.

D

Diſpenſare c.8. p.400. Item c.10.p.409.item c.12.p.416. Item c.14. p.426.
Dotatrix & duciſſa c.11. p. 415.

E

Euchariſtia c.2.p.379.

F

Fundatrix c. 11.p.415.

H

Hæreſis c.8.p.401.item c.11.p.412.

I

Ingreſſus c.11.p.415.
Interſtitia c.4. p.388.
Irregularitas c. 8. p. 400.& c.12.p.416. & ſequ.

M

Matrimonium c. 7. p. 397.
Marchioniſſa c. 11. p. 415.
Mendicantes c. 15. p. 428.

O

Ordo c 4.p.387.

S

Sacrificium Miſſę c.5.p. 390.& ſeq.

T

Tertiarij ſæculares c. 16.p.430.& 431.
Tertiarij regulares ib. p.432.& ſequent.

V

Vidua c.11.p.415.
Vnctio Extrema c. 6.p. 394.
Vxorata c. 11. pag. 415.

Index verborum quæ Tract. 9. de reſtitutione continentur.

C

COnfeſſarius c. 9.p. 463.
Conſentiens c. 7. pag 457.
Conſulens c.6. p. 455.

Curator, tutor c. 9. p. 462.
Cuſtos ibid. p. eadem.

D

Duces c. 9. p. 462.

F

Fama honor, libertas c 59. p. 478.
Famulus c. 9. p. 463.

I

Inuenta bona c. 12. p. 466.
Iuſtitia c. 2. p. 443.
Iudices c. 12. p 468.

M

Mandans c. 5. p. 453.
Meretrix c. 12. p. 467.

P

Palpo ſiue laudo c. 7. p. 458.
Participans ibid. p. eadem.
Perſona c. 5. p. 453.
Poſſeſſor bonæ fidei c. 31. p. 447.
Poſſeſſor malæ fidei c. 4. p. 449.
Præſcriptio c. 20. p. 482. & ſeq.
Prætor c. 2. p. 462.
Princeps ibid. p. eadem.
Pro porto c. 2. p. 444.

R

Religionis ingreſſus c. 18. p. 477.
Receptans c. 7. p. 458.
Reſtitutio c. 1. p. 441. item c. 2. p. 442. item c. 8. p. 460. item c. 11. p. 464 item c. 12. p. 466. item c. 13. p. 469. item c. 14. p. 470. item c. 15. p. 471. item c. 16. p. 473. item c. 17. p. 474. item c. 19. p. 478.
Regula c. 2. p. 445. & c. 15. p. 471.

S

Status iniuſtè acquiſitus c. 19. p. 479.

T

Teſtis falſus c. 12. p. 468.
Tacens, non manifeſtans, non obſtans c. 9. p. 462.

V

Vſurarij filius c. 19. p. 482.
Vſucapio c. 20. p. 482. & ſeq.
Vxor vſurarij vel alterius debitoris c. 19. p. 480.

Index verborum quæ Tract. 10. de reſtitut. in particulari continentur.

A

ADulteriũ, Adulter c. 5. p. 497. & ſeq.
Aucupium c. 6. p. 499.

B

Bona ſpiritualia, beneficium c. 1. p. 485. & 487.

D

Detractor c. 2. p. 487. & ſeq.

F

Fama & honor c. 2. p. eadem.
Falſum crimen ibid. p. 489. verum crimen ibid. p. eadem.
Furtum c. 8. p. 502.
Filius ibid. p. 505.
Famulus ibid. p. 506.

H

Homicida, & mutilator c. 3. p. 493.

L

Lignorum aſportatio c. 7. p. 501.

P

Pratum c. 7. p. 502.
Piſcatio c. 6. p. 500.

R

Reus c. 2. p. 491.
Retractare c. ibid. p. 490.

S

Stuprator c. 4. p. 494.

T

Teſtis falſum deponens c. 2. p. 491.

V

Venatio c. 6. p. 500.
Vidua c. 4. p. 496.
Votum caſtitatis c. 4. p. 496.
Virgo ibid. p. eadem.

Index verborum quæ Tract. 11. de vſura continentur.

C

COoperator c. 9. p. 539.

D

Damnum emergens c. 3. p. 515. & c. 4. p. 519.

Donatio liberalis c.2.p. 514. item c.4 p.515.

L

Lucrum ceſſans c. 3. p. 515. item c.p.524.

Legatarij c.8.p.538.

M

Mutuum,mutuator,mutuatarius, c.1.p.507.c. 2.p.510.

Moleſtia c.3.p.517.

P

Pactum c.2. p. 515.c. 4. p.519.c.5.p.526.

V

Vſura & vſurarius c.2. p.509.item c.6.p. 529. item c.7.p.530.

Vxor filij,& famuli vſurarij c.8.p.537.

Index verborum quæ continentur Tract. 12. de cenſibus & Tract.13,de cambiis.

A

ANimalium ſocietas. Tract. 13.c.7. p.546.

Aſſecuratio ibid. p.519. & tract.12.c. 1.546.

C

Cambium, cãpſor. tra. 13. c.1.p. 558.item c.2. p.561.item c. 3. p. 562. item c.4.p.568.

Cenſus tract.12.c.1. 543

Conditio c. 3. p.553.

Contractus tres. tract. 13.c.6.p. 577.

Cõſiliarius ibid. p.578.

D

Dannu & impenſę c. 8. p.581.tract.13.

E

Emere,emptio c.2.pag. 549.tract. 12.

M

Monopolium c. 4. p. 571.tract.13.

N

Nobilis tract.13. c. 6.p. 578.

P

Pactum tract. 12.c.2.p. 548.& tract. 13.c. 5.p. 574.

Pecunia tract. 13. c.1.p. 560.& c.5.p.573.

Pretiũ c.4.p.556. tract. 12.

S

Societas c. 5. p. 572.

tract.13.& c.6.p.575.

V

Viduæ tract. 13, c.6. p. 577.

Vxor, & Coniuges tract. 13. c. 8. pag. 583.

Index verborum quæ Tractatu 14. de emptione & venditione continentur.

C

CHyrographa c. 3. p. 593.

Debita, debitor c. 3. p. eadem.

E

Emere, emptio, emptor c.1.p.584.item c. 2.p. 588.item c.3. p.593.itē c.5.p. 599. item c. 6. p. 600.

M

Miniſtri principū, quęſtores & receptores c.3.p. 593.

Monopoliū c.1. p. 587.

N

Numiſma c.1.p.584.

P.

Pactum c.6.p.601.

Pretium multiplex c. 1. p.586.

V

Vendere, venditio, vēditor c. 1.p. 584.c.2.p. 588. item c. 3. p. 591. item c.5. p. 600. item c.6.p. 602.

Vitium c.4.p. 596.

Vitium manifeſtum & occultum. ib. p. 598. extrinſecum & intrinſecum ibid.p.eadē.

FINIS.

Extraict du priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy, donné à Paris, le 26. Aouſt 1634. ſigné Telier. Il eſt permis à GEORGE IOSSE Marchant Libraire à Paris, d'imprimer vendre, & debiter, vn liure intitulé, *Compendium Theologiæ Moralis, &c. Authore R. P. F. Cœleſtino Sueſſionenſi, Tertii Ordinis Sancti Franciſci, ſacerdote Theologo, &c.* Et defenſes ſont faictes à tous Marchants Librares, Imprimeurs, & autres d'imprimer ny faire imprimer, ledit liure, pendant le temps de ſix ans, ainſi qu'il eſt plus amplement declare dants leſdites lettres.

LEdict Georges Ioſſe a faict part dudit Priuilege à la Veufue Deheuqueuille, Michel Soly, & Louys Deheuqueuille.

Errata sic corrigito.

PAgina 4.linea 10. post fernand ad parte pag. 5.lin 5 pro lenitate lege,leuitate. pag. 21. lin. 1.pro qua lege,quam.pag.23.lin.31. pro vuido, lege vulgò pag.26.lin.12.pro nullus, lege, nullius p. 29.lin.9 pro si enim.lege,etsi enim eadem pag.lin. 19.post primò,adde quando pag. 36 lin.2,post nã, adde vt.p. 42.lin.16. pro predit, lege procedit.eadem pag.lin.22 post licet,adde non pag.47.lin.10. post,decimus casus adde,quando p.48. lin. 6. post ante 14.adde si sint.pag. 51. in titulo capite pro sacramẽtis,lege, sacramẽti p.54.lin.2.pro 913. lege, 93.p. 61.lin.17.pro censetur.le.cẽsentur p. eadẽ in titulo pro librum,lege, liberum p.73.lin.9. pro sacramenti,lege sacramentali p.85.lin.13.pro certæ, lege, certa p. eadem lin. 28.pro tribunalum , lege tribunalium p.104. lin.4. pro vela cerentur , lege, velarentur p.109.lin.25. pro vriorum, lege, virorum p 114. lin.25. pro tantum,lege, ratum p.138. lin. 29.dele,non p.142.lin.12.pro fidelis,lege , infidelis p.184.lin.19.pro muier,lege nubereip.268. lin.20.pro infamimam,lege infamiam p.368. lin. 25.pro qua,lege,quæ p.377.lin.21.pro vel,lege vbi p.434 lin.29.pro præscriptum, lege , præscriptam p.457.lin.28.pro aliquid,lege, aliquod pag. 460. lin.22.post aliam,adde, domum p.470. lin.8. pro tellihitur, lege, intelligitur, & p.477. pro ombus, l.omnibus p.508.lin.1.pro mutatione,l. mutuatione,& p.511. lin.31.pro mutuandi,l.mutuanti.p.523. lin, 29. pro inuitis, l·inutilis,& p. 541.lin.26. pro rogato l.parato p.561. lin.16.pro extra, l.vltra. p. 590.lin.32.pro merè l.merx.p.592.lin.pro ea,l.eas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google